VILLAVERDE, Miguel (O.F.M.)

Tractatus in universam Arist. logicam pure speculativam... / auctore R.P.F. Michaele de Villaverde... Ordinis S. Francisci... -- Compluti : Ex officina Mariae Fernandez..., 1658

[16], 355 p., @-2@4, A-Z4, 2A-2X4, 2Y2 ; 4°

Port. con grab. xil . -- Texto a dos col.

1. Aristóteles-Crítica e interpretación 2. Aristotele-Kritika eta interpretazioa I. Titulo

R-5153 R.100501. -- Ejemp. deteriorado afectando a la cabecera de la port. -- Enc. perg.

TRAC

IN VNIVERSA

LOGICAM PVRE SPECVLATIVA

SENTENTIÆ SVBTILIS DOCTOR[illegible] COL[illegible]

PROPONVNTVR, PROBANTVR, ET

PROPVGNANTVR.

AD S. ANTONIVM DE PADVA

AVCTORE R. P. F. MICHAELE DE VILLAVERDE

Orgacensi, Diœcesis Toletanæ, Ordinis S. Francisci, Lectore Iubilato in Conventu S. Didaci Complutensi, olim Collega in Præinsigni Collegio SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & nunc eiusdem Collegij Guardiano.

Anno 1658.

Complvti. Ex officina Mariæ Fernandez Typographæ Vniversitatis



B. ANTONIO DE PADVA.

PRIMO DOCTORI THEOLOGO ORDINIS S. Francisci Patris nostri.

SVVS DEVOTVS Fr. MICHAEL DE VILLAVERDE LECTOR Iubilatus, & Guardianus præinsignis Collegij Maioris Sanctorum Apposto lorum Petri, & Pauli Complutensis, suam Logicam dicat, & consecrat.

Proles Hispaniæ, pavor infidelium, nova lux Italiæ, nobile depositum Vrbis Paduanæ. Sapientia divina antiquis patribus potentiam dominandi dispersam communicavit, namque Daniel Babylonicæ fornacis incendium compressit, Elias cœli plagas in ius suum vindicavit. Moyses mare ita subegit, vt cedentibus vtrinque fluctibus facilem sibi viam in ripam vlteriorem aperiret. Saul tantum in terram dominatum habuit, vt vel è penissimis illius visceribus Samuelis animam in apertam lucem evocaret. Tu vero Pater Antonij terræ, mari, igni, cœlo dominatus, omnium imperium tua potestate superasti.

Optasti, & datus est tibi sensus: invocasti, & venit in te Spiritus Sapientiæ affluentia tanta, vt teste Divo Bonaventura, omnium scientiã habuisti: Angelorum scilicèt, quæ in ministrando sistit; Patriarcharũ, quæ viatorum scientiæ assimilatur; Prophetarum, quorum est futura prævidere; Apostolorum, qui titulo emptionis cœlorum emere regna; Martyrum, quorum constantia experta est pugna; Doctorum, quam Magistratus probat; Virginum, quæ hominum consortia vitat. Quare consentiente Parente nostro Francisco Bononiæ primus ille prælector institutus fuisti, vt nobis in Theologica semper facultate præesses. Ecce tibi ad ipsam necessariam Logicam proclivis defero, humilis dico; vt tua Sanctitate, Potestate, & Sapientia in creatoris laudem, in tui nominis gloriam, & studentium vtilitatem secura volitet.

SVMA

...ia del Privilegio.

...rivilegio el P. Fr. Miguel de Villaverde Lector Iubilado, y ... Guardian del Insigne Colegio Mayor de San Pedro, y San Pablo, por diez años para imprimir vn libro, que compuso, intitulado *Tractatus in vniuersam Aristotelis Logicam ad mentem Scoti.* Como pareze por el testimonio de Miguel Fernandez de Noriega Escriuano de Camara, en Madrid à diez y siete dias de Marzo de mil seiscientos y cinquenta y ocho años.

Summa de la tassa.

LOs Señores del Consejo Real tassaron este libro intitulado *Tractatus in vniuersam Aristotelis Logicam ad mentem Scoti.* Compuesto por el Padre F. Miguel de Villaverde Lector Iubilado, y Guardian del insigne Colegio Mayor de S. Pedro, y S. Pablo de la Vniversidad de Alcalá, a cinco maravedis cada pliego, como consta del testimonio que dió Miguel Fernandez de Noriega Escriuano de Camara en 19. de Abril del mil y seiscientos, y cinquenta, y ocho.

Errata sic corrige.

Littera P. paginam, Littera C. columnam, Littera L. lineam & Littera N. numerum significant.

Pag. 1. c. 2. l. 3. includen, leg. *includit.*
Pag. 4. c. 1. l. 1. numerice, leg. *numerica.*
Pag. 85. c. 1. n. 6. lin. 2. est, leg. *&.*
Pag 104. c. 1. l 7. existat, leg. *existit.*
P. 123. c. 1. l. 6. communi, leg. *eo modo.*
Pag. 129. c. 2. n. 8. l. 9. gens, leg. *genus.*
Pag. 134. c. 2. l. 7. accipitudo, lege, *accipitur pro.*
Pag. 150, c. 2. l. 7. relatinum, lege. *relativum.*
Pag. 171. c. 1. n. 2. l. penult. solutiones, leg. *volitiones.*
Pag. 187. c. 2. l. 1. propriæ, leg. *Proprij.*

Dr. D. Franciscus Ignatius de Portes
Corrector Vniversitatis.

LICENCIA

DEL MVY REVERENDO PADRE Fr. PHILIPE de la Torre Provincial de Castilla.

TIene licencia el P. Fr. Miguel de Villaverde, Lector jubilado, y Guardian del Insigne Colegio Mayor de S. Pedro, y S. Pablo de la Vniversidad de Alcalà, para imprimir vn libro intitulado, *Tractatus in vniversam Aristotelis Logicam ad mentem Scoti*, como consta de vna patente expedida de su Paternidad muy Reverenda. En S. Francisco de Madrid à cinco de Setiembre de 1657. años.

APPROBATIO.

DE mandato admodum R. P. N. Fr. Philippi de la Torre, Supremæ sanctæ Inquisitionis, Senatus Censoris, & huius Castellæ Provinciæ Regularis Observantiæ Seraphici P. N. Francisci Provincialis Ministri, Hunc tractatum in vniuersam Arist. Dialecticam a R. P. Fratre Michaele de Villaverde Lectore iubilato, olim in hoc Conventu S. Didaci primario moderatore, nunc que in præinsigni Divorum Apostolorum Petri, & Pauli Maiori Collegio huius Vniversitatis Cõplutensis Præsule elauoratum, postquam attente perlegimus, nil censura dignum reperimus: sed miramur potius quanto ingenii acumine, facilique stylo, ea copia, vt nil addi, ea brevitate, vt nil possit diminui mentẽ Stagiritæ Arist. explanet, à rectoque tramite nostri subtilissimi Doct. Scoti, neque in minimo, tãquam verus assecla debiet. Quare vnũ solum nobis superest expetendum, vt hoc opus in communem omnium vtilitatem quam citius prælo mandetur. Sic sentimus in hoc sancti Didaci Complutensis Religiosissimo Cœnobio, die 8. Mensis Augusti Anno 1657.

Fr. Franciscus de Montealegre.
Lector Theologiæ.

Fr. Iosephus de la Cruz.
Lector Theologiæ.

Fr. Gregorius Sanchez.
Lector Theologiæ.

APPROBATIO.

OPus hoc cognitionis in vniuersam Arist. Logicam iuxta viam Subtilissimi Doctoris Scoti: Sapientissimi P. Fratris Michaelis de Villaverde Lectoris iubilati, necnon Guardiani Collegij Maioris Sanctorum Petri, & Pauli Ordinis Sancti Francisci, de mandato grauissimi D. Ioseph Benoderey Vicarij Generalis in hac Curia Archiepiscopali Complutensi, sedulo, & accuratè vidimus, & legimus Doctor D. Ioannes Garzon de Buendia publicus professor in primaria, ac principali Cathedra S. Thomæ, & Doctor D. Ioannes Zafrilla de Azagra publicus professor in Primaria Cathedra totius Sacræ Bibliæ in hac præinsigni Vniuersitate Complutensi, nihilque in eo contineri sacræ doctrinæ, ac bonis moribus, quo quo modo aduersum censemus: immo potius in exponenda dialectica, vim ingenij, maximum in docendo ordinem, & accuratissimam methodum, breuitatem cum claritate, & comprehensione omnium difficultatum, quæ exagitari solent enodationi mirificè elucere. Quare iudicamus, opus esse dignum, vt typis mandetur, & in publicam audientium vtilitatem in lucem prodeat. In cuius fidem nomina nostra subscripsimus. Datum in hoc oppido Complutensi Toletanæ Diœcesis anno Domini 1657.

Dr. D. Ioannes Garzon de Buendia.

Doctor D. Ioannes Zafrilla de Azagra.

APPROBATIO.

DE mandato supremi Senatus Regij, hunc librum inscriptum *Tractatus in vniuersam Aristotelis Logicam ad mentem Scoti*, à R.P. Fratre Michaele de Villaverde, Lectore iubilato, Guardianoque præinsignis Collegij Maioris Divorum Petri, & Pauli Apostolorum attentè legi, in quo nil fidei, ac bonis moribus aduersum inveni: potius aduerter notavi, spiritum Scoticum bibisse, subtilitatesque Scoticas summa claritate, miraque brevitate explicare. Quare iudico æquum esse, vt in communem vtilitatem scolasticorum prodeat. Apud Matritum die 17. Octobris anni 1657.

Dr. Dominicus de Colavida.

Ad

Ad Lectorem.

MEA intentio prudens Lector in eo tendit, vt brevem, & clarum cursum Philosophicum ex sententijs Subtilis Doctoris depromptum, & collectum perficiam. Plures sunt scribendi modi, nullusque ab vna, vel altera imperfectione absolutus. Primus habet istas partes, in prima refertur prima opinio cum suis fundamentis; in secunda impugnatur; in tertia respondetur impugnationibus; in quarta replicatur; in quinta statuitur propria sententia, & probatur; in sexta respondetur argumentis; in septima ostenditur solutiones non valere; & in octava respondetur argumentis pro prima opinione factis, vt scripsit Scotus. Se hic modus scribendi latissimus est, & diffusus, ideoque tyronibus non accommodatus. ¶ Secundus modus scribendi tres partes habet, in prima referuntur sententiæ sine suis fundamentis; in secunda ponitur propria sententia cum fundamentis suis: in tertia ponuntur fundamenta opposita pro obiectionibus, & illico illis immediatè respondetur, sicut Noster Pontius scripsit. Etenim licet commodum sit studenti ad pedem argumenti responsionem eius habere, tamen deficit, in hoc, quod non dat scholasticis notitiam claram fundamentorum aduersariarum opinionum. ¶ Tertius scribendi modus quinque habet partes, in prima ponitur sententia *Scoticæ* scholæ cum suis fundamentis, in secunda ponitur sententia scholæ Sancti Thomæ cum fundamentis suis; in tertia ponuntur solutiones argumentorum Scotistarum, in quarta solutiones Thomisticorum argumentorum, & in quinta decisio sententiæ propriæ authoris, sicut scripsit Lalemander. Sed hic scribendi modus duos habet defectus, vnus est ex excessu in longitudine, alter, quia habet responsiones distantes ab argumentis. ¶ Quartus modus scribendi tres tantum habet partes: in prima ponitur sententia opposita, cum suis fundamentis; in secunda ponitur sententia propria cum fundamentis proprijs: in tertia respondetur argumentis oppositæ sententiæ: sicut scripsit Sanctus Thomas, & postea Cursus Carmelitanus. Hic modus est accommodatus breuitati, & dat notitiam fundamentorum opinionis oppositæ: habet tamen vnum defectum, nempè, quod solutiones distant ab argumentis, & ideo cogit iterum legere argumenta. Sed iste defectus recuperatur, quia ex repetita lectione argumentorum, melius intelliguntur, & magis radicantur. Quare

cum

chymes intentio fit Cursum breuem componere istum vltimum modum communiter eligi: quando autem quæstio opinionibus scatet, ad maiorem claritatem, altero ex modis relatis vror, qui mihi ad expositionem videtur aptior: brevitatem quæsivi, claritatem appetivi, si illas assequi non potui, summe calamum quando fastidio pungaris, & tunc videvimus, cum detrahis, qualis es. VALE.

TABV-

TABVLA LIB. CAPITVM, & quæstionum, quæ in hoc tractatu continentur.

Lib. 1. Cap. 1. De Ente reali. pag. 2.

Q. 1. Quid sit ens reale, pag. 2.
Q. 2. V. in Petro existente existat ratio hominis. pag. 2.
Q. 3. V. natura humana in Petro habeat vnitatem formalẽ, & realem minorem vnitate numerali. pag. 3.
Q. 4. V. naturæ in singularibus, sint de se singulares. pag. 7.
Q. 5. V. natura in Petro, & ipsa petreitas sint vnum reale. pag. 8.
Quæst. 6. De distinctionem reale, pag. 9.
Cap. 2. De vnitate formali, & distinctione formali? pag. 10.
Quæst. 1. Quid sit vnum formaliter, & quas conditiones requirat. pag. 10.
Q. 2. quid sit non vnitas formalis, & quas conditiones requirat. pag. 11.
Q. 3. De distinctione formali ex natura rei. pag. 12.
Cap. 3. De identitate, & distinctione graduum in subiecto existente creato. pa. 15.
Quæst. 1. Quam identitatem habeant homo, & animal in Petro? pag. 15.
Quæst. 2. Quam identitatem, & distinctionem habeant animal & rationalitas in Petro? pag. 17.
Quæst. 3. Quam identitatem, & distinctionem habeant inter se natura specifica, & proprietas quarto modo? pag. 19.
Quæst. 4. V. dentur præcisiones obiectiuæ, vel formales? pag. 22.
Cap. 4. de esse essentiæ. pag. 23
Cap. 5. de ente rationis. pag. 24.
Quæst. 1. Quid sit ens rationis? pag. 24.
Quæst. 2. De divisione entis rationis. pag. 25.
Quæst. 3. Per quam operationem intellectus fiat ens rationis? pag. 28.
Quæst. 4. Vtrùm denominationes extrinsecæ sint entia realia, vel rationis. pag. 31.

Lib. 2. Cap. 1. De obiecto vt sic. pag. 33.

Quæst. 1. Quid sit obiectum, quid subiectum, & in quo differant?

fàne? pag.33.
Quæst. 2. de diuisionibus subiecti, vel obiecti scientiarum. pag.34.
Quæst. 3. Quod sit obiectum adæquatum scientiæ? pag.34.
Quæst. 4. Quid sit obiectum primum in scientia? pag.35.
Quæst. 5. Vtrùm idem sint subiectum primum, & adæquatum? pag.37.
Cap. 2. De obiecto Logicæ artis internæ? pag.39.
Quæst. 1. Quòd sit obiectum logicæ artis internæ. pag.39.
Quæst. 2. Quod sit obiectum logicæ artis externæ? pag.40.
Quæst. 3. Vtrùm Logica directiva sit propriè ars? pag.43.
Quæst. 4. Vtrùm Logica docens, & directiva sint propriè scientiæ? pag.44.
Quæst. 5. Vtrùm Logica docens, & directiva sit practica, vel speculativa? pag.46.
Quæst. 6. Vtrùm Logica dirigens sit necessaria ad acquirendum scientias? pag.50
Quæst. 7. Vtrùm Logica sit acquisita per Logicam? pag.51.
Cap. 3. de obiecto Logicæ pure speculativæ? pag. pag.52.
Quæst. 1. Quod sit obiectum Logicæ pure speculativæ? pag.52
Quæst. 2. Vtrùm obiectum formale istius Logicæ sit ens reale? pag.55
Quæst. 3. Cui entirationis competat esse obiectum adæquatũ Logicæ? pag.58.
Quæst. 4. Determinatur quòd sit obiectum formale adæquatum Logicæ. pag.60.

Cap. 4. De Logica habituali pure speculativa. pag.63.

Quæst. 1. Vtrùm habitus logicæ pure speculativæ sit scientia verà? pag.63.
Quæst. 2. Vtrùm habitus Logicæ sit vna scientia in specie, vel genere? pag.66.
Quæst. 3. Vtrùm habitus Logicæ sit vna simplex qualitas? pag.68.

Cap. 5. De Logica vtente habituali. pag.72.
Quæst. 1. Quid sit Logica vtens? pag.72.
Quæst. 2. Vtrùm habitus logicæ docentis, & vtentis distinguãtur? pag.73.
Quæst. 3. Ad quam materiam spectet habitus Logicæ vtentis? pag.75.

Lib. 3. De vniuersalibus. p.76.

Cap. 1. De vniversali Metaph. pag.77.
Quæst. 1. Quæ reperiantur in vniversali Metaph. & quæ sit ratio formalis eius. pag.77.
Quæst. 2. quæ natura est vniversale metaphysicum materiale.

le. pag.78.
Quæst.3. Vtrùm vniuersale metaphysicũ sit reale? pag.80.
Quæst.4. Vtrum vniuersale metaph. habeat communitatem negativam? pag.82.
Cap.2. De vniuersali Logico.p.83
Quæst.1. An vniuersale Logicum sit ante operationem intellectus? pag.84.
Quæst.2. In quo stat vniuersale logicum mareriale? pag.85.
Quæst.3. In quo vniuersalitas logica consistat? pag.87.
Quæst. 4. Vtrùm aptitudo ad essendum in multis sit de essentia vniuersalis, vel aptitudo ad prædicari de illis. pag.90.
Quæst.5. Per quam operationem intellectus fiat vniuersalitas Logica? pag.94.
Quæst.6. Vtrùm vniuersale retineat vniuersalitatem in actuali prædicatione? pag.97.
Cap.4. De Prædicationibus.p.98.
Quæst. 1. De prædicationibus concreti, & abstracti. pag.99.
Quæst. 2. De prædicationibus substantialibus. pag. 101.
Quæst. 3. De prædicationibus accidentium absolutorũ? p.103
Quæst. 4. De prædicationibus relativorum. pag.106.
Quæst. 5. De prædicationibus secundarum intentionum de primis, & secundis. pag.107.
Quæst.6. Vtrùm genus sit species vniuersalis. pag. 109.
Quæst. 7. Vtrùm vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia? pag.111.
Quæst. 8. Vtrùm prædicabilia sint tantum quinque? pag.113.

Lib.4. De speciebus vniuersalis. pag. 114.

Cap.1. *De genere.* pag.117.
Quæst.1. Quid sit per se significatum per nomen genus. pag.117
Quæst. 2. Quid sit per se definitum in deffinitione genere. pag.118.
Quæst.3. V. definitio generis sit bona. 122.
Quæst.4. V, natura generica prædicetur de specieb' vt pars: an vt totum. pag.126.
Quæst.5. Quo pacto natura generica contineat differentias, per quas contrahitur? pag.128.
Quæst.6. V. natura generica possit conseruari in vnica specie? pag.130.
Quæst.7. V. natura generica prædicetur immediate de indiuiduis? 132.
Quæst.8. V. genus eadem relatione prædicabilitatis respiciat species, & indiuidua specierũ? pag.133.
Cap.2. De specie. pag.134.
Quæst.1. De specie, & diuisionibus eius. pag.135.
Quæst.2. V. deffinitio speciei subijcibilis sit bona? pag.136
Quæst.3. An subijcibilitas sit eiusdem rationis in specie infima,

& subalterna? pag. 137
Quæst. 4. V. species subijcibilis; & genus sint relata? pag. 138.
Quæst. 5. An species, vt subijcibilis generi sit vniuersalis? pag. 139.
Quæst. 6. Quomodo se habeant in specie ratio subijcibilitatis, & prædicabilitatis. 142.
Quæst. 7. Per quam habitudinem cõstituatur species subijcibilis in ratione essentiali speciei subijcibilis? pag. 147.
Quæst. 8. Quid sit species prædicabilis, & V. definitio sit bona? pag. 148.
Quæst. 9. V. natura Angelica sit species prædicabilis? pag. 151.
Cap. 3. De indiuiduo? *pag. 153*
Quæst. 1. An, & quomodo indiuiduum diffiniri possit? pag. 153.
Quæst. 2. In qua aliqua dubia de indiuiduo determinantur. pag. 156.
Quæst. 3. V. diffinitio indiuidui primæ intentionis sit bona? pag. 158.
Quæst. 4. de indiuiduo secundæ intentionis? pag. 159.
Cap. 4. De differentia primæ intentionis? *pag. 160.*
Quæst. 1. Quid sit differentia, & quotuplex pag. 160.
Quæst. 2. V. diuisio differentiæ in communem, propriam, & propriss imam sit vniuoca? pag. 161.
Quæst. 3. V. hæc diuisio sit bona? pag. 163.
Quæst. 4. V. differentia propriss ima cõtineatur in genere? pag. 165.
Qu. 5. V. differentia propriss ima includat genus, quod contrahit? pag. 167.
Quæst. 6. Vnde sumatur ratio generis, & ratio differentiæ? pag. 173.
Quæst. 7. V. diffinitio de differẽtia secundæ intentionis sit bona? pag. 172.
Quæst. 8. V. differentia infima, & subalterna secundæ intentionis differant specie? pag. 174.
Quæst. 9. Per ordinem ad quæ differentia sit tertium prædicabile? pag. 176.
Cap. 5. De proprio? *pag. 177.*
Quæst. 1. De proprio primæ intentionaliter sumpto? pag. 177.
Quæst. 2. Quid deffiniatur per definitionem proprij? pag. 178.
Quæst. 3. V. per deffinitionem Prophyrij deffiniatur, etiam proprium vt prædicabile logicum? pag. 181.
Quæst. 4. Per ordinẽ ad quæ proprium sit vniuersale? pag. 184.
Cap. 6. De accidenti? *pag. 185.*
Quæst. 1. Vtrum diffinitiones accidentis sint accipiẽdæ primæ, vel secundæ intentionaliter? pag. 185.
Quæst. 2. Vtrùm deffinitiones traditæ à Prophyrio de accidenti sint bonæ? pag. 187
Quæst. 3. Vtrũ accidens sit quintum prædicabile in ordine ad subiecta, quibus in est? pag. 189.
Quæst. 4. Vtrùm in hærentia sit de essentia accidentis prædicamentalis? pag. 191.

tis debeant distingui realiter. pag. 228.

Liber 5. De antepraedicamentis. pag. 195.

Cap. 1. De æquivocis. p. 196.
Dub. 1. De æquivocis. pag. 197.
Dub. 2. De æquivocis. p. 198.
Cap. 2. De vnivocis. pag. 198.
Cap. 3. De denominativis. p. 199.
Cap. 4. de Analogis. pag. 200.
Quæst. 1. Vtrùm sit analogia inæqualitatis. 202
Quæst. 2. quotuplex est analogia. pag. 205.
Cap. 5. De ente. pag. 206.
Quæst. 1. Vtrùm ens includatur in modis per se, & in alio? pag. 206
Quæst. 2. Vtrùm à substantia, & accidenti possit abstrahi vnus conceptus obiectivus entis, quid? pag. 210.
Quæst. 3. Vtrùm ens sit analogũ substantiæ, & accidenti. pag. 214.
Quæst. 4. Vtrùm ab vero ente quid, & ab ente vero quali, possit abstrahi vnus conceptus vnivocus entis? pag. 220
Quæst. 5. Vtrùm à Deo, & creaturis possit abstrahi vnus conceptus vnivocus entis veri? pag. 221.
Cap. 6. De regulis eorum de quibus fit prædicamentum. p. 226.
Quæst. 1. Vtrùm ea, quæ ponuntur in diversis prædicamen-

Lib. 6. De Prædicamentis. pag. 230.

Cap. 1. De substantia. pag. 230.
Quæst. 1. quæ sit ratio constitutiva substantiæ, provt opponitur accidenti. pag. 231.
Quæst. 2. Vtrùm substantia, vt sic sit conceptus communis vnivocus substantiæ creatæ, & increatæ? pag. 232.
Quæst. 3. quæ substantia sit genus generalissimum in hoc prædicamento? pag. 235.
Quæst. 4. Vtrùm Deus sit in prædicamento substantiæ? pag. 237
Dub. Vtrùm Angeli ponantur in prædicamento substantiæ. pagin. 239.
Dub. Vtrùm cœli ponantur in prædicamento substãciæ? pag. 240.
Quæst. 5. quid sit divisum in substantiam primam, & secundam. pag. 241
Quæst. 6. Vtrùm definitio primæ substantiæ sit bona? pag. 242.
Quæst. 7. Vtrùm proprietates substantiæ sint recte ab Arist. assignatæ? pag. 244.
Cap. 2. De quantitate? pag. 246.
Quæst. 1. In quo consistat ratio essentialis quãtitatis? pag. 247
Art. 1. Vtrum ratio mensuræ sit ratio

ratio essentialis quanticatis? pag.248.
Art.2. Vtrùm diuisibilitas sit ratio essentialis quantitatis? pag.248.
Art. 3. Vtrùm essentia quantitatis cõsistat in extẽsione actuali in ordine ad spatium? pag. 249.
Art. 4. Vtrùm habere partes in ordine ad totum sit ratio essentialis quantitatis molis? pag. 250.
Quæst. 2. Vtrùm substantia materialis absque quantitate habeat partes entitatiuas? pag. 253.
Quæst. 3 Quæ, & quales sint proprietates quanticatis? pag. 258.
Quæst. 4. Vtrùm quantitas distinguatur realiter à re quãta? pag. 262.
Quæst. 5. Quales sint diuisiones quantitatis quas dedit Arist. pag. 264.
Cap. 3. De speciebus quantitatis continuæ. pag. 267.
Quæst. 1. Vtrùm linea & superficies sint species quãtitatis cõtinuæ à corpore, & interse distinctæ. pag. 267.
Quæst. 2. Vtrùm locus sit species quantitatis continuæ à superficie distincta? pag. 270.
Quæst. 3. Vtrùm motus sit species quantitatis continuæ? pag. 271.
Quæst. 4. Vtrùm tempus sit species quãtitatis cõtinuæ? p. 273
Cap. 4. De quantitate discretæ. pag. 275.
Quæst. 1. Vtrùm numerus sit propria species quantitatis discretæ? pag. 275.
Quæst. 2. Vtrùm oratio sit vera species quantitatis discretæ? pag. 278.
Quæst. 3. Vtrùm oratio sit species quantitatis discretæ distincta â numero? pag. 280.
Cap. 5. De relatione. pag. 283.
Quæst. 1. Vtrùm sint relationes reales? pag. 283.
Quæst. 2. Quæ relationes pertineant ad hoc prædicamentum? pag. 285.
Quæst. 3. Vtrùm sit tantum vnum genus generalissimum in hoc prædicamento? pag. 286.
Quæst. 4. Vtrùm definitio relativorum sit exacta? pag. 288.
Quæst. 5. Vtrùm relationes distinguantur realiter à suo fundamento? pag. 289.
Quæst. 6. De proprietatibus relatiuorum? pag. 291.
Cap. 6. De relatione respectu sui fundamenti. pag. 293.
Quæst. 1. Quot sint fundamenta relationum huius prædicamenti? pag. 293.
Quodnam sit fundamentum relationum, quæ fundantur in potẽtia actiua, & passiua? pag. 295.
Quæst. 3. Vtrùm vna relatio possit fundari super aliam? pag. 299.
Cap. 7. De relatione respectu sui termini pag. 300.

Quæst.

TABVLA

Quæst. 1. Vtrùm relatio terminetur per se ad absolutum; an ad respectiuum? pag. 300.
Quæst. 2. Vtrùm relationes specificentur à fundamento? An à termino? pag. 306.
Quæst. 3. Vtrùm multiplicatio numerica relationum sit ex subiecto? pag. 309.
Coordinatio prædicamenti relationis? pag. 311.
Cap. 8. De qualitate. Suma capit. pag. 312.
Quæst. 1. Quid sit qualitas in communi? pag. 313.
Quæst. 2. Vtrùm diuisio qualitatis sit ex acta? pag. 315.
Quæst. 3. Vtrùm hæc diuisio qualitatis sit generis in species? pag. 317.
Quæst. 4. Vtrùm recte ordinauit Philos. ista membra? pag. 319.
Quæst. 5. De habitu seu dispositione? pag. 320.
Quæst. 6. De naturali potentia, & impotentia? pag. 324.
Q. 7. De pasione, & pasibili qualitate? pag. 326.
Quæst. 8. De forma, & figura? pag. 329.

Lib. 7. De sex vltimus prædicamentis.

Cap. præambulum? pag. 331.
Quæst. 1. Vtrùm sex vltima prædicamenta sint formaliter relationes? pag. 331.
Quæst. 2. Vtrùm istæ relationes sint intrinsecus, vel extrinsecus aduenientes? pag. 333.
Cap. 1. De actione? pag. 336.
Cap. 2. De passione? pag. 338.
Cap. 3. De Quando? pag. 339.
Cap. 4. De vbi? pag. 339.
Cap. 5. De situ? pag. 340.
Cap. 6. De habitu? pag. 341.

Lib. 8. De post prædicamentis? pag. 342.

Cap: 1. De modis oppositionis? pag. 342.
Cap. 2. De modis prioris? pag. 343.
Cap. 3. De modis simul? pag. 344.
Cap. 4. De motu? pag. 344.
Cap. 5. De habitu? pag. 344.
De posteriori resolutione? pag. 345.
Quæst. 1. Quid sit demonstratio? pag. 345.
Quæst. 2. Exponuntur conditiones materiæ demonstrationis? pag. 346.
Quæst. 3. De causalitate præmissarum? pag. 348.
Quæst. 4. Vtrùm cognitis maiori & minori necesitetur intellectus ad assensum conclusionis? pag. 351.
Quæst 5. Vtrùm diuisio demonstrationis *quia*, & propter *quid* sit generis in species? pag. 354.

TRACTATVS IN ARIST. LOGICAM, AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS SCOTI.

IN Logica multa subiecta sunt, de quibus quæritur, an sint entia realia? An entia intentionalia, vel metaphysica? an sint entia rationis? Propter quòd necesse est, prius scire, quid sit ens reale? Quid Metaphysicum, seu intentionale? Et quid sit ens rationis? Nam omnia scibilia, quæ sub ente continentur, ad hæc tria scibilia reducuntur. Ideo hunc librum in tria capita dividemus.

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

De ente reali, & proprietatibus eius?

QVÆST. I.

Quid ſit ens reale? Et de proprietatibus eius?

1 ENs reale ſecundum Subtilem Doctorem in 1.d.36. *Eſt ens exiſtens extra cauſas*. Ens, eſt quid commune enti reali, & enti rationis. Per ly *exiſtens extra cauſas*, diſtinguitur ab ente rationis, quod non exiſtit extra cauſas; ſed tantum habet eſſe fictum ab intellectu.

2 Proprietates entis realis ſunt, verum reale, bonum reale, aliquid reale. Vnum reale, indiuiſum realiter à ſe, & diuiſum realiter à quolibet alio. Probatur, quia illud, quod eſt extra id, cuius eſt, & inſeparabile ab illo, eſt proprium: ſed iſtæ formalitates numeratæ, ſunt extra ens, exiſtés extra cauſas, & inſeparabiles ab eo: ergo ſunt proprietates eius.

QVÆST. II.

Vtrùm in Petro exiſtente exiſtat ratio hominis?

1 QVidam dicunt, quod nó: quia vnitas eſt paſſio entis. Sed ſola vnitas ſingularis exiſtit. Ergo non exiſtit in Petro natura hominis. Probatur minor, quia non datur vnitas formalis naturæ humanæ in Petro, quæ exiſtat à parte rei.

2 Vera ſententia eſt, naturam hominis, animalis, proprietates, & differentias earum, exiſtere à parte rei ante omnem operationem intellectus in Petro exiſtente. Ita Scotus in 2. d.3. q.1. à §. *Ad quæſtionem*. Et D. Th. lect. 3. ſuper 7. Metap. text. 44. vbi Philoſophus dicit: ſecundas ſubſtantias, quæ ſunt genera, & ſpecies, ſubſiſtere, & exiſtere in primis, nempe in Petro, & Paulo, qui ſunt primæ ſubſtantiæ. Quod probo, nam quando exiſtit totum exiſtunt partes: ſed Petrus eſt totum, conſtans ſingularitate, & natura humana, & exiſtit à parte rei. Ergo etiam exiſtit natura humana in illo, & omnia, quæ inclusa, & identificata ſunt cum illa.

3 Secundò, quia omnis relatio realis petit fundamentum, & terminum reale: ſed relatio identitatis, & relatio ſimilitudinis inter Petrum, & Paulum exiſtentes, ſunt

sunt reales, ergo fundamentum, & terminus sunt reale, sed fundamentum in Petro est natura humana, & terminus in Paulo est natura humana: ergo in Petro existente existit natura humana. Tertiò, quia actus ratiocinandi in Petro, supponit principium *quo* existens, à quo producitur. Sed Petrus. Existens habet actum ratiocinandi: ergo habet principiũ *quo* illius actus, existens. Istud principium est natura humana: ergo natura humana existit in Petro existente. Similiter probatur per sensationes, quas habet natura animalis existens. Item quia ista Petrus est homo, est vera: ergo sic est.

4 Obijcies natura hominis in Petro est communis. Sed nil commune existit. Quia secundum Eraclitum, & Cratilum, quidquid producitur â Deo in existentia, est singulare: ergo natura hominis in Petro non existit. Respondeo, quod natura hominis in Petro absolute, & simpliciter non est cõmunis; sed singularis, quia determinata est absolute, & existentia, & singularitate. Reduplicatiuè tamen, & ex se tantum, communis est. Ad minorem, sed nil commune existit, vt commune reduplicatiue, concedo, singularizatum nego. Natura hominis in Petro est singularizata, ideo est singularis. Quia secundum Scotum loco citato, natura realiter, ideſt existens, nunquam datur sine singularitate, & existentia.

5 Ad argumentum nego minorem, quia vnica existentia singulari existunt omnia, quæ sunt idem realiter cum illo: nempè naturæ, & proprietates, & differentiæ, nam verè à parte rei, nullo intellectu considerante, Petrus differt per rationalitatẽ ab equo.

QVÆST. III.

Vtrùm natura humana in Petro habeat vnitatem formalem, & realem, minorem vnitate numerali?

1 AD intelligentiam quæstionis nota, quod per vnitatem formalem intelligitur, quædam proprietas positiua, quę pululat à natura, virtute cuius proprietatis repugnat naturæ, diuidi in alia æqualia ipsi: sicut vnitas numeralis, est quædam ratio singularis Petri, virtute cuius repugnat Petro diuidi in alia singularia. Dicitur autem ista vnitas formalis, quia pululat ab essentia, quæ est forma Petri.

2 Hoc supposito, Torrejon lib. 2. de vniuersalibus disp. 1. q. 4. & Doctor Ioannes Martinez disp. 1. q. 3. dicunt: non esse in rerum natura vnitates formales; sed tantum numericas. Probant 1. quia Arist. 5. Metaph. text. 7. solũ numerauit, vnitatem generica, specificam, & numericam: sed generica, & specifica sunt per intelle-

tellectum, ergo sola numerice est à parte rei. Secundò, quia vnitas est passio entis; sed omnis entitas, quæ existit, est singularis: ergo omnis vnitas. Tertiò probat Torrejon, quia esse formale solũ conuenit rebus, dum sunt in intellectu. Ergo vnitas formalis solum conuenit rebus, dum sunt in intellectu: ergo non sunt á parte rei. Quia vnitas est passio entis.

3 Hanc sententiam secuti sunt P. Hurtado in Metaph. disp. 5. sect. 9. & Franciscus Alfonsus in Logica disp. 3. sect. 4. quam probat sic: nam quæcumque realis vnitas, quæ datur in rationalitate Petri, debet esse singularis, & numerica: ergo nõ formalis media. Antecedens probatur, quia per illam vnitatem realem rationalitas Petri est indiuisibilis in alia numero, in quibus numero multiplicetur, ergo est vnitas numerica. Antecedens probatur, quia illa vnitas non potest præstare rationalitati alium effectum.

§. I. *Refellitur ista opinio.*

4 Contra istos Auctores, primò pono dictum Caietani de Ente, & Essentia cap. 4. iq. 6. *Tàm vnitas numeralis, quàm formalis existit à parte rei, & extra animam. Hæc propositio est adeò manifesta, vt nullus sanè mẽtis possit eam negare, in Sorte enim præter omnem intellectus operationem apparet vtraque vnitas. Caret enim in se ipso diuisione numerali, & formali, causabili per propria principia, & communia. Et sic in diuisionẽ numeralem, & formalem habet.* In quo dicto hęc continetur ratio: Naturæ humanæ in sorte existente non solum repugnat diuidi in singularia; sed etiam repugnat diuidi in alias species sibi æquales. Sed repugnãtia ad diuidi, & multiplicari in singularia competit illi per vnitatẽ numericam tantum: ergo repugnantia ad diuidi formaliter in alias naturas æquales, competit illi per vnitatem formalem. Probatur minor, quia vnaquæque diuisio opponitur suæ vnitati. Ergo diuisio in plura non opponitur tantum vnitati numerali. Ergo vnitas numeralis non potest præstare naturæ humanæ alium effectum, nisi quod per illam repugnet naturæ humanæ diuidi in alia singularia.

5 Secundò arguo contra: vel natura humana existit in Petro existente, vel non? Si non existit, ergo à parte rei Petrus non est homo, neque habet principium ratiocinandi: quod est evidenter falsum. Ergo existit in Petro existente: & hoc concedit Franciscus Alfonsus, disp. 2. de Vniuersali n. 2. dicens: *certum est primo vniuersale fundamentaliter sumptũ dari à parte rei. Vt Petrus, Paulus, homo, equus.* Homo in Petro existit: ergo habet passionem existentẽ. Sed vnitas formalis est passio natu-

tæ humanæ, quia sicut fuerit ens à parte rei, ita est eius vnitas: ergo vnitas formalis datur à parte rei in homine existente in Petro.

§. II. *Vera sententia proponitur, & probatur.*

6 VT cum claritate procedamus, secundum terminos quæstionis. Respondeo per duas conclusiones. Prima est vnitas formalis datur à parte rei in Petro existente, ante omnem considerationem intellectus. Hæc conclusio est communis inter Scotistas, & Thomistas veros. Illamque probant duo argumenta facta contra Adnersarios, quia à parte rei repugnat naturæ humanæ existenti in Petro, quod diuidatur in alias naturas essentiales æquales. Sed natura existit, & proprietas conuertibilis cum illa est sua vnitas formalis. Ergo:

7 Præterea specialiter probat hanc conclusionem Scotus in 2. dist. 3 q. 1. à §. *prima via*, sic: Secundum Phil. 10. Metaphysicę *in omni genere est vnum primum, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt illius generis.* Istud vnum est reale: quia non potest esse mensura realium, nisi sit ens reale, sed indiuidua realia mensurantur illo vno: ergo illud vnum est reale. Ista autem vnitas non est singularis, vel numeralis ex se, quia nullum est singulare in genere, quod sit mensura omnium illorum, quæ sunt in illo genere: nam secundum Philos. 3. Metaphys. in indiuiduis eiusdem speciei, non est hoc prius, illud posterius: ergo est vnitas formalis.

8 Item, quia secundum Phil. cap. *De ad aliquid*, idem, simile, & æquale fundantur super vnum: ita quod licet similitudo habeat pro fundamento rem de genere qualitatis, relatio tamen non est realis nisi habeat fundamentum reale, & rationem proximam fundandi realem: ergo vnitas quæ requiritur in fundamento similitudinis est realis, non autem est numeralis, quia nihil vnum, & idem, est simile, & æquale sibi ipsi, ergo formalis.

9 Præterea vnius oppositionis realis sunt duo extrema realia. Contrarietas est oppositio realis, quod patet, quia vnum realiter destruit, & corrumpit aliud, circunscripto omni opere intellectus: & non nisi, quia sunt contraria; igitur vtrumque illud primũ extremum istius oppositionis realis, est vnum aliqua vnitate reali, sed non numerali, quia tunc præcise hoc album esset primum contrarium huic nigro, vel præcisè aliud album, quod est inconueniens, quia tunc essent tot contrarietates primæ, quot indiuidua contraria: ergo illæ vnitates sunt formales, & existentes.

10 Præterea vnius actionis sensus est vnum obiectũ secundum aliquam vnitatem realem: sed

ſed non numeralem : ergo formalem. Probatio minoris, quia potentia cognoſcens obiectum ſic, ſcilicet in quantum hac vnitate vnum, cognoſcit ipſum in quantũ diſtinctum à quolibet, quod non eſt hac vnitate vnum numeraliter: quod patet, quia nullus ſenſus diſtinguit, hunc radiũ ſolis differre numeraliter ab alio radio, cum tamen ſint diuerſi per motum ſolis, ſi circunſcribantur omnia ſenſibilia communia, puta diuerſitas loci, vel ſitus. Etſi ponerentur duo quanta ſimul omnino per potentiam diuinam, quæ eſſent omnino ſimilia, & æqualia in albedine, & quantitate, viſus non diſtingueret eſſe ibi duo alba : ergo cognoſceret vnum formaliter.

11 Secunda concluſio, vnitas formalis naturę humanę exiſtentis in Petro eſt minor vnitate numerali. Sic Scotus lococitato verſu *qualiter* in fine dicens: *& hoc modo intelligo naturam habere vnitatem minorem vnitate numerali.* Probo, quia vnitas, cui magis repugnat coniungi cum alia, eſt, maior, quã illa, cui non repugnat cõiungi cum alia, ſed vnitati numerali repugnat coniungi cum alia vnitate numerali, & vnitati formali non repugnat cõiungi cum vnitate materiali, ſi quidem de facto ſunt in Petro; ergo vnitas numeralis eſt maior formali, ergo formalis eſt minor. 2. Quia vnitas, quæ determinatur per aliam eſt minor, quam determinans, ſed vnitas formalis determinatur, per vnitatem numeralem, ergo *eſt minor vnitate numerali.*

§. III. *Reſpondetur argumentis.*

12 AD 1. argumentum concedo maiorem, ad minorem dico, quod natura generica, & ſpecifica poſſunt eſſe, vel in ſtatu coniunctionis cum exiſtentia, vel vt ſunt intentionaliter obiectiue in intellectu abſtrahente. Secundo modo, præſcindit à realitate, primo modo abſoluto eſt realis, & exiſtens, quia coniuncta cum exiſtentia.

13 Ad 2. Reſpondeo probare naturam eſſe ſingularẽ, quod concedo, quia habet vnitatem ſingularem; ſed non probat, non eſſe vnum vnitate formali : habet quidem vtramque vnitatem, & vtraque exiſtit vnica exiſtentia.

14 Ad 3. Reſpondeo, quod eſt duplex vnitas formalis, vna, quæ datur per intellectum, alia vnitas, quæ eſt paſſio naturæ: ſi natura exiſtit, neceſſe eſt, quod vnitas formalis eius, conuertibilis cũ illa, etiam exiſtat. Vnde illa maior Torrejon abſoluta eſt falſa. Poteſt tamen diſtingui, vnitas formalis eſt per intellectum, de vnitate formali rationis concedatur; de vnitate formali naturæ exiſtentis, negetur.

15 Ad illud Franciſci Alfonſi dico : quod medium eſt illimitatum ad concluſionem. Idcõ non ſequi-

sequitur, vnitas naturæ humanæ in Petro est singularis: ergo nõ est formalis. Quia vnitas realis in Petro diuiditur in numeralem & formalem; & habet vtranque, per numeralem repugnat illi diuidi in singularia, & per formalem diuidi in alias naturas sibi æquales. Vnde vnitas formalis in Petro est singularis singularitate, & formalis in quantum est proprietas naturę, & sicut natura humana nõ destruitur, ex eo, quod coniungatur singularitati: ita vnitas formalis nõ destruitur ex eo, quod coniungatur cum singularitate, & ita natura humana in Petro, & est vna formaliter, & est vna numericè, & realiter.

QVÆST. IV.

Vtrùm naturæ in singularibus sint de se singulares?

1 SVpponit hæc quæstio, quod absolute natura, quæ est singularizata, & existens, est singularis. Et quærit reduplicando, vtrùm de se sit singularis? Idest vtrum secũdum se includat singularitatem in sua quidditate? Marginista Scoti in 2. dist. 3. q. 1. pro parte affirmatiua citat Fratrem Adamum in 1. dist. 2. parte 1. & quodlibeto 5. q. 12. & tundamentum est, quod sicut natura habet verum esse extra animam, ita singularitas conuenit ei secundum verum esse, & ita ex se est singularis. Propter quod nõ est quærenda causa, quare natura est singularis, alia ab ipsa natura.

2 Sed hanc opinionem impugnat Scot. ab incõueniente. Quia obiectum in quantum obiectum est prius naturaliter ipso actu: & in illo priori antequam intelligatur obiectum, est de se singulare: ergo intellectus intelligens illud obiectum sub ratione communis, intelligit ipsum sub ratione opposita suæ rationi, quod repugnat.

3 Respondeo cum Scoto 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad quæstionẽ*, quod natura de se, vel secundum suam quidditatem non includit singularitatem, qua contrahitur. Quod probat Scotus per dictum Auicennæ 5. Metaphys. cap. 1. nempè, *quod equinitas tantum est equinitas, neque ex se vna numeraliter, nec plures numeraliter.* Et ratio est, quia nulla differentia materialis determinans naturã, est de eius essentia; sed singularitas est differentia materialis determinans naturam completam in sua quidditate: ergo natura in sua quidditate non includit singularitatem.

4 Ad argumentum Respon. Scotus, quod licet vnitas, & singularitas conueniant naturæ extra animam, cum hac tamen differentia, quod natura petit ab intrinseco vnitatem formalem, quæ est passio eius. Singularitas autem datur naturæ completæ à causa efficiente: ergo cũ supponat singularitas naturam completam, non potest esse de quidditate eius; sed con-

tingens naturæ.

5 Quæres ſuppoſito, quod natura, quę eſt in Petro de ſe, vel ſecũ dũ ſe nõ eſt ſingularis. An de ſe ſit communis & indifferens? Reſpondet Scotus ibi. Quod de ſe non eſt indifferens poſitiue, neque cõmunis poſitiue, quia hoc fit per relationem cauſatam ab intellectu, eſt tamen communis & indifferens negatiue, & reddit rationem, *quia natura de ſe eſt prior ipſo contrahente, & in quantum eſt prior naturaliter cõtrahente non repugnat ſibi eſſe ſine illo.* Et hęc eſt communitas negatiua, quia illùd cui nõ repugnat eſſe cũ hac, vel illa ſingularitate eſt indifferens negatiue. Sed naturę humanæ in Petro, vt eſt prior naturaliter differentia individuali contrahente, non repugnat eſſe ſine hac, vel illa ſingularitate, neque de ſe petit magis hanc, quam illã ergo eſt communis negatiue.

QVÆST. V.

Vtrùm natura in Petro, & ipſa Petreitas ſint vnum reale?

1 ET videtur quod non. Quod probo ex dictis nunc: quia natura in illo priori naturæ antequam contrahatur, poteſt eſſe ſine ſingularitate cum qua eſt, & illi nõ repugnat eſſe cũ alia: ſed id, quod poteſt eſſe ſine alio, non eſt vnum realiter cum illo: ergo natura in Petro non eſt idem realiter cum Petreitate. 2. Quia cõtingens eſt, quod natura humana, quæ eſt in Petro, cõiũgatur cum Petreitate, hæc patet, quia de ſe non petit petreitatem, item quia per volũtatẽ diuinã coniungitur cum illa. Sed quod eſt contingens alteri nõ eſt idem realiter cum illo: ergo natura hominis non eſt idem realiter cum Petreitate v.g. exiſtente.

2 Reſpondeo, quod quamuis via generationis naturę ſuperiores non includant differẽtias contrahentes, neque ſingularitatem hanc neque hanc exiſtentiam: tamen ex ſuppoſitione, quod exiſtãt ſunt vnũ realiter. Quia virtute exiſtentiæ fiunt idẽ realiter inter ſe, ita quod data exiſtentia implicat ex ſuppoſitione, quod nõ ſint idem realiter cum tercio, & inter ſe. Item quia illud eſt vnum realiter, quod dum exiſtit, eſt vnum reale in ſe, & diuiſum realiter à quolibet alio, ſic eſt in caſu ſuppoſitionis: ergo.

3 Ad argumenta reſpondeo, quod abſolute nõ repugnat, quod natura ex ſe coniungatur cum alia exiſtẽtia. Et quod abſolute eſt cõtingens, quod coniungatur cum illa, cũ qua exiſtit. Tamen ex ſuppoſitione, quod exiſtat natura: cũ illa ſint vnũ reale, & ex hac ſuppoſitione implicat, quod non ſint idem realiter.

4 Ex his habes, quod ſingulare reale, eſt quodam compoſitum ex natura, & exiſtentia, & vnum reale determinatum, quod eſt vnum reale in diuiſum in ſe, & diuiſum numeraliter à quolibet alio.

QVÆ-

QVÆST. VI.

1 VIso de vnitate reali, modo videndum est de distinctione reali illi opposita. Distinctum realiter, dicit de formali relationem realem separationis inter entia completa, & singularia actualiter existentia. Et sic *distinctio realis in abstracto est relatio realis separationis, vel separabilitatis inter singularia existentia.* Propter quod distincta realiter materialia sunt ea existentia indiuidua, quæ possunt habere illam relationem separationis.

2 Sed distincta realiter absolute, sine restrictione sunt ea indiuidua realiter existentia, quę relatione separationis opponuntur, vt Petrus, & Paulus.

3 Eaque, quæ realiter distinguuntur, tres conditiones desiderant, secundum Doctorem subtilem in reportatis Parisiensibus, 1. *dist*, 33. *q*. 2. §. *Dico ergo*. Vna est, quod sint in actu, prout actus opponitur ei, quod est in potentia obiectiua, antequam habeat existentiam. Secunda est, quod sint, non virtuliter, vt effectus est in causa, sed formaliter, & expresse. Tertia, quod nõ sint idem realiter. Ex quibus conditionibus probatur, quæ sint, quæ realiter distinguuntur. Nam ea, quæ existunt, non virtualiter, sed expresse, & formaliter extra causas, & non sunt idem realiter, distingnuntur realiter, sed Petrus, & Paulus sunt extra causas formaliter, & expresse, & non sunt idem realiter: ergo distinguuntur realiter,

4 Etsi quæras, vtrùm substãtia, & quantitas differant realiter in Petro? Respondeo, quod sic, quia existunt actu, & formaliter, & non sunt idem realiter: ergo distinguũtur realiter. Probatur minor, quoad tertiũ terminũ, nam quoad duos primos est certa: quia ea, quę sunt idem realiter, sic se habent, vt vnum non possit existere, non existente alio, sed potest existere quantitas in Eucharistia, non existente sua substãtia: ergo dum sunt in pane, non sunt idem realiter.

5 Quod si inquiras, vtrùm nõ substantia in Eucharistia, & quantitas distinguãtur realiter. (Idem est de extremis, quorum vtrũ existit, & alterum non existit) Respõdeo, quod non, quia relatio realis positiua petit vtrumque extremũ positiuum, & existens, sed relatio distinctionis realis est realis, & positiua: ergo petit vtrumque extremum reale, & positiuum, sed nõ substantia, non est extremum positiuum, & existens: ergo.

6 Dices, ergo non est bonum medium ad probandum distinctionem realem *non identitas realis*, quia inter non substantiã, & quantitatem in Eucharistia est non identitas realis; & tamen per me non distinguuntur realiter: ergo nõ est bonum mediũ ad probandũ distinctionẽ realem, illud, *non sunt idem*

realiter: quia non ſequitur: ergo *diſtinguuntur realiter*, & ego poſſui illud mediũ ad probandũ diſtinctionẽ realem. Reſp. quod illud mediũ, *non ſunt idem realiter*, ſic ſumptũ eſt inadæquatũ, tamen cõiunctum cum alijs conditionibus ibi poſitis, nempè, quod extrema exiſtant, & quod ſint nõ modo virtuali, ſed formali, & expreſſo, tunc medium eſt adæquatum, & antecedens. Et ego poſui illud cum illis omnibus conditionibus.

CAP. II.

De Vnitate formali, & diſtinctione formali.

VIſo de vnitate reali, & diſtinctione reali, nunc reſtat videre de vnitate formali, & de diſtinctione formali. Et primo videre oportet, quæ ſint idem formaliter in ſentire Scoti. Et poſtea de diſtinctione formali illi oppoſita.

QVÆST. I.

Quæ ſint vnũ formaliter, & quas conditiones requirat.

1 PRimo quæro, quid ſit vnitas, vel identitas formalis? Reſpondet Scot. in 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic reſtat.* n. 41. *voco identitatem formalẽ, vbi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud, cui dicitur ſic idem in ſua ratione formali, & per ſe primo modo*, v. g. inter hominem & animal eſt identitas formalis, quia homo includet animal, formaliter in primo modo in ſua ratione quidditatiua, & formali.

2 Quantum ad ſecundum quas conditiones requirat illud vnum formale? Reſpondeo ex Scoto in reportatis d. 35. quæſt. 2. §. *Ad quæſtionẽ.* Prima conditio requiſita eſt, quod illud vnum ſit realiter exiſtens. 2. quod ea ex quibus cõſtituitur illud vnum ſint exiſtẽtia. 3. quod non ſint in potentia; ſicut effectus in cauſa; ſed formaliter, vel expreſſæ extra cauſam. 4. quod vnum ex illis in ſuo eſſe quidditatiuo includat formaliter aliud, & aliud ſit ſic incluſum in quidditate alterius.

3 Ex quibus deducitur, quod homo, & animal, ita ſe habent in Petro exiſtẽte, quod homo eſt idẽ formaliter cum animali. Probo 1. ſunt idem realiter. 2. Exiſtunt, & non ſunt in potentia. 3. Non ſunt virtualiter in cauſa, ſed expresè. 4. Homo in ſuo eſſe quidditatiuo includit animal formaliter, & per ſe primo modo. Sed quãdo aliquæ realitates ſic ſe habent, illud quod includit aliud, dicitur idem formaliter cum incluſo: ergo homo eſt idem formaliter cum animali.

4 Ex his habes, quod quæ ſunt idem formaliter, ſunt idem realiter, & quod defacto præter idẽtitatem realẽ ſimpliciter, eſt etiã identitas formalis, vel idẽ formaliter, & aliqua, quæ ſunt idẽ formaliter.

QVÆ-

QVÆST. II.

Quid sit non vnitas formalis? & quas conditiones requirat?

1 QVantum ad primũ, quid sit non vnitas formalis? Resp. quod est negatio repugnantiæ ad essendũ idem formaliter. Probo, quia non idem realiter est negatio repugnantiæ inter aliqua individua realiter existentia, vt sint idẽ realiter: ergo non esse idem formaliter, est negatio repugnantiæ inter aliquas realitates existentes, vt sint idem formaliter. 2. Quia esse idem formaliter, & nõ esse idẽ formaliter sunt termini contradictorij repugnantes. Sed non esse idem formaliter, est negatio: ergo negatio repugnãtiæ. 3. Quia negatio repugnantiæ est illa, quæ nititur, & præsupponit aliquã entitatẽ positiuã, virtute cuius illi repugnat, esse. Sed sunt aliquę realitates virtute quarũ repugnãt, quod sint idem formaliter, quãuis sint idem realiter: ergo illis sequitur negatio repugnantiæ adesse idẽ formaliter. Probatur minor, quia rationi individuali repugnat, quod includatur in primo modo, & quidditatiuè in natura specifica. 4. Proprietati repugnat per suã entitatẽ esse formaliter, & quidditatiuè, vt pars quidditatis in sua natura specifica, quod patet, quia Aristot. 1. Topicorũ cap. 4. inquit: *Proprium est, quod indicat, quidquid est rei. Soli autem inest, & conuersim prædicatur*, quod indicat essentiam, & inest illi, iam supponit essentiam constitutam in suo esse. Sed quod supponit essentiam in suo esse constitutam, non potest esse formaliter, & quidditatiuè in illa: ergo per suam realitatem repugnat illi naturæ, cuius est propriũ, esse formaliter, & quidditatiuè in illa, & quod quidditas includat illã proprietatem tanquam partem formalem, & quidditatiuam eius. Idem dicit Porphirius cap. de proprio. *Quarto modo dicitur proprium, quod accidit soli alicui speciei, & omni, ac semper*, quod accidit naturæ specificæ supponit illam in suo esse quidditatiuo.

2 Quantum ad secũdum, quas conditiones requirat non identitas formalis? Respõdeo. Prima est quod illa, quę non sunt idem formaliter, sint idẽ realiter. 2. Quod existant. 3. Quod non sint virtualiter in causa, sed extra. 4. Quod vnum non includatur in alio formaliter, & quidditatiue per se primo modo. Et ratio est, quia identitas formalis, & non idẽtitas formalis opponuntur contradictoriè: ergo debent habere aliquam conditionem oppositam repugnantem: sed identitas formalis petit, quod, quæ sunt vnum formaliter, vnum includat formaliter, & quidditatiuè aliud, & aliud sic includatur. ergo nõ identitas formalis petit, quod illæ realitates, inter quas reperitur, sic se habeant, quod vna nõ includat formaliter, & quidditatiuè aliã, neque è conuerso.

uerso. Et quod sint talis conditionis, vt ex realitatibus suis repugnet, & quod vna includat alteram formaliter, & quidditatiue in primo modo: eo quod alteri repugnet sic includi.

QVÆST. III.

De distinct. formali ex natura rei.

1 HIc non intendo, nisi declarare, quid intelligatur per distinctionē formalem ex natura rei secundū mentē, & doctrinam Scoti. Et primo notandum, quod sicut distinctio realis simpliciter sine aliqua restrictione, quæ reperitur inter Petrū, & Paulū opponitur idētitati reali: ita quod repugnet, quod ea, quæ distinguuntur realiter inter se, sint idem realiter: Ita distinctio ex natura rei formalis opponitur identitati formali: Ita quod repugnet, quod id, quod distinguitur formaliter ex natura rei ab alio, sit idē formaliter illi. Quid autē sit identitas formalis, & quas cōditiones requirat dictū est q. 1. huius capitis. Repugnat quidē, quod ea, quæ distinguuntur inter se sint vnum, eo modo, quo sunt distincta.

2 Hoc supposito primo inquiro, quid sit distinctio ex natura rei formalis secundum intelligentiam Scoti? Et respondeō, *quod est oppugnantia inter duas realitates, quæ sunt vnum simpliciter reale, & repugnantes ex natura rei, vt sint vnum formaliter.* Sicut distinctio realis est oppugnantia inter duas res completas, & existentes, quæ repugnant inter se virtute alicuius entitatis positiuæ, vt sint idem realiter. Vt Petrus, & Paulus distinguuntur realiter simpliciter sine addito diminuente, virtute singularitatum: nam quælibet singularitas constituit vnum reale simpliciter indiuisum in se, & diuisum realiter à quolibet alio.

3 Istæ duæ distinctiones conueniunt in oppugnantia: differunt tamen in hoc, quod oppugnantia distinctionis realis habet pro fundamento ea, quibus repugnat esse idem realiter entitatiuè, & pro termino esse idem realiter. At oppugnantia distinctionis formalis ex natura rei habet pro fundamento realitates, quæ existunt actu, & formaliter, hoc est expresè extra causas, & sunt idem realiter inter se, & ex ratione sua positiua repugnat esse idē formaliter, hoc est, quod vna includatur in alia formali inclusione quidditatiue in primo modo, vt dictū est; & pro termino identitatē formalē, iam dictā.

4 Quæro 2. quas conditiones requirat distinctio ex natura rei formalis? Scot. in reportatis 1. distin. 33. q. 2. §. *Dico ergo ad quæstionem*, solum intendit ibi, quod inter essentiam diuinam, & paternitatem est non identitas formalis, vt patet ex illis verbis, *inter essentiā, & proprietatē est nō idētitas formalis.* Et ad non identitatem formalem has posuit conditiones. 1. *Conditio est, quod non sint in potentia, sed in actu.* 2. *Quod*

non

non habeant esse virtuale tantum sed explicitè. Tertiò, quod sint idē realiter. Quartò, quòd vna realitas non includat aliam formaliter & quidditatiuè aliam in primo modo.

5 Tamen distinctio formalis positiua aliam requirit conditionem specialem distinctam a numeratis: nam iste terminus *nō idētitas formalis*, & iste, *non idem formaliter* sunt negativi, & ita de formali significant negationem inclusionis formalis, & quidditatiuæ in primo modo dicendi per se, & negationem istius identitatis formalis. (illud includitur in alio formaliter, & quidditativè in primo modo, quòd est natura generica respectu specificæ. Et sic homo includit formaliter, & quidditatiuè in primo modo naturam animalis.) At iste terminus *distinctio formalis* est positiuus, ideo significat pro formali aliquid positiuum.

6 Dico ergo, quòd ad distinctionem formalem ex natura rei istæ conditiones requiruntur. Prima est, quod ea, quæ distinguuntur sic, sint actu existentia, & in hac conditione conueniunt ea, quæ distinguuntur realiter, & ea, quæ distinguuntur formaliter. Secunda conditio est, quòd non sint virtualiter, sicut effectus in causa; sed explicitè: & in hac conditione conueniunt, quæ distinguuntur realiter simpliciter, & quæ distinguuntur realiter formaliter, cum addito diminuente. Tertia est, quod sint idem realiter simpliciter. Et in hac conditione distinguuntur, quæ distinguuntur realiter formaliter ab his, quæ distinguuntur realiter simpliciter. Nam, quæ distinguuntur realiter simpliciter non possunt esse idem realiter. Quarta cōditio est, quòd inter ea, quæ distinguuntur realiter formaliter sit repugnantia positiua, vt sint idem formaliter, & quidditatiuè in primo modo.

7 Et quamuis non esse idem formaliter, & quidditativè, sit proprietas earum realitatum, quę existunt explicitè, & sunt idem realiter inter se, & etiam repugnā tia ad essendum idem formaliter, & quidditatiuè in primo modo, sit proprietas earundem realitatum; tamen, non esse idem formaliter, & quidditatiuè in primo modo, est proprietas negatiua, at repugnantia ad essendum idem formaliter, & quidditatiuè, in primo modo, est proprietas positiua.

8 Quod ostendo sic, demus, quod risibilitas sit propria passio inseparabilis ab homine, qui est in Petro existente. Natura humana existit in Petro, etiam risibilitas existit in Petro, & non sunt in eo virtualiter, sed explicitè, & sunt idem realiter inter se, quia sunt idem realiter in tertio. Tādē risibilitati repugnat, quod sit formaliter, & quidditatiuè in primo modo in homine; quia supponit ipsam naturam humanam,

cuius

cuius est passio, cõpletam, & perfectam in suo esse quidditatiuo, & essentiali. Item repugnat, quod natura humana sit de quidditate formali in primo modo risibilitatis, quia quod est quid completum, non potest esse genus respectu proprij. Ecce quod repugnantia ad essendum idem formaliter est proprietas positiua illarũ formalitatum, seu realitatum, quæ sunt idem realiter inter se; & distinguuntur formaliter ante operationem intellectus.

9 Obijcies: ergo Scotus processit diminute in tractatu de distinctione ex natura rei formali. Patet consequentia, quia solum dat conditiones, quibus probaretur solũ non identitas formalis. Item quia nunquam probauit nisi non idẽtitatem formalem, quia in 1. dist. 2. q. 7. §. 2. *Oportet*, versu *breuiter*, sic resoluit: *Breuiter igitur dico, quod in essentia diuina ante actum intellectus est entitas A. & entitas B. & hæc non est formaliter illa; ita quod intellectus Paternus considerans A. & considerãs B. habet ex natura rei vnde ista compositio sit vera A. non est formaliter B.* Et in reportatis dist. 33. quæst. 2 §. *Dico ergo ad quæstionem*, inquit: *inter essentiã, & proprietatem est non identitas formalis.* Respondeo negãdo cõsequentiam: quia sua intentio solum fuit probare, non identitatẽ formalem, & hanc impleuit, & probauit. Nolluit quidem probare distinctionem ex natura rei formalem positiuam; quia erat nouum illis temporibus, & nolluit transire ad extremum positiuum.

10 Etiã quæras, quomodo probatur fortiter distinctio realis formalis (quæ dici potest distinctio realis secundum quid, quia distinctio realis absolute est distinctio simpliciter) Respondeo quòd per conditiones ad illam requisitas; sic: illa, quæ existunt actu, & expresse, & sunt idem realiter inter se, & repugnat ex realitatibus suis, quod vna sit formaliter, & quidditatiuè in primo modo dicendi per se in alia, & èconuerso. Distinguuntur, & realiter formaliter, & positiuè ante operationẽ intellectus: sed humanitas, & risibilitas in Petro sunt actu, & expresse, & idem realiter cum Petro, & repugnat, quod vna sit formaliter, quidditatiuè, & in primo modo dicendi per se in alia, & èconuerso: ergo distinguũtur realiter non absolutè, sed formaliter; vel realiter secundum quid. Et ita ista distinctio formalis inter realitates existentes cum dictis conditionibus est minor distinctione reali simpliciter, & est media inter distinctionem realem simpliciter, & distinctionem rationis.

CAP.

CAP. III.

De identitate, & distinctione graduum in subiecto existẽte creato.

TOta doctrina præcedens posita est hac intentione, vt videamus identitatem, quæ reperitur inter gradus rei completæ existentis, item, vt videamus distinctionem, quæ inter ipsos gradus reperitur ante omnem considerationẽ intellectus, & hoc iuxta mentẽm Scoti, ideſt iuxta Doctrinam eius. Et postea videbimꝰ mentem Thomistarum; & tunc cognoscetur, in quo opponuntur. Subiecta istius disputationes, sunt creata, vt doctrina, quæ fuerit probata, deseruiat, ad Logicã.

QVÆST. I.

Quam identitatem habent homo, & animal in Petro?

1 REspondeo primò: habent identitatem realem: ita quòd natura animalis est idem realiter cum natura hominis in Petro existente, & natura hominis in eodem Petro est idem realiter, cum natura animalis. Probatur, quia vtraque natura existit in Petro existente, quia existente toto, partes eius existunt: sed natura hominis est pars Petri, & natura animalis pars est naturæ humanæ: ergo existunt. Præterea implicat, quòd existente Petro separentur: quia implicat, quòd sit totum, & non sint partes vnitæ. Sed quæ existunt inseparabiliter de potentia Dei, sunt idem realiter: ergo natura hominis, & animalis in Petro existente sunt idem realiter.

2 Respondeo secundò, natura hominis, & animalis in Petro, non distinguuntur realiter. Probo, vnum, & idem realiter opponitur repugnãter distinctioni reali: quia implicat, quòd vnum, eo modo quo est vnum, sit distinctum. Sed natura hominis, & animalis sunt vnum, & idem realiter in Petro: ergo implicat, quòd in Petro distinguantur realiter.

3 Respondeo tertiò, natura hominis in Petro est idem formaliter naturæ animalis. Probo ex diffinitione identitatis formalis, quam dedit Scotus 1. distinct. 2. q.7.§. *Sed hic restat.* nu. 41. *voco identitatem formalem, vbi illud, quòd dicitur sic idem, includit illud, cui dicitur sic idem, in sua ratione formali, & per se primo modo.* Sed natura hominis in sua ratione formali includit per se primo modo naturam animalis: ergo natura hominis in Petro est idem formaliter naturę animalis, vel cum natura animalis.

4 Respondeo quartò, natura ani-

animalis in Petro, non eſt idem formaliter naturæ hominis. Quia ſecundum deſcriptionem Scoti, *identitas formalis eſt, vbi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud, cui dicitur ſic idem in ſua ratione formali, & per ſe primo modo.* Sed natura animalis in ſua ratione formali non includit per ſe primo modo naturam hominis: ergo natura animalis nõ eſt idem formaliter naturæ hominis in Petro exiſtente. Minor probatur, quia primum non includit formaliter poſterius.

5 Reſpondeo quintò, homo & animal ſunt idem identitate formali non adæquata. Ita Scot. in reportatis, diſtinct. 33. q. 2. §. *Exemplum*, dicens: *definitio, & definitum ſunt idẽ identitate adæquata: ſed homo, & animal ſunt idem identitate non adæquate, duplicitèr. Primo, quia animal ad plura ſe extendit. Secundo, quia homo plus includit, puta rationale.* Præterea probo hac ratione, quia illa ſunt idem formaliter idẽ titate adæquata, vel mutua, quãdo vnũ in ſua ratione formali includit aliud in primo modo, & quando illud aliud includit iſtud alterum per ſe, primo modo in ſua ratione formali. Vel ſic quando mutuo ſe includunt in ſuis rationibus formalibus in primo modo. Sed homo includit animal in primo modo in ſua ratione formali, & animal non includit hominem per ſe primo modo in ſua ratione formali: ergo non ſunt idem formaliter adæquatè, & mutuè.

6 Reſpondeo ſextò, homo, & animal in Petro exiſtente non diſtinguuntur ex natura rei formaliter diſtinctione poſitiua. Quia diſtinctio formalis poſitiua petit, quòd vtrique extremo repugnet, quod ſe includant formaliter in primo modo; ſed naturæ hominis, non repugnat includere in ſua ratione formali, & eſſentiali, naturam animalis, potius habet iſtã incluſionem ſimpliciter: ergo, nõ diſtinguuntur formaliter poſitiuè, ad inuicem, nec mutuè.

7 Reſpondeo ſeptimó, naturã animalis in Petro exiſtente, diſtinguitur ex natura rei formaliter, quantum eſt expar te ſua non mutuè, vel inadæquatè. Probo, quia adhoc, vt vnum diſtinguatur ex natura rei formaliter ab alio, quantum eſt ex parte ſua, & non mutue, ſufficit, quod exiſtant, & expreſse, non virtualiter, vt effectus in cauſa, quod ſit idem realiter, & quod vni ex parte ſua repugnet eſſe idẽ formaliter alteri, vel cum altero. Sed naturæ animalis hæ conditiones competunt in Petro exiſtente reſpectu hominis. Quia ſuperiori repugnat includere in ſua quidditate inferius: ergo. Et quidem homini non repugnat includere animal in primo modo: immó de neceſſitate illud includit.

8 Tandem dico; quod ſe habent,

bent, vt excedens, & excessum ad inuicem, quia animal excedit hominem in latitudine, eo quòd ad plura se extẽdit. Et homo excedit animal; quia plus includit, puta, rationale. Nam, vt dixit Porphyrius cap. de Differentia: *Differentia est, qua species excedit genus.* Et finaliter etiam se habent, vt includens, & inclusum. Nam ante operationem, & considerationem intellectus. Species includit naturam genericam, & naturâ generica includitur in specifica. Homo includit animal ex natura rei, & animal includitur in homine.

QVÆST. II.

Quam identitatem, & distinctionem habeant animal, & rationalitas in Petro?

1 REspondeo primò, quod sunt idẽ realiter inter se; quia quando implicat, quod aliqua quæ sunt in tertio, separentur realiter, sunt idem realiter; sed implicat, quod existente Petro, animal, & rationalitas, quæ sunt in ipso, separentur: ergo sunt idem realiter inter se.

2 Respondeo secundò, nõ distinguntur realiter. Quia vnum, & distinctum opponuntur, ergo vnum realiter, & distinctum realiter opponuntur: sed sunt vnum, & idem realiter in Petro existente: ergo vt sunt in illo, non distinguuntur realiter.

3 Respondeo tertiò, non sunt idem formaliter inter se. Quia quãdo vnum in sua ratione formali includit aliud formaliter, & quidditatiuè per se in primo modo, & è contrario, sunt idem formaliter; sed rationalitas non includit animal, in sua ratione formali inclusione quidditatiua in quid. Neque hoc modo animal includit rationalitatem. Ergo non sunt idem formaliter. Minor probabitur, cõclusione sequenti. Ista conclusio est Scoti in reportatis 1. distinct. 33. q. 2. § *Item in formis*, vbi dicit: *item in formis accidentalibus eadem est entitas simpliciter, à qua accipitur genus, & differentia, aliter enim albedo, nõ esset forma simplex, sed haberet in entitate sua compositionem rei à re: & tamen entitas à qua accipitur genus, & differentia non est eadem formaliter.* Et in fine §. antecedentis dicit: *in creaturis potest inter aliqua esse simpliciter identitas, & tamen non formalis.*

4 Respondeo quartò: inter animal, & rationalitatem in Petro existente, est distinctio formalis ex natura rei ante omnem operationem intellectus, intelligendo ly *formaliter*, vt intelligitur à Scoto, nempe pro repugnantia ad includi formaliter, & quidditativè in primo modo. Probo sic, quando aliqua existunt, & habent in se esse explicitum, & non virtuale, vt effectus in causa, & sunt idem realiter simpliciter, &

repugnat, quod sint idem formaliter, hoc est, quòd se includant ad inuicem in quid, & primo modo, distinguuntur formaliter ex natura rei, sine consideratione intellectus. Sed animal, & rationalitas in Petro existente sic se habent: ergo. Probo minorem, Primo de animali, nam existit actu in Petro, & explicitè, & non virtualiter, vt effectus in causa, & est idē realiter simpliciter cum rationalitate; & illi repugnat, quod in sua ratione formali, & quidditatiua includat in quid primo modo, & formaliter rationalitatem. Ergo distinguitur formaliter ex natura rei à rationalitate ante considerationem intellectus. Omnes illæ conditiones patent. Præter illam repugnantiæ ad essendū formaliter inclusiuè in quid; quā probo sic. Implicat, quod illud, quod est prius, & completum in sua quidditate, includat formaliter, & in quid primo modo in sua ratione formali id, quod est posterius. Sed animal via originis, & compositionis, in sua quidditate est prius rationalitate: ergo implicat, quod animal in sua quidditate includat rationalitatem.

5 Secundo, probo de rationalitate, quod distinguatur ex natura rei positiue ab animali ante omnem operationem intellectus. Nam rationalitas in Petro existente existit actu, & est expressè extra suam causam, & est idem realiter cum animali, quæ patet: & repugnat illi includere formaliter, & in quid naturam animalis, quam conditionem probo. Ex Arist. 4. Topicorum cap. 2. *Manifestum est, quod non participat genus, differentia*; hoc est, manifestum est, quod differentia non includit genus; item ratione. Nam repugnat, quod vltima differentia includat genus: quia vltima differentia est illa, quæ in nullo in quid conuenit cum alia, quia tūc esset vltima differentia, & non, quod est contradictio. Sed rationalitas est vltima differentia in linea quidditatis: ergo implicat, quod in sua ratione obiectiua includat animal in quid primo modo. Item, quia rationalitas, vel includit in quid formaliter, & in primo modo animal, vel non? Si nō, habeo intentum: si dicas, quod sic: ergo differentia componitur ex genere, & differentia; ergo differentia, quæ est ratio constituendi hominem, antequam cōstituat hominem, est homo, quòd implicat; nam tunc esset ex natura rei ratio constituendi hominē, & nō esset ratio constituendi hominē.

6 Ex his manet probatum, quod differentia essentialis distinguitur ante operationem intellectus formaliter à natura animalis in Petro: & quod natura animalis in Petro distinguitur ante operationē intellectus à differētia formaliter positiue; quia repugnat ad inuicem, quod se includant formaliter; & quidditatiuè,

cæ-

cæteris conditionibus adiunctis. Et nota quod quidquid dictum est, de animali, & rationali, dicendum est de omni natura generica, & differentiali, & de natura specifica, & differentia individuali in individuo existente, quia eadē est ratio.

7 Habes etiā ex dictis, quòd natura generica, & differentia, illam diuidens, sunt simul idem, & distinctæ in diuersis lineis; nam sunt idem realiter inter se identitate reali simpliciter: & sunt distinctæ ante operationem intellectus distinctione formali, cū addito diminuente; & sic, vt terminis vtar Scoti, prima distinctio realis, quæ opponitur identitati reali simpliciter, dicitur distinctio realis simpliciter, & distinctio ex natura rei formalis, dicitur realis secūdum quid, vt patet in repertatis 1. dist. 33. q. 2. per totam.

QVÆST. III.

Quam identitatem & distinctionem habeant inter se natura specifica, & proprietas quarto modo?

1 FActa comparatione inter naturam superiorē, & inferiorē, item inter naturā generic am, & rationem differentialem proximā. Nunc in præsenti fit comparatio inter naturam specificam, & proprietatem inseparabilē. Et vt determinetur subiectum ad maiorem claritatē, sit inter naturam humanam existentem in Petro, & risibilitatem, supponendo, quod risibilitas, vel risibile formaliter sit proprietas hominis inseparabilis.

2 Resp. 1. natura humana, & risibilitas in Petro existente sunt idem realiter: quia quæ existunt in tertio, ita quod de potētia absoluta non possunt separari durante tertio, sunt idem realiter inter se. Sed in Petro existente, natura humana, & risibilitas, existūt ita, quod de potentia Dei non possunt separari manēte Petro: ergo sunt idem realiter inter se. Alioquin proprium inseparabile, esset separabile.

3 Respondeo secundò: natura humana in Petro existente, & risibilitas, non distinguuntur realiter simpliciter, quia quæ sunt idem realiter simpliciter, non possunt distingui realiter simpliciter. Alioquin essent idem realiter simpliciter, & distinctæ realiter simpliciter. Sed natura humana in Petro existente, & risibilitas sunt idem realiter simpliciter: ergo non distinguuntur realiter simpliciter.

4 Respondeo tertiò: natura humana, & risibilitas in Petro existente non sunt idem formaliter ante operationē intellectus: nam illa sunt idem formaliter ante operationem intellectus, quæ existunt, & explicitè, & sunt idem realiter inter se, & vnum in sua ratione formali includit aliud formaliter in primo modo. Sed

natura humana, & risibilitas in Petro licet existãt, & expresè: quia sunt extra causis, & sint idem reale, vna nõ includit alteram in sua ratione formali formaliter, & in primo modo dicendi per se: ergo non sunt idem formaliter. Habẽt quidem non identitatem formalem. Minor patebit conclusione sequenti.

5 Respondeo quartò: natura humana & risibilitas in Petro existente distinguuntur formaliter ante operationem intellectus, probat. distinctio formalis opponitur identitati formali per inclusionem formalem toties repetitam. Probo, quia illa, quæ existunt, & sunt, non virtualiter, vt effectus in causa, sed explicitè, & sunt idem realiter inter se; & repugnat, quod vnum in sua ratione formali includat aliud in quid, & in primo modo, distinguuntur formaliter positiuè ante operationem intellectus. Sic sunt natura humana, & risibilitas in Petro: ergo distinguuntur ante operationẽ intellectus distinctione formali oppolita identitati formali per inclusionem primo modo.

6 Minorem probo, de natura humana. Ista existit, quia totum compositum ex ea, & singularitate existit. Item, est explicitè, quia est extra causas. Item est idem realiter cum risibilitate, vt probatum est. Tandem habet cõditionẽ completiuæ distinctionis formalis, nempè repugnantiã, vt sit idem formaliter risibilitati per inclusionẽ, quia probo, quia repugnat, quod illud, quod prius est cõpletũ in suo esse quidditatiuo, includat formaliter in sua quidditate, in quid, & primo modo, illud, quod est posterius. Sed via generationis est prius natura hominis, quam proprietas, nempe quam risibilitas, in sua ratione quidditatiua completa: ergo repugnat, quòd natura humana, risibilitatem includat in quid formaliter, & primo modo. Repugnantia stat in hoc, quòd si natura hominis includeret formaliter, & in quid primo modo, tunc natura humana esset prius, & non esset prius ipsa risibilitate.

7 Illam minorẽ probo ex parte risibilitatis in Petro, quia existit, eò quòd natura, à qua pullulat, existit. Et expresè, quia non est virtualiter, vt effectus in causa, & est idem realiter cum natura humana, vt probatum est. Tãdem illi repugnat includere formaliter in quid primo modo naturã humanã: quia si includeret illam sequeretur, quòd natura humana esset generica; quia illi soli cõperit, includi per se primo modo; & non esset natura generica, quia est specifica. Itẽ, si proprietas in sua ratione formali includeret quidditatiuè, & in quid primo modo naturã, cuius est proprietas, sequeretur, quod proprietas, nempè risibilitas, esset cõposita ex risibilitate, & natura humana. Et tunc natura

ra humana esset communis respectu risibilitatis. Et tunc risibilitas esset ex natura rei conuertibilis cum illa, quia proprietas: & non esset conuertibilis cum illa, quia natura humana esset communis illi: ergo repugnat, quod risibilitas includat in sua ratione formali naturam humanam formaliter, & inquid primo modo.

8 Dices, quod natura humana & risibilitas à parte rei sunt vnum realiter, & quod quando intellectus percipit naturam humanã formaliter secundum illam formalitatem, & risibilitatem secundũ suam rationem formalem, facit intellectus per illas præcisiones distinctionem, quam in re non habent, quia in re non sunt præcisæ, sed vnitæ: ergo ista distinctio formalis non est in re, ante operationem intellectus, sed fit per intellectus operationem.

9 Respondeo, quod istud argumentum multos intellectus cõfundit; sed diluendũ est sic, notando, quod quando probamus veritatem, adhuc rei singularis, & existentis procedimus logicè, hoc est vtendo instrumento logico principali quod est syllogismus, iste componitur propositionib⁹, istæ ex subiecto, & prædicato, & non potest esse subiectũ, & prædicatũ nisi sint abstractiones, & præcisiones. Et vtimur præcisionib⁹, & reduplicationibus, ad significandũ, quo modo se habeant in re singularitas, vt talis, & natura vt talis. Quis neget, quod singularitas ex natura rei sit ratio cõstituẽdi singulare, & quod humanitas ex natura rei non sit ratio determinata singularitate, tamẽ ea, quæ sunt in re ante operationem intellectus, non possumus probare nisi faciendo istas reduplicationes, & præcisiones.

10 Vnde valde notandum est, quod est modus rei conceptæ, & est modus concipiendi ex parte intellectus. Modus rei concepte intrinsecus, competit illi ex natura rei, quinõ potest illi deficere, vnde quando ex parte rei conceptæ, & cognitæ, ex natura rei ante cognitionẽ intellectus est aliquis mod⁹, qui vni ex partibus cõponẽtib⁹ cõpetit, & nõ aliæ, cognosco illã partẽ, vt partẽ habere talem modum, sed cognitio, neque facit illam partem rei partem illius, neque tribuit illi illum modũ. Quare animali cõpetit ex natura rei repugnantia ad includendum inquit rationalitatem: & etiam rationalitati repugnat ex natura rei includere in quid rationem animalis. Et has rationes cognoscit intellectus diuinus, immo & Angelicus, intuitiue sine reduplicationibus. Sed à nobis, qui cognoscimus has realitates, non intuitiuè, sed abstractiuè non possunt probari sine abstractionibus, & reduplicationibus. Tamẽ iste modus cognoscendi nobis cõueniens pro statu isto, non dat distinctionẽ ex natura rei realitatibus; sed solum seruit ad cognoscendum distinctionem

rem formalem, quam habent inter ſe per repugnantiam, quam habent ex natura rei, vt includantur formaliter, inquid, ſecundum ſuas realitates: & probandum illam.

QVÆST. IV.

Vtrùm dentur præciſiones obiectiua, vel formales?

HIc ſe offert bona occaſio tractandi iſtam quæſtionẽ. Quia reſolutio eius pendet ex dictis, an ſit aliqua diſtinctio obiectiua actualis, & expreſſa ante omnem operationem intellectus.

2 Præciſio eſt idem, quod diuiſio, præciſio diuiditur in formalẽ, & obiectiuam. Præciſionem formalem vocant Thomiſtæ actum intellectus, quia eſt formalis actus præſcindens, & diuidens actualiter ea, quæ in obiecto non ſunt actualiter diſtincta, vt quando cognoſco in Petro animal, vt diſtinctum à rationalitate.

3 Diuiduntur tamen inter ſe, quia in caſu poſito de animali, & rationalitate, cõmuniter Thomiſtæ dicunt: iſtam præciſionem formalẽ præſupponere ex parte obiecti, diſtinctionem, vel præciſionem virtualem, quare præciſio formalis, & actualis, qua fit diſtinctio actualis inter illa prædicata, dicitur ab illis cum fundamento virtuali in re.

4 At plures ex Ieſuitis dicunt illa prædicata, nullam habere in re diſtinctionem, neque virtualem, ſed omnia in Petro eſſe vnam realitatem: quare ſolũ agnoſcunt præciſionem formalem ſine fundamento adhuc virtuali in re.

5 Præciſio obiectiua eſt, quando ex parte obiecti, inter animal, & rationale, v. g. ante omnem operationem intellectus eſt aliqua diſtinctio ex natura rei, quod ſi diſtinctio ex natura rei ſit actualis, nõ virtualis, ſed expreſſa inter realitates, quæ habent eſſe actuale, & nõ modo virtuali, vt eſt effectus in cauſa, ſed expreſe: itaquod vna realitas nõ includat aliã in ſuo cõceptu quidditatiuo obiectiuo: tunc eſt præciſio obiectiua expreſſa ex natura rei antequam intellectus faciat illam: quę etiam poteſt dici præciſio formalis obiectiua, quia *formalis* in hac acceptione idem eſt quod expreſſa.

6 His poſitis aliqui Ieſuitę dicunt non dari præciſionem obiectiuam. Fundamentum eſt, quia ex parte obiecti nulla eſt diſtinctio inter prædicata, ſed quando non eſt diſtinctio aliqua ex parte obiecti, non eſt præciſio obiectiua: ergo. Ex hoc deducunt non eſſe niſi præciſionem formalem intellectus, quia ſuo actu præſcindit, & diſtinguit ea, quæ ex ſe nullo modo ſunt diſtincta.

7 Thomiſtę vero dicunt etiam non eſſe præciſionẽ obiectiuam actualẽ, ſed tãtũ virtualẽ. Fundamẽtum eſt, quia ex parte obiecti non eſt diſtinctio actualis, ſed tantum

vir-

virtualis. Et ideò præcisio formalis, fit ab actu intellectus, actualiter, & formaliter distinguente illa prædicata.

3 Scotistæ autem tenent dari præcisionem obiectiuam. Medium probandi est, quia quando est ex parte obiecti distinctio actualis, & expressa inter realitates ante operationem intellectus est præcisio obiectiua, sed inter animal, & rationalitatem ex parte obiecti est distinctio actualis, & expressa ante operationem intellectus, vt fortiter probatum est: ergo est præcisio obiectiua inter illa prædicata. Et hoc medium non solum probat conclusionem, sed impugnat oppositam, & cum eo solvuntur argumenta opposita.

CAP. IV.

De esse Essentiæ.

QVæritur primò, quid est esse essentiæ? Respõdeo cum Scoto in 2. dist. 3. q. 1. §. qualiter, *quod est esse quidditatiuum rei tantum*, quod probat per dictum Auicenæ 5. Metaphys. cap. 1. dicentis: *quod æquinitas tantum est æquinitas.*

Quæritur secundo. Vtrùm esse essentiæ sit de se singulare? Resp. cum Subtili Doctore ibi, quod nõ. Quod probat per dictum Auicenę ibi dicentis, quod de se non est singularis. Secundò probatur ratione, quia nullum materiale est de quidditate formali essentiæ; sed singularitas secundum omnes est quid materiale: ergo non est de quidditate essentiæ: ergo essentia de se, vel secundùm se non est singularis. Tertiò, quia quod supponit essentiam, non potest esse de quidditate essentiæ, neque essentia præsuppositа in suo esse quidditatiuo, potest includere in suo esse, quod est posterius, sed esse essentiæ secundum suam quidditatem completam est prius singularitate: ergo esse essentiæ non est de se singnlare.

Quæritur tertiò. Vtrùm esse essentiæ sit prius singularitate, & existentia? Respondeo cum subtili Doctore ibi, quod sic. Quia via generationis, quod contrahitur & determinatur, est prius ratione cõtrahente; sed esse essentiæ contrahitur, & determinatur singularitate, & existentia: ergo est prius singularitate, & existentia.

Quæritur quartò. Vtrùm esse essentiæ sit vniuersale metaphysicum? Respondet Scotus, quod nõ. Primo per dictum Auicenæ dicentis: *quod æquinitas tantum est æquinitas, de se neque singularis, neque vniuersalis.* Secundò probo ratione, quia vniuersale metaphysicum actuale fit actu per cognitionem actualem; sed esse essentiæ, vt tale, non includit cognitionẽ; quia vt ait ibi Scotus ex se esse essentiæ est indifferens ad singularitatem, & ad cognitionem: ergo ex se, vel

ſecundū ſe non eſt vniuerſale metaphyſicum.

Quæritur quintò. Vtrùm eſſe eſſentiæ ſecundum ſe, ſit vniuerſale logicum? Reſpondet Scotus ibi §. *Ad primum*, quod non: quia vniuerſale logicum fit actu per relationem rationis ſupericritatis cauſatam ab intellectu, ſed eſſentia de ſe non includit illam, relationem rationis: ergo de ſe non eſt vniuerſale logicum.

Quæritur ſextò. Vtràm eſſe eſſentiæ de ſe ſit aliquid reale, vel rationis. Reſpondeo ex dictis Scoti, quod non. Quia æquinitas tantum eſt æquinitas: ergo præſcindit ab eſſe reale, & rationis. Item non eſt reale de ſe, vel ſecundum ſe, quia quod eſt reale includit exiſtentiam productam; ſed eſſe eſſentiæ, vt tale, non includit exiſtentiam: ergo. Præterea nō eſt aliquid rationis ſtrictè; quia ens rationis ſtrictè, vt infra dicam, eſt quid fictum ab intellectu, ſed eſſe eſſentiæ, vt tale, non eſt fictum ab intellectu: ergo eſſe eſſentiæ, vt tale, nō eſt ens rationis. Reſtat ergo, quod eſſe eſſentiæ ex ſe ſit, quid præſcindens ab eſſe reale, & rationis ſtricti.

Quæritur ſeptimo. Vtrùm eſſe eſſentiæ habeat vnitatem formalem? Reſpondeo, quod ſic cum Scoto loco citato, quia ſecundum Ariſt. in Metaphyſ. vnitas eſt paſſio entis, hæc conceditur ab omnibus: ergo eſſe eſſentiæ habet vnitatem ſibi proportionatam. Hæc eſt formalis, dicitur formalis; quia pullulat ab eſſentia, quę eſt formalis: ergo eſſe eſſentiæ habet vnitatem formalem.

Quæritur octauò. Vtrùm vnitas formalis ſit minor vnitate numerali? Reſpondeo cum Subtili Doctore ibi, quod ſic, quia illa vnitas eſt minor, cui minus repugnat diuidi, ſed vnitati formali minus repugnat diuidi, quam numerali: ergò. Probo minorē, quia vnitas formalis naturæ, vel eſſentiæ diuiditur in ſingularia, licet repugnet illi diuidi in naturas æquales. At vnitati ſingulari totaliter repugnat diuidi: ergo minus repugnat diuidi eſſe eſſentiæ, quam ſingulari.

CAP. V.

De ente rationis.

QVÆST. I.
Quid ſit ens rationis?

1 SVbtilis Doctor quodlib. 3. §. *De primo* definiuit ens rationis ſic: *Ens rationis eſt illud quod præciſe habet eſſe in intellectu conſiderante.* In qua definitione duo ſunt explicanda, primum eſt illud aduerbium *præciſe*, ſecundum eſt illud verbum *conſiderante*.

2 Quantum ad primum ly *præciſe* eſt additum reſtrictiuum, & excluſiuum. Eſſe in intellectu *præciſe*

ciſſe dupliciter excludere poteſt exiſtentiam (nam ens rationis diſtinguitur contra ens reale, quod eſt eſſe exiſtens) vno modo, ita quod excludat exiſtentiam actualem, non tamen poſsibilem, & in hac acceptione creaturæ poſsibiles à Deo cognitę poſſunt dici entia rationis, quia non habent exiſtentiam actualem, tamen non repugnat, quod habeant illam. Sic etiam Antichriſtus cognitus poteſt dici ens rationis, quia nō habet exiſtentiā actualem, poteſt tamen illam habere. Alio modo ly *præciſse* excludit exiſtentiam, ita, quod illud conſideratum ſit tale, vt repugnet illi habere exiſtentiā, & in hac acceptione *hircocerbus* cognitus, dicitur ens rationis: ſolùm eſt differentia inter iſta duo entia rationis, quod illud, cui non repugnat eſſe reale, vel eſſe exiſtētiæ, non eſt ita ſtrictum rationis, ſicut eſt ſtrictum illud, cui repugnat eſſe reale, vel eſſe exiſtentiæ, vt ſit, ſicut conſideratur.

3 Quantum ad ſecundùm, quid intelligatur per actum conſiderationis, vt conſideratio eſt? Reſpondeo, quod ſecundùm Bercorium in dictionario, *conſiderare, eſt cognoſcere cum deliberatione*, & ſecundùm Antonium de Nebrixa, vt colligitur ex aduerbio *conſiderarè, idem eſt cōſiderare*, ac cum *aduertentia cognoſcere*. Et in præſenti conſiderare, idem eſt, ac cognoſcere obiectū cum aduertētia, quod nō eſt, ſicut cognoſcitur.

P. Villauerde.

4 Ex quibus colligitur intelligentia diffinitionis traditæ ab Scoto, nempè, *quod ens rationis eſt illud, quod præciſsè habet eſſe in intellectu conſiderante rem aliter, ac eſt in ſe*: quæ coincidit cum illa S. Thomæ opuſc. 42. cap. 1 dicētis: *Hæc entia*, ſupple rationis, *eſſe quando intellectus fingit per modū entis, quod non eſt ens.*

QVÆST. II.

De diuiſione entis rationis.

1 ENs rationis cōmuniter diuiditur in illud, quod habet fundamentū in re, & in illud, quod non habet fundamentum in re. Ens *rationis cum fundamento in re eſt illud, quod in re præſuppoſita ad illud, habet aliquā ſimilitudinē, ſeu proportionē*. V.g. cæcitas habet aliquā proportionē cū nigredine; ideo quādo percipio cœcitatē ad modum nigredinis exiſtentis in oculo, facio ens rationis, quod dicitur cum fundamento in re. Item relatio realis habet aliquam proportionem cum linea: ideo quando percipio relationem ad modū lineæ egredientis à Patre ad filium, facio ens rationis cum fundamento in re, quod dicitur relatio rationis.

2 At *ens rationis ſine fundamento in re eſt illud, quod ex parte rei præſuppoſitæ non habet ſimilitudinem, neque proportionē cum obiecto repræſentato*. Vt quando

fingo hircoceruũ, in re non ſuppo nitur aliqua vnitas habẽs propor tionem cum vnitate illa ficta ex hirco, & ceruo. Similiter quando percipio Petrũ diſtinctũ à ſe ipſo, nullũ præſupponitur fundamentũ, neque aliqua diſtinctio in Petro, quæ præbeat occaſionẽ intellectui, vt concipiat Petrum diſtinctum à ſe ipſo.

3 Vlterius ens rationis cum fundamento in re cõmuniter diuiditur in priuationẽ negationẽ, & relationem, de qua quæritur. Vtrùm ſit adæquata? In primis videtur, quòd priuatio, & negatio rationis nõ differunt ſpecie: ex quo ſequitur, quod iſta diuiſio eſt lata. Probatur antecedens, quia in tantum priuatio, & negatio rationis differunt ſpecie, in quantum fundamenta ſpecie differunt: ſed priuatio, & negatio nõ differũt ſpecie: ergo. Probatur minor, quia priuatio, & negatio ſi conſiderentur formaliter, quoad carentiam nõ habent diuerſitatẽ: ergo ſolùm differunt per habitudinẽ ad ſubiectũ: *nam priuatio eſt negatio formæ in ſubiecto apto ad habèndum illã*, vt cœcitas in homine; *& negatio eſt carẽtia formæ in ſubiecto non apto ad habendum illam*, vt carentia lucis in aere: ſed differentia aptitudinis, vel nõ aptitudinis in ſubiecto eſt extra rationem priuationis, & negationis: ergo non facit, quod priuatio, & negatio differant ſpecie inter ſe.

4 Præterea denominationes extrinſecę ſunt entia rationis cum fundamento in re, quando à nobis concipiuntur, vt adhærentia ſubiecto denominato, & tamen non ſunt priuatio, neque negatio, neq; relatio: ergo illa diuiſio in tria membra eſt diminuta.

5 Præterea, quia concipiendo ea, quæ non ſunt relata, vt relata, v.g. concipiendo naturã hominis cum relatione ſuperioritatis ad Petrũ, & Paulũ. Formo ens rationis, quod dicitur relatio: ergo cõcipiẽdo Angelũ ad modũ iuvenis, formo ens rationis, quod dicitur ſubſtantia. Et cõcipiendo præſentiã definitiuã, quã Angelus habet ad locum, ad modũ præſentiæ circumſcriptiuæ, Facio *vbi* rationis: ergo ſunt plura entia rationis, quam illa tria: ergo illa diuiſio eſt diminuta.

6 Tandẽ, quia datur vnitas rationis, cõcipiendo ea, quæ ſunt diſtincta in re, ac ſi eſſent vnũ, & eſt diſtinctio rationis, quãdo cognoſco vt diſtincta ea, quæ in re ſunt vnũ: ergo ſunt plura entia rationis cum fundamento in re, quã priuatio, negatio, & relatio. Sic Torrejon de ente rationis diſp. 2. q. 2.

7 Reſpondeo cum communi ſententia, ſub diuiſionem entis rationis, in priuationem, negationẽ, & relationem, eſſe bonam, & adęquatã entis rationis habentis fundamentum in re. Et quidem opinio ab omnibus recepta non eſt defferenda niſi cum magno fundamento. Et primo probabo diſtinctio-

ctionẽ ſpecificã iſtorũ entiũ rationis. Et ex hoc prob. eſſe bonã diuiſionẽ, neq; diminutã, neq; latã.

8 Dico 1. priuatio, & negatio rationis differunt ſpecie rationis inter ſe, quia quando fundamenta differunt ſpecie entia rationis in illis fundata differunt ſpecie. Sed priuatio, & negatio, vt fundamenta, differunt ſpecie inter ſe: ergo & priuatio, & negatio rationis. Probo minorẽ, quia priuatio intrinſecè habet habitudinem ad ſubiectũ, quod habet aptitudinem ad formã cuius eſt priuatio: & negatio habet intrinſece habitudinem ad ſubiectũ non aptũ ad habendũ formã, cuius eſt negatio: ſed iſtæ habitudines ſunt proprietates diuerſæ inter ſe: ergo priuatio, & negatio differũt ſpecie inter ſe, quia ex diuerſis proprietatib⁹ benè colliguntur diuerſæ ſpecies.

9 Dico ſecundò, relatio rationis cum fundamento in re differt eſſentialiter à priuatione, & negatione rationis. Probo, quia quando fundamenta differunt eſſentialiter, & entia rationis in illis fundata. Sed relatio, fundamentum relationis rationis, differt eſſentialiter à priuatione, & negatione, vt per ſe patet: ergo & relatio rationis differt eſſentialiter à priuatione, & negatione rationis.

10 Ex his concludo directè reſpõdendo ad quæſtionem, quod illa ſubdiuiſio entis rationis cum fundamento in re eſt adæquata: ponendo iſtam minorem: ſed vltra illa entia rationis nullum aliud datur cum fundamento in re: ergo illa ſubdiuiſio eſt adęquata, & bona: hęc minor patebitur ex ſolutione argumentorum.

11 Ad primũ nego, quod priuatio, & negatio formaliter non differant ſpecie. Ad probationem dico, quod licet aptitudo, & non aptitudo ex parte ſubiecti, ſint extrinſecæ priuationi, & negationi: ſint tamen termini habitudinis priuationis, & habitudinis negationis, & diuerſitas termini ſufficit, vt ille habitudines proportionatæ priuationis ad ſubiectum aptum, & negationis ad ſubiectũ non aptum, ſint diuerſæ proprietates, & ex diuerſis proprietatib⁹ concluduntur diuerſæ eſſentiæ.

12 Ad ſecundò intendens probare hanc ſub diuiſionem eſſe nimis anguſtam. Concedo denominationes extrinſecas eſſe entia rationis cum fundamento in re, & nego minorem: pertinent quidem ad relationem rationis, quia actus videndi, v.g. habet habitudinem, & tendentiam ad obiectum, quæ eſt relatio, & quando concipio actum ad obiectum, vt adhærens obiecto, formo relatiũ rationis.

13 Ad tertium dico, quod quando concipio naturam humanam, v.g. abſtractam, & ſupra illam cauſo relationem rationis ad inferiora; hæc relatio eſt cum fundamento in re, quia in re eſt communitas, & iſta eſt fundamẽ-

mentum cõmunitatis poſitiuæ logicæ. Ad conſequentiã, ergo quãdo concipio Angelum ad modum iuuenis facio ens rationis, quod dicitur ſubſtantia: concedo conſequentiã: ſed nego, quod ſit cum fundamẽto in re, quia Angelus indiuiſibilis nullã habet proportionẽ cum iuvene, quanto, & diuiſibili, & entia rationis cum fundamento debent habere aliquã proportionem cum illo.

14 Ad aliud, quod quando cõcipio præſentiã Angeli ad modum præſentiæ circunſcriptiuæ. Concedo, quia tunc facio ens rationis cum fundamento in re: tamen illud ens rationis pertinet ad relationem, quia *vbi* definitiuum Angeli eſt relatio, & fundamentum relationis rationis fictæ.

15 Ad vltimũ dico, quod vnitas, & diſtinctio proportionaliter ſumptæ ſunt oppoſitæ, cũque diſtinctio rationis formaliter ſit relatio, ita vnitas rationis: cõcipiẽdo vt vnũ, ea, quę in re ſunt diſtincta, eſt relatio rationis, quod ſi habẽt fundamẽtũ in re, erunt relationes cum fundamento in re, ſi autẽ non habeant fundamentũ in re, argumentum non eſt contra nos, neque ad propoſitũ ſubiectum quæſtionis, quia eſt cũ fundamento in re.

16 Itaque intellectus dupliciter procedit ad fingendũ entia rationis, vno modo ex ſuperabundãtia, formando illa, vbi non eſt fundamẽtum in re, ſuper quam fingit illa: ſed in alio obiecto extraneo. Alio modo ex defectu, quando nõ poteſt cognoſcere priuationem in ſe, cognoſcit illam ſub ratione nigredinis, cum qua habet aliquam ſimilitudinem, ſeu proportionem.

16 Vnde cathegoria entis rationis ſic eſt diuidenda: ens rationis, aliud cum fundamento in re cõcipienda, aliud ſine fundamẽto in re cõcipienda. Relatio rationis cum fundamento in re concipienda, aliud priuatio, aliud negatio, aliud relatio. Ens rationis ſine fundamento, aliud abſolutũ, aliud relatiuum, abſolutũ vt ſubſtãtia rationis; relatiuum, vt diſtinctio rationis, & vnitas rationis, vt hircocervus, & mons aureus.

QVÆST. III.

Per quam operationem intellectus fiat ens rationis.

1 QVæſtio iſta ſupponit tres eſſe operationes intellectus. 1. eſt ſimplex apprehenſio. 2. Iudicium. 3. Diſcurſus. Et quærit per quam iſtarũ fiant entia rationis.

2 Recentiores Complutenſes dicunt, relationes vniuerſalitatis nempè generis, ſpeciei, &c. fieri per primã operationẽ intellectus: item priuationes, & negationes. At, entia rationis prędicati, & ſubiecti, fieri per iudiciũ, & relationes rationis antecedẽtis, cõſequẽtis, medij, maioris, & minoris extremitatis, fieri per diſcurſum. Neque aliud fundamentum habent, niſi quia entia rationis iudicij præ-requirunt iudicium, & entia rationis

rationis discursus prærequirunt discursum.

3 Merinero noster de vniuersalibus disp. 3. q. 5. num. 5 dicit, quòd primum genus istorum entium rationis, fit per simplicem apprehensionem. Tamen entia rationis iudicij, & discursus, illa iudicij non fieri per iudicium, neque illa discursus fieri per discursum. Sed omnia entia rationis, tã primi, quàm secundi, & tertij generis, fieri per simplicem apprehensionem, quæ est prima intellectus operatio. Quæ sententia explicatur per has tres conclusiones.

4 Prima, relationes rationis priuationis, negationis, & vniuersalitatis fiunt per simplicem apprehensionem. Probatur, quia fiunt per actum intellectus, sed facta sunt ante iudicium, & discursum: ergo fiunt per primam operationem intellectus.

5 Secunda, entia rationis secundi generis, vt subiecti prædicati, & propositionis, non fiunt per iudicium: quia per iudicium solum resultat, quædam denominatio extrinseca, subiecti cogniti, iudicati, & prædicati iudicati. Sed denominationes extrinsecæ, non fiunt entia rationis, nisi per simplicem apprehensionem, apprehendentem iudicium, vt inherens obiecto denominato: ergo non fiunt per iudicium præcedẽs; sed per simplicem apprehensionem, quæ sequitur iudicium, cognoscentem iudicium, vt inhærens obiecto iudicato.

6 Tertia conclusio, entia rationis tertij generis, nempe antecedentis, medij, cõsequentis, &c. non fiunt per discursum, sed per simplicem apprehensionem, sequentem discursum. Quia discursus solum dat obiectis denominationẽ extrinsecam. Sed nulla denominatio extrinseca fit ens rationis, nisi per simplicem apprehensionem cognoscentem formã extrinsecam denominantem, vt inhærentem obiecto denominato: ergo ens rationis discursus, non fit per discursum: sed per simplicem apprehensionem sequentẽ discursum.

7 Ad resolutionem aduertendum est, quod secundum Scotum omne ens rationis fit ab actu intellectus considerantis, vt considerans est. Quod patet, nam 1. d. 2. q. 7. § *Sed hic restat*, vers. *Contra* sic inquit: *quidquid intellectus causat sine actione obiecti circa obiectum præcisse, hoc est, virtute propria intellectus, & hoc loquẽdo de obiecto, vt habet esse cognitũ in intellectu præcisse, & de intellectu vt cõsiderans est. Illud est præcisse relatio rationis.* Et in 4. dist. 1. q. 2. §. *Hic primo*, versu, *neque est ratio*, ita ait: *Sed intelligo ens in anima, tanquam secundo consideratum, non tanquam primo consideratum, ad quod considerandum, mouetur primo anima à re extra: sed tanquam ens in primo*

consideratum, in quantum consideratum: & tale vt in summa sit dicere, non est nisi relationis rationis.

8 Vbi notandum est primo, quod in istis locis loquebatur Scotus de relationibus rationis: sed in definitione posita in principio huius capitis loquitur de ente rationis, vt sic, & in omnibus dicit, quod ens rationis duas conditiones requirit, vna, quod sit præcisse in intellectu obiectiuè, altera est, quod sit in intellectu considerante, vt considerans est. Secundo nota, quod ad faciendum relationes rationis aliquas, aliquando requiruntur duæ cognitiones, vna, qua intellectus motus à re extra per speciem acceptam à re extra considerat obiectum in se, & obiectum sic cognitum dicitur ab Scoto primo consideratum. Aliud obiectum est secundo consideratum super primum consideratum, vel in primo considerato, & illud secundo consideratum habet esse præcisè in intellectu secundo considerante, vt considerans est. Et hoc modo fiunt relationes rationis ex superabundantia, & sine fundamento in re. Quãdo autem relationes rationis fiunt ex debilitate intellectus, vt in relationibus rationis cum fundamento, non videtur præcedere obiectum primo cognitum. Sed potius, quia non potest cognoscere illud vt est in se, fingit illud aliter quam est.

9 Tertio notandum, quòd *considerare* secundum Bercorium in dictionario, est idem quod cognoscere cum advertentia; idem colligitur ex Antonio de Nebrixa, nam secundum eum *considerare* est idem, quod cum advertẽtia. Cumque cognoscere rem cum aduertentia, sit tantum dupliciter, vno modo sicut est in se, alio modo aliter, ac est in se: sequitur, quod cõsiderare obiectum, quòd est præcisè in intellectu, est idem, quod cognoscere rem, aliter, quã est in se.

10 Modo pono primam conclusionem communem sine controuersia, priuatio, & negatio rationis fiunt per primam operationem intellectus cognoscentem rem aliter, ac est in se. Probatur, quando aduenit iudicium, iam sunt facta. Ergo.

11 Pono secundam, relationes rationis vniuersalitatis fiunt per simplicem comparationem cognoscentem cum aduertentia non præcedere in primo cognito relationem. Hanc probant directè auctoritates Scoti *num.* 7. allatæ. Et ratio est, quia relationes rationis debent fieri per actum cõparatiuum cum aduertentia, vel per actum comparatiuum terminatum ad secundo cognitũ, quod non habet esse nisi in intellectu cognoscente, vel formante, quòd non est, ac si esset. Sed simplex cõparatio habet hoc, & est prius quam iudicium: ergo per illam fiunt relationes rationis prædi-

cabi-

cabilitatis. Confirmatur, quia Scotus in 1. d. 35. q 1. § *Contra opinionem* vers. *Contra secundam opinionem*, dicit: quod intellectus comparatiuus, vel collatiuus, cõparando vnum obiectum ad aliud, ad quod non est comparatũ ex natura sua, causat in obiecto comparato relationem rationis. Et in eodem 1. d. 45. § *Licet hic*, inquit: quod intellectus comparatiuus causat relationem rationis strictam.

12 Loquendo de relationibus secundi generis, nempe iudicij. Respondeo, quod iudicium, aliquando est sine aduertentia, aliquando cum aduertentia, cognoscendo, quod nõ est, ac si esset, Et quando est sine aduertentia solum dat obiecto denominationẽ extrinsecam: sed quando est cum aduertentia causat relationem rationis. Vnde quando est sine aduertentia, hoc est sine fictione alicuius, quòd non est, ac si esset, nõ facit relationes rationis secundi generis. At, quando est cum aduertentia fingenti esse relationem in obiecto, quòd ex se non est relatum, format relationem rationis iudicij. Et ratio est, quia illa comparatio est etiam fingitiua, & cum aduertentia.

13 Loquendo de relationibus tertij generis; respondeo simiiter, quod actus discurrendi potest esse ordinatiuus tantum, vel ordinatiuus cum aduertentia, nõ esse in obiecto cognito talem relationem rationis, & fingitiuus illius. Primo modo, non causat relationem rationis, sed tantum denominationem extrinsecam. Secundo modo causat relationẽ rationis discursus; & ratio est, quia habet virtutem fingitiuam causandi illã, quando homo vult, vtitur illa.

14 Argumenta Merineri, cõtra entia rationis iudicij, & discursus nitũtur in hac propositione; nempè, quod solum dant obiectis denominationem exrrinsecam. Quæ est falsa, quia quando aduerto, & volo fingere relationes rationis per iudicium, facio illas.

QVÆST. IIII.

Vtrùm denominationes extrinsecæ sint entia realia? vel rationis?

1 AD intelligentiam subiecti quæstionis aduerte, quod denominatio extrinseca dicitur illa, quæ aduenit subiecto à forma extrinseca, existente in altero subiecto. V. g. paries dicitur vissus; à visione existente in meo oculo. Et denominatio intrinseca est à forma existente in subiecto denominato; vt papirus dicitur albus ab albedine in illo existente.

2 Suarez in Metaphys. disp. 54. sect. 2. num. 20. Puente Hurtado in Metaph. disp. 19. sect. 11. dicunt,

dicunt: omnes denominationes extrinſecas prouenientes ſubiecto reali à forma reali, eſſe reales ſecundum ſe. Probant, quia parietem eſſe viſum, nil aliud eſt, quam parietem repræſentari formaliter per talem viſionem; ſed parietem repræſentari formaliter per viſionem realem, eſt quid reale: ergo. Secundò, quia datur obiectum formaliter cognitum ſine aliquo ente rationis. Quia de conceptu formali cognitionis expreſſæ eſt repræſentare formaliter obiectum: ergo poſita cognitione reali obiecti realis, & obiectum reale formaliter repræſentatum, quibuſcumque alijs ſe motis, datur obiectum formaliter cognitum, ſine aliquo ente rationis.

3 Vazquez 1.p. diſp. 115. n. 19. & diſp. 115. ſecutus Durandum in 1. diſt. 19. q. 5. & 6. dicit omnes denominationes extrinſecas eſſe entia rationis. Quia per nomina ſignificamus extrinſeca, quæ cognoſcuntur interius: ſed parietem eſſe viſum cognoſcitur à nobis, vt aliquid intrinſecum ipſi parieti: ergo hoc nomen viſus ſignificat in pariete aliquid intrinſecum ratione cuius conſtituitur viſſus: ergo effectus formalis per hoc nomen *viſus* ſignificatus, eſt aliquid rationis.

4 Hæc quæſtio, ſalua pace ſic dirimēda eſt, viſio realis terminatur ad albedinem realem. Certum eſt quòd forma denominatiua eſt realis, & obiectum eſt reale, & ſecundum entitatem realem terminat viſionem. Reſtat ergo, quòd denominatio extrinſeca ſit, vel forma, vt attingens obiectum, & ſic eſt aliquid reale, vel obiectum terminans, vt terminans viſionē, & ſic eſt reale, vel quod ſit ipſa forma, vt inhærens, obiecto viſo. Et ſic eſt ens rationis. Quia fingitur ibi inhærentia formæ in obiecto, quæ non eſt, in re.

5 Vel denominatio extrinſeca eſt aliquid de relictum in obiecto à forma extrinſecè denominante. Et tunc eſt ens rationis. Quia concipitur, quod non eſt, ac ſi eſſet in obiecto.

6 Argumenta Suar. ſolum probat, quod obiectum eſſe repræſentatum, vel terminare realiter, eſſe aliquid reale, quod eſt verum. At quando concipitur forma, vt inhærens ſubiecto, non negabit Suar. fieri ens rationis.

7 Argumentum Vazq. nullius ponderis eſt, quia nomen *viſus* nō eſt impoſitum, niſi ad ſignificandum parietem terminare viſionē. Quod ſi eſſe viſum concipiatur, vt vere terminat viſionem eſt quid reale, & ſicuti eſt, ac ſi concipiatur denominatio, taliter quod forma ſit inhærens ſubiectō, vel, ut aliquid poſitiuum de relictum ab actu, tunc eſt ens rationis.

LIBE

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De obiecto, vt sic?

QVÆST. I.

Quid sit obiectum, quid subiectū, & in quo differunt?

1 ESt quidem obiectum scię̄tiæ polus nauigantes ducens, ideò oportet prius hanc stellam ante aciem mentis proponere, vt radios in eam intellectus tendens, recta via procedamus. Sed ad determinandum obiectum Logicæ, & aliarum scientiarum, oportet prius de obiecto, & subiecto scientiæ in communi notitiam dare.

2 Quantum ad primum, *obiectum dicitur illud, quod ponitur ante aciem mentis cognoscendum.* Quantum ad secundum, subiectū capitur dupliciter, vnū est *in quo*, aliud vero de *quo*. Subiectum *in quo* dicitur illud, in quo est aliud. Vt paries respectu albedinis. Sed subiectum de *quo*, dicitur illud, de quo aliud dicitur, prædicatur, seu enunciatur. Secundū Arist. lib. 1. *De Priori resolut. cap.* 1.

3 Quantum ad 3. in quo differant? Respondeo, quòd subiectum scientiæ est obiectum, non tamen è conuerso. Quia intellectus, antequām agat istam affirmationem *homo est animal*. Apprehendit hominem, & animal. Vtrumque est obiectum, quia sunt ante aciem mentis, sed homo respectu animalis est subiectum, non autem animal. Quia homo est, de quo dicitur animal, & animal non est, de quo dicitur homo, ideò valet est subiectum scientiæ: ergo obiectū, sed è conuerso non valet, est obiectum: ergo subiectum. Ex quo patet quod subiectum est magis determinatum, quam obiectū. Quo tamen non obstāte comuniter accipitur subiectū de *quo* pro obiecto scientiæ, & obiectum scientiæ pro subiecto eius.

4 Competit quidem subiecto habere proprietates sibi competentes, quę de ipso verificentur, & probentur; sed inter subiecta scię̄tiarum aliqua sunt priora, aliqua posteriora, vel proximiora, vel re-

moriora, secundum locum, quem ex se habent in ordine ad primum subiectum.

QVÆST. II.

De diuisionibus subiecti, vel obiecti scientiarum.

1 DIuiditur obiectum, seu subiectū scientiæ in materiale, & formale: quæ diuisio desumpta est ex Arist. 2. Phys. textu 17. obiectum formale, & materiale, dupliciter accipitur ab auctoribus, quidam dicunt, *quòd obiectum formale est illud, quod ita per se primo respicitur à scientia, vt omnia, quæ in scientia disputãtur, illius gratia disputentur. Et quòd materiale est illud, quod à scientia attingitur, non gratia sui, sed gratia alterius.*

2 Alij dicunt: quòd obiectum materiale scientiæ est illud, quòd subest ratione formali, & obiectum formale est illa ratio, sub qua obiectum attingitur à scientia. v.g. ens consideratur à Metaphysica, sed sub ratione scibilis, & ita ens, vt ens, dicitur obiectum materiale, & scibilitas, sub qua consideratur, est obiectum formale.

3 Illi, qui dicunt, obiectum formale esse illud, quod ita per se primo respicitur à scientia, vt omnia, quæ in ipsa disputantur, illius gratia disputentur. Deducunt obiectum, seu subiectum primarium scientiæ esse obiectum formale. Quia subiectum primum, ita respicitur à scientia; vt omnia, quæ in ea disputantur, illius gratia disputantur. Vnde consequenter dicunt: quod quando Scotus quæst. 3. prologi q. 2. *laterali.* § De secundo dico. Et §. *Ad primum argumentum primæ quæstionis*, vers. *Ad alia secundæ viæ* dicit: *subiectum primum, seu primarium*, intelligit de subiecto, vel obiecto formali *quod*. Licèt non de ratione formali sub qua. Itaque secundum istos. est obiectum formale quôd, illud, quod est subiectum primum in scientia.

4 Diuiditur vlterius obiectū, seu subiectum in primarium, & secundarium, adæquatum, & inadæquatum, quæ insequentibus examinanda sunt.

QVÆST. III.

Quid sit obiectum adæquatum scientiæ?

1 SCotus quæst. 2. lib. 1. de priori resolutione sex cõditiones enumerauit requisitas ad obiectum primarium scientiæ. Sed in quæst. 3. vniuersalium tres tantum assignauit, eo quòd istæ sunt potissimæ, ad quas aliæ reducuntur.

2 Prima est, quòd in scientia præsupponatur, quôd est, & quid est: ratio est, quia ad demõstran-

strandum, v.g. quòd homo est risibilis, debet præsupponi, quod est homo cognitus, de quo quæritur. Et prærequiritur cognitio diffinitionis hominis, nempe quid sit. Quia definitio est medium ad demonstrandum hominem esse risibilem. Quia ignotum non probatur, nisi per id, quod prius est notum. Hanc conditionem desumpsit Scotus ex Arist. 1. Posteriorum textu 2.

3 Secunda conditio est, quòd subiectum habeat passiones, quæ de ipso demonstrentur. Et ratio est, quia scientia nil facit, nisi demonstrare passiones de suo subiecto per sua principia intrinseca, à priori, vel per effectus à posteriori: ergo in subiecto prærequiruntur passiones, quæ de ipso demõstrentur?

4 Tertia est, vt obiectum, & scientia, cuius est obiectum, adæquentur, ita vt nil sit in obiecto, quòd non consideretur à scientia, & nil consideretur à sciẽtia, quòd non sit obiectũ, vel pars, aut causa, vel effectus eius, aut aliquid aliud per se conducens ad cognitionem ipsius. Et ratio est, quia adæquatio obiecti cum scientia in hoc consistit, quòd non excedantur ad inuicem, obiectum in linea attingibilis, & scientia, in linea attingentiæ.

QVÆST. III.

Quid sit obiectum primum in scientia.

1 SCotus, quæst. 3. prologi §. *Ex dictis patet*, num. 7. dicit: *Primum obiectum est illud, quòd continet virtualiter omnes veritates illius habitus cuius est primum obiectum.* In qua diffinitione duo sunt, & quòd contineat virtualiter veritates, & quòd contineat omnes. Sed quia continentia virtualis est multipliciter, oportet scire, de qua continentia est verum, vel, quæ continentia virtualis requiratur.

2 Pro cuius declaratione est aduertendum, quòd continentia est multiplex, quædam est essentialis, quando vnum cõtinet aliud in primo modo dicendi per se, quemadmodum inferius continet superius, vt homo continet animal. Alia est continentia vnitiua, qua vnum continet aliud sibi idẽ realiter, vt natura continet passiones, hoc est proprietates. Alia est continentia potẽtialis, qua superius cõtinet sua inferiora: vt animal continet sub se hominẽ, & brutum. Alia est continentia virtualis, quæ est habere aliud in virtute sua.

3 Continentia virtualis est tripliciter vna in esse cognito, quæ nõ est aliud, quã continere notitiã alterius, v.g. homo causat speciẽ impressam cognoscitiuã sui, & ista species etiam est cognoscitiua sibi-

ſibilitatis. Alia cõtinentia virtualis eſt in eſſe rei, & hæc eſt dupliciter, vna, quę eſt poſſe alterũ producere, ſicut ignis potens producere alterum ignem, continet illum hoc modo virtualitatis. Altera eſt pullulationis, quæ eſt continere in ſua virtute illud, quod pullulat ex ipſo: vt eſſentia diuina prioritate naturæ continet ſua attributa, nempè iuſtitiam, miſericordiam, &c. & ens continet verum, bonũ, aliquid vnum.

4 Præterea notandũ eſt, quòd veritates cõtentæ in primo obiecto ſunt dupliciter, vnæ ſunt formales, quæ ſunt conueniẽtiæ affirmationis, vel negationis obiecto, ſicuti eſt. Aliæ ſunt obiectiuæ, & ſunt connexiones, vel coniũctiones repertæ inter ſubiectum, & proprietates.

5 Nũc dico: quòd eo ipſo *quod* Scotus dicit quod contineat virtualiter per ly *virtualiter* excludit continentiam formalẽ, ſeu eſſentialem, & potẽtialem, ſi ly *virtualiter* intelligitur in eſſe cognito, non conuenit prædicta definitio primo ſubiecto ſcientiæ rationis, quia iſta habet pro obiecto ens rationis, quod nõ poteſt cauſare ſpeciẽ realẽ, qua obiectũ primũ, & cõtẽtũ in illo cognoſcũtur.

6 Si ly *virtualitèr* intelligatur de cõtinentia virtuali, quæ continet aliud in eſſe producto. Illa definitio non conuenit ſcientiæ rationis. Immò neq; Theologiæ de Deo vno, quia eſſentia diuina non producit productione effectũ realiter diſtincti paſſiones, proprietates, vel attributa. Videtur ſolũ reſtare, quòd intelligatur de cõtinẽtia ſolũ pullulationis. Et ſi in iſto ſenſu accipiatur definitio, tũc ſequitur quod eſt diminuta. Quia eſſentia diuina vt *quo*, & Pater, vt *quod* cõtinẽt virtualiter producti ne alias perſonas diuinas. Et tamẽ in Theologia eſſentia diuina, eſt obiectũ primũ: ergo ſi excluditur continentia productionis, non eſt diffinitio adæquata, quia non cõpetit omni definibili.

7 Quid, ergo nobis dicẽdũ eſt? Reſpõdeo, quod eo ipſo, quòd cõtinẽtia virtualis eſt tripliciter, & Scotus nõ poſſuit modũ cõtinẽtię virtualis determinatũ, ſed indiſtinctè, debet accipi accõmodatè. Nã ſciẽtiæ rationis, vt eſt logica magna, ſolũ competit ſuo obiecto primo cõtinẽtia virtualis pullulãtiæ, quia iſtud obiectũ eſt quædã ſpecies entis rationis (loquor de obiecto formali,) & debet habere proprietates rationis ſibi proportionatas pullulantes ex ipſa: ſicut naturæ, vel eſſentiæ reales habent proprietates reales pullulãtes ex ipſis eſſentijs. Et hoc probo cõtra Tartar. q. 3. Proœmiali §. *Sciẽdũ eſt tertio*; quia ſi nõ haberet ſubiectũ primũ proprietates, quæ de ipſo poſſẽt probari in Logica. Sequeretur, quod Logica non eſſet ſciẽtia: quia ſciẽtia eſt, quæ probat proprietates de ſuo ſubiecto, vel obiecto.

In

8 In ſubiecto autem primo ſcientiarum realium aliquando reperiuntur tres continentiæ virtuales, nam continentia pullulantiæ proprietatum, neceſſaria eſt in omni ſcientia, & ex quo primum ſubiectum eſt reale, poteſt cauſare ſpeciem ſui, qua ipſum obiectum, & proprietates cognoſcãtur, quæ continentia eſt ineſſe cognito. Et ſubiectum primum cauſat aliquos effectus, v.g. homo ſit obiectum primum ſcientiæ humanæ, ex ipſo pullulant paſsiones, & mittit ſpeciem ſui, qua cognoſcantur ſuæ propietates, & cauſat motum, & viſionem, & diſcurſum.

9 Aliquando in ſubiecto primo eſt tantum duplex continentia virtualis, vna pululationis, & altera productionis alicuius, vel aliquorum obiectorum. Vt Deus, qui continet virtualiter ſuas proprietates, & vt *quod* producit filium, & Spiritum Sãctum *qui* ſunt obiecta ſecundaria Theologiæ. Tamẽ Deus non producit ſaltem pro ſtatu iſto ſpeciem, qua ipſe, & ſua attributa cognoſcantur. Et ſic caret continentia virtuali ineſſe cognito defacto. Sed iſta carentia non eſt defectus in Deo, quia ſi ſpecies eſt producibilis, poteſt illam producere, ſi implicat produci, non eſt defectus, non habere potentiã ad illud, quod non poteſt eſſe.

QVÆST. V.

Vtrùm idem ſint ſubiectum primum, & adæquatum?

1 QVod ſic, probatur, quia Scotus q. 1. prologi *ad primum* dicit, quod obiectum, vel ſubiectum primum, & adæquatum ſunt idem, nam ex quo ſubiectum eſt primum continet virtualiter omnes veritates illius ſcientiæ, cuius eſt ſubiectum primum; ſed obiectum, quod continet omnes veritates, eſt adæquatum: ergo ſubiectum primum, & adæquatum ſunt idem. Item, quia q. 3. prologi, §. *Ex dictis patet* nu. 7. probat, quod Deus eſt obiectum, vel ſubiectum adæquatum Theologiæ, ex eo, quod eſt ſubiectum primum: ergo idem ſunt.

2 Sed contra, quia idemmet Scotus in 1. diſt. 3. q 3. §. *Quantũ ad ſecundum art.* num. 8. dicit: quod ad obiectum adæquatũ requiritur duplex primitas. Vna cõtinẽtiæ virtualis pullulationis, & alia continentiæ potentialis reſpectu inferiorum. Sed obiectum primum ſolũm habet continentiã virtualem veritatum, vt patet ex definitione eius, poſita hic, quæſt. antecedenti num. 1. ergo non ſunt idem, quia Latius patet ratio adæquati obiecti, quã primi. Maior patet ex ſuis verbis: *Tamen hoc nõ obſtante dico, quod ens eſt primum obiectum intellectus noſtri* (ideſt adæ-

adæquatum, vt constat ex titulo quæstionis) *quia in ipso concurrit duplex primitas, scilicet communitatis, & virtualitatis.* Præterea subiectum primum excludit continentiam potentialitatis. At obiectum adequatū includit continentiā potentialitatis: ergo non sunt idem.

3 Quid ergo nobis dicendū est? Respondeo, quod obiectum adæquatum est illud, quod continet omnes veritates attingibiles à scientia, ista continentia totalis, & adæquata, aliquando reperitur in continentiā virtuali omniū intelligibilium ab illa scientia, vt contingit in Theologia. Aliquando ad istam adæquationem non sufficit continentia virtualitatis, sed vltra requiritur continentia potentialitatis. Vt contingit in ente, quod est obiectum adæquatum metaphysicæ: nam suas passiones continet virtualiter pululatiue, & obiecta inferiora, de quibus agitur in metaphysica, cōtinet potentialiter, & vt cōtineat omnia, indiget vtraque continentia. Vnde benè sequitur obiectum primum continet virtualiter omnia intelligibilia à scientia: ergo est obiectum adæquatum eius. Obiectum primum continet virtualiter, & potētialiter omnia intelligibilia à scientia, aliqua inquam virtualiter, & reliqua potentialiter: ergo est obiectum adæquatum. Non tamen sequitur, est obiectum adæquatum: ergo continet omnia obiecta scientiæ solùm virtualiter, neq; sequitur altera pars determinatè, est obiectum adæquatum: ergo debet continere omnia partialia continentia virtuali, & potentiali.

4 Ad illa loca Scoti. Resp. quod in eis nulla est contradictio, neque oppositio, quia non processit diffiniendo: Sed probando, si procederet diffiniendo, & diffinitio non competeret omni definito male procederet, sed non processit nisi probando per proprietates competentes cuique obiecto: nam Deitati competit continere primo virtualiter omnes veritates Theologicas. Et ex hac cōcludit: ergo Deitas est obiectū adæquatum Theologiæ. Enti autem competit continentia virtualis suarum passionum, & potentialis respectu inferiorum, & ex ista totali continentia, conflata ex vtraque, concludit: ergo ens est obiectum primum, & adæquatum nostri intellectus. Itaque obiectum adæquatum est, quod continet omnia intelligibilia à scientia, & quod continet omnia intelligibilia à scientia est obiectum adæquatum.

CAP.

CAP. II.

De obiecto logicæ artis internæ.

§. VNICVS.

Præmittuntur significationes istorum nominum dialectica, & logica.

1 NOmen *Dialectica* desumptum à nomine Græco *Dialegome*, impositum est ad significandum artem disputandi ex probabilibus, vt colligitur ex Arist. 1. topicorum cap. 1. sed iam vsus loquentium extendit nomen *Dialectica* ad significandum artem benè disputandi in quacumq; materia. Vnde nomen *Dialectica* absolute significat secundum acceptionem communem artem benè disputandi acquisitam, at ad significandum lumen naturale intellectus ad disputandum, indiget addito determinante; & sic *Dialectica naturalis*, significat lumen naturale intellectus ad differendum.

2 Nomen autem *Logica* deriuatum à nomine *Logos*, Græco, teste Subtili Doctore Scoto in initio prædicabilium, primó impositum est ad significandum sermonem internum, ex ratiocinationem internam, tamen multis hinc temporibus extensum est ad significandum sermonem internum, & externum, non vt cumque, sed rationalem. Nec propter hoc confunditur logica cum Grãmatica, Retorica, & Poæsi. Quia logica respicit sermonem externum aptum ad significãdum rectum discursum, Grammatica respicit sermonem congruum, Retorica sermonem præpolitum, & Poësis sermonem sonorum.

3 Vlterius nomẽ *Logica* nunc non solum significat artem acquisitam benè probandi interne, & externè, sed etiam scientiam puræ speculatiuam agentem de instrumentis logicalibus sine directione. Vnde ad loquendum cum distinctione *logica ars*, significabit logicam directiuã, & logica scientia, significabit logicam sine directione. Similiter dialectica ars, significabit idem, quod logica directiua, & dialectica scientia, idem quod logica scientia.

4 Præterea logica alia est naturalis, quæ est lumen naturale intellectus. Alia acquisita, quæ est habitus genitus ex repetitione actuũ logicaliũ, alia actualis; quæ sunt actus logicales, alia obiectiua, & ista est obiectũ, circa quod versantur actus logicales.

QVÆST. I.

Quod sit obiectum logicæ artis internæ?

1 REspondeo, quod actus intellectus, vt dirigibiles ad be-

nè diſcurrendum, & probandum. Hæc concluſio probatur, quia ſecundũ Scotũ q. 4. prologi, §. *Ad iſtas quæſtiones* num. 3. Logica artificialis eſt ars directiua operationum intellectus, ſed omnis ars directiua habet pro obiecto formali actum dirigibilem, vt dirigibilẽ: ergo logica ars habet pro obiecto formali actus intellectus, vt dirigibiles. Præterea, quia quod dirigit logica ars primo, & per ſe, ſunt actus intellectus: ergo quod primo, & per ſe eſt dirigibile à logica arte, ſunt actus intellectus, vt dirigibiles.

2 Quæres, quod ſit obiectum adæquatum logicæ artis internæ? Tartaretus quæſt. 3. proœmiali §. *Quantum ad ſecundum* artic. dicit, quod inſtrumentum ſciendi, intelligo intellectuale, quia in illo eſt duplex primitas continentiæ, ſcilicet virtualitatis reſpectu ſuarum paſsionum, & potentialitatis reſpectu inſtrumentorũ ſciẽdi, vel actus intellectus in particulari: ergo.

3 Reſpondeo, quod licet in ſcientijs pure ſpeculabilibus obiectum, *quod* habet illam duplicem primitatem continentem omnia attingibilia à ſcientia eſt adæquatum. Tamen in artibus aliter proceditur, quia artes reſpiciunt opus arte factum, vel arte factibile, & illud opus eſt obiectum adequatum, ſiue cõpletum, ad quod obiecta, vel materię particulares ordinantur, tanquam ad totũ artificiale, ſicut domus eſt obiectum adæquatum artis domificatorię, quia ad domum ordinantur partes. Similiter in omnibus artibus.

4 Nunc dico: quod obiectum adæquatum logicæ artis internæ eſt ſyllogiſmus rectus internus. Probatur, quia obiectum adæquatum artis eſt opus rectum artificiale, ad quod ordinantur reliquę partes componentes illud totum: ſed ſyllogiſmus rectus internus, eſt opus rectum artificiale, ad quod ordinantur tãquã partes diuiſio, & diffinitio, &c. ergo ſyllogiſmus, eſt obiectum adæquatum logicæ artis internæ, vt rectè factibilis eſt. Tartaretus loquitur de logica ſpeculatiua.

QVÆST. II.

Quod ſit obiectum logicæ artis externæ?

1 QVoniam *voces*, ſecundum Ariſt. 1. Periherm. cap. 1. *ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionum notæ.* Ideò poſtquam dictum eſt de obiecto interno logicæ artis, vel docẽtis interne, nunc opportet determinare de obiecto logicæ artis externæ, ideſt, de obiecto logicæ vocalis artificialis. Et quod dicitur de ea, intelligẽdum eſt de ſcripta.

2 Reſpondeo: ergo quod obiectum logicæ artis externæ ſunt diffinitio, diuiſio argumentatio, enun-

enuntiatio, & terminus vocalis, vt sunt rectè factibiles secundum artem. Probatur, quia omnis ars directiua habet pro obiecto, ea, quæ ab ipsa sunt dirigibilia vt rectè fiant: Sed logica ars est directiua diuisionis vocalis, diffinitionis, argumentationis, enuntiationis, & terminorū vocalium: ergo ista sunt obiecta logicæ artis vocalis.

3 Quæres, quod sit obiectum adæquatum logicæ artis vocalis? Dicet aliquis sequendo, vestigia Tartareti, quod instrumentum sciendi vocale; quia est primum primitate continentiæ, quia continet sub se instrumenta sciendi specialia, nempè diuisionem, diffinitionem, & argumentationem vocalē: Et primitate virtualitatis, quia cōtinet suas passiones, & proprietates.

4 Respondeo dicendum, syllogismum perfectum, & rectum externum esse obiectum adæquatum. Probatur, quia obiectum adæquatum artis directiuæ est illud, ad quod ordinantur partes rectæ, vt rectum sit opus completum: Sed logica ars est directiua, syllogismi recti, ad quem ordinantur reliqua obiecta partialia. nempè diffinitio, & diuisio: ergo. Item, quia logica ars assimilatur artibus practicis, sed artes practicæ habent pro obiecto adæquato, opus completum, quod dictant: ergo logica ars habet pro obiecto adæquato opus perfectum, quod dictat. Istud est syllogismus, vt rectus: ergo. Item præcipuè; quia in hoc differunt artes dictatiuæ à scientijs speculatiuis, quod subiectum speculatiuarum, debet esse commune, quia de singularibus non datur scientia purè speculatiua, at subiectum dictatiuarum est singulare, quia conclusio earum est: ergo hoc opus sic est faciendum, v. g. syllogismus est argumentatio in qua quibusdam positis aliquid aliud sequitur ex his quę posita sunt, sed nunc formandus est syllogismus hic: ergo hic syllogismus sic debet fieri, quod sit argumentatio in quā, &c. sed opus completum, ad quod diriguntur partes, est syllogismus: ergo.

5 Ad argumentum respondeo, quod subiecta prima, vel adæquata scientiarum speculatiuarū requirunt illas duas primitates (loquor de puris speculatiuis) quia obiectum adæquatum earum debet esse commune: at ad obiectum dictatiuarum, sufficit primitas finis, vel ordinis, nempè, quod ad ipsum opus completum singulare dictatum, & conclusum, reliquæ partes compositiuæ eius ordinentur.

6 Obijcies; rectitudo operationum voluntatis, est adminus proprietas intrinseca earum, sed operationes voluntatis dictatæ sunt reales: ergo rectitudines earum. Similiter rectitudo operationum intellectus est proprietas

earum, sed operationes dictæ intellectus sunt reales: ergo & rationes, sed per me operationes intellectus rectè, sunt obiecta partialia logicæ, & syllogismus rectus est obiectum adæquatum: ergo obiectũ adæquatũ logicæ est reale. Hæc consequentia est cõtra Arist. 4. Metaph. tex. 5. cõtra Scotum q. 3. vniuersaliũ, & q. 1. Elenchorũ, & contra S. Th. super tex. Metap. cap. 5. lect. 4.

7 Hoc argumentum possũ, vt sumerem occasionẽ dicendi, quæ nunc dico: benè video, quod logica ars est directiua, & quod operationes intellectus, & externæ debent esse rectæ, benê etiam video, quod in logica arte sunt etiã regulæ dictantes, & dirigentes, quoad quantitatẽ, & qualitatem propositionũ: & etiam cognosco, esse regulas dirigentes, quibus locis ponendæ sunt propositiones: nam *incelarent* primo loco, ponẽda est vniuersalis negatiua, & secundo affirmatiua, vt rectus sit syllogismus, in illo modo: & in *darij* primo loco ponenda est vniuersalis affirmatiua, & secundo particularis affirmatiua, & sic de reliquis figuris, & modis. Tamen debes notare, quód Artista ordinat illas propositiones inter se ponendo, quamque suo loco, hęc ordinatio actualis causat in propositionibus relationes rationis, sed non considerat de illis relationibus, nam tantum causat illas, logica vero purè speculatiua considerat de illis relationibus rationis, quæ sunt rationes formales propositionũ, vt dictum est in logica arte. Vlterius in syllogismo ordinato, est relatio rationis causata ab artista ordinante, quæ est relatio rationis syllogistica, & formalis syllogismi, sed quia artista Logicus, vt artista, non cõsiderat de ea, non est obiectum suæ considerationis, sed effectus suæ dispositionis, & vt sit obiectum scientiæ debet esse obiectum considerationis, & subiectum de quo passiones probentur.

8 Ex his respondeo, quod syllogismus rectè factus, & rectè circunstantionatus qualitate, quantitate figura, & loco, est obiectum logicæ artis, & sic syllogismus internus rectus fabricatus ex tribus actibus intellectus rectis, est quid reale: sed secundum dispositionem rationis, causatam ab artista, est obiectum formale logicæ, non dictatiuæ, sed purè speculatiuę, quæ est quasi reflexa, & consideratiua illius entis rationis, & probatiua proprietatum eius, & de obiecto formali logicæ non dictatiuæ, sed purè speculatiuæ. Et quasi reflexæ locuti sunt Arist. subtilis Doctor, & S. Thom. quod passim notaui in logica arte.

9 Habe ergo corde tenus, ad claritatem, & distinctionem logicæ artis, & purè speculatiuæ, quã distinctionem, & claritatem nunquam vidi comprehensam, quod obiecta formalia sunt distinctissima:

mia: nam si ens rationis syllogistici cum, quod est formale logicæ non dictatiuæ, esset obiectum formale logicæ artis, & dictatiuæ, dictatiua, & non dictatiua, directiua, & non directiua, non distinguerentur, & dictatiua non esset dictatiua, si essent eadem logica, & non dictatiua, esset dictatiua, quod est impossibile. Vnde ad claritatem, & distinctionē remouendo confusionem, quam video in logicis, finita consideratione logicæ artis dictatiuæ, gradum faciam, ad considerationem logicæ non dictatiuæ, & purè speculatiuæ.

QVÆST. III.

Vtrùm Logica directiua sit propriè ars?

1 Dluiditur logica directiua in obiectiuam, actualē, & habitualem. De obiectiua iam dictum est, quod sit obiectum eius, & sub qua ratione: de actuali, quæ est in actibus, nullus loquitur ex professo, sed de habituali, quæ est habitus genitus ex repetitione actuum. Ista habitualis est subiectū nostræ quæstionis, de quo quæritur an sit propriè ars, quod resoluendum est ex his, quæ requiruntur ad artem propriè.

2 Ioannes à S. Th. q. 1. art. 2. Vazquez 1. 2. disp. 85. cap. 1. n. 6. dicunt quod ad rationem artis solùm requiritur, quod sit ratio recta operum agendorum, quæ contingenter fiunt. Secundò, quod ratio artis consistit in hoc, quod tradat determinatas regulas ne in opere error supperat, quod autem materia sit diuersa, est extrinsecū, & accidentale. Ex his deducitur, sed logica directiua est ratio recta operum agendorum, & tradit determinatas regulas ne in operibus sit error: ergo habet rationē propriè artis.

3 Soto q. 4. conclusione 2. Toletus q. 4. procemiali, Patres Carmelitani disp. 1. q. 6. n. 65. & 68. dicunt non esse propriè artem sed analogicè, & secundum quid, probant ex S. Tho. q. 57. art. 3. ad 3. vbi inquit: *Quod artes liberales dicuntur per quandam similitudinem artes.* Item, quia ars est in intellectu practico, sicut scientia in speculatiuo, sed logica est in intellectu speculatiuo: ergo non est ars verè.

4 Dico ergo, quod logica docens, quæ est directiua, non est propriè ars. Probatur per diffinitionem artis, quam tradidit Arist. 6. Ethic. & secundum rectam intelligētiam eius, quam dedit Scotus 1. d. 38. §. *Ad auctoritatē August.* dixit Philos. *Ars est habitus cum vera ratione factiuus*, quā explicat Scot. *cū vera ratione*, id est, cum recta ratione directiua; *factiuus* dicit habitudinē ad factibile. Factibile est opus rectū externū, ad distinctionē agibilis, nā agibile est opus rectū internū. Tum sic ars est habitus cum recta ratione factiuus

ctiuus, sed habitus logicæ directiuæ, non est factiuus, quia dirigit actus internos intellectus: ergo non est propriè ars.

5 Obijcies: logica docens primo dirigit actus internos intellectus, & secúdo factiones externas, v.g. syllogismú vocalẽ rectũ: ergo est propriè ars. Resp. nego consequentiã, disparitas est, quia ars habet pro fine opus externũ, & ibi sistit. At logica licet dicat de propositione, syllogismo vocalib⁹, &c. Ista vocalia sunt media, quę ordinãtur ad manifestandũ opera interna intellectus, quę sunt finis significationũ, & sic non finiũtur externè, sed internè; per quod non est propria ars. Hæc rẽsponsio est iuxta illud Arist. 1. Periher. c. 1. *Sunt ea, quæ sunt in voce, earũ, quæ sunt in animæ passionũ notæ.* Ideſt media ad ea, quæ sunt in anima manifestãda, quia ad hoc instituræ sunt voces significatiuę.

6 Ad arg. positam 2. resp. quod ad rationẽ artis propriè non sufficit, quod sit ratio recta agendorũ, debet esse faciendorum. Alioquin prudẽtia esset ars, quia est directiua agendorũ. Ad 2. dico, quod licet materia maltarum artium sit accidẽtalis, tamen modus factibilis super materiam externã est obiectum per se, per ordinem ad quẽ constituitur ars: logica directiua, licet dicat de modó faciendi diffinitionem, v.g. non fit hoc sistendo in modo fiendi extrinseco, sed in ordine ad intrinsecũ rectũ; propter quod non est propriè ars; sed per similitudinẽ, vt ait S. Th. n. 3.

QVÆST. IV.

Vtrùm Logica docens, & directiua sit propriè scientiæ?

1 MOdus sciendi est ratio faciens deuenire de notitia noti ad notitiã ignoti, Scot. q. 1. vniuersaliũ adducit opinionẽ sine auctore negantẽ. Primò, quia Arist. 6. Metap. tex. 2. diuidit scientiam in Mathematicã naturalẽ, & diuinã, seu Metaphysicã, at logica directiua nõ cõtinetur sub aliqua istarũ: ergo non est propriè scientia. 2 Quia modus sciendi non est scientia, logica est modus sciendi: ergo. 3. quia scientia stricta est de necessarijs, logica directiua nõ est de necessarijs; quia est de actionibus contingentibus: ergo.

2 Alia est sententia cõmunis, dicens: Logicã docentem esse propriè scientiam. Ratio potissima est, quia illi conueniunt omnes cõditiones requisitę ad propriã scientiã, propter quod oportet prius scire, quid sit propriè scientia, vt inde eueniatur ad resolutionem.

3 Hanc de scientia dedit Arist. 1. poster. definitionem: *Tunc scire opinamur vuũquodq; ue simpliciter & nõ sophistico modo, qui est secũdum accidens, cũ causam arbitramur cognoscere, & quia illius est causa.* Ad quam scientiam quatuor requiruntur conditiones, quas enumerat, & elicit Scotus ex ipsa diffinitione in 3. distinct. 24.

§. Ad

§. *Ad quæstionem*. vers. *Sed accipiendo scientiam*. Prima est, *quod notitia sit certa*, excludendo omnem dubitationem, & deceptionem. Secunda, *quod sit cognitio necessaria*. Tertia, *quòd sit per causam euidentem intellectui*. Quarta, *quod sit per causam euidentem necessariam applicatam ad conclusionem per discursum syllogisticũ*. Et hoc modo subiungit Philos. *demonstratiuam scientiam procedere ex primis, & veris, & notioribus causisque conclusionis*.

4 Vlterius notanda est vna subtilis distinctio Scoti in quæst. 4. Prologi §. *Ad argumẽta*, vers. *Ad primum*, quod actus, qui cõtingenter elicitur à potentia, potest considerari dupliciter, vno modo in quantum contingenter elicitur, alio modo in quantum de eo aliquid necessario concluditur; verba Scoti sunt, *ad authoritatem 6. Ethicorum. Resp. per idẽ, quia habitus partis ratiocinatiuæ est circa actum, in quantum contingenter elicitur, sed habitus scientificus, vel scientia, est circa idem, in quantum de eo aliquid necessario concluditur*.

5 Ex his respondeo primò: quòd habitus Logicæ directiuæ dictantis de existentia, & elicentia actus per conclusionem, non est propriè scientia. Nam scientia debet causari ex principijs necessarijs. Sed principium vnum conclusionis dirigentis ad formandũ instrumentum rectum, est contingens: ergo. Patet minor in isto syllogismo de diffinitione. *Diffinitio recta debet constare genere, & differentia. nunc diffinitio est facienda: Ergo debet fieri ita vt genere, & differentia conster*. Ecce minorẽ contingentem, quæ dictat de diffinitione ponenda in re, & contingens est existentia respectu diffinitionis. Hoc idem inuenies, in quolibet syllogismo dictante de modo, quo fieri debet ab artista instrumentum Logicale; vnde de instrumento Logicali, vt contingens est, non potest dari scientia propriè, & sic Logica directiua habitualis non est propriè scientia, quia ad minus procedit ex vna contingente.

6 Dico secundò, quòd de instrumentis sciendi singularibus, & contingentibus, non vt contingentia sunt, potest dari propria scientia. Quia de quolibet potest dari discursus syllogistic⁹ ex præmissis necessarijs. Ad *quod* notandum, quòd singularia includunt rationem specificam, & generică necessariò, & proprietates earũ. Nunc probatur sic, *omnis definitio debet constare genere, & differentia. Sed hæc diffinitio est diffinitio: ergo debet constare genere, & differentia*. Iste syllogismus constat præmissis necessarijs, non aliter ac iste omnis homo est animal rationale, sed hic homo est homo: ergo hic homo est animal rationale. Notitia istius conclusionis est certa, euidens ex principijs ne-

necessarijs, & habita per discursum syllogisticum: ergo est propriè scientia.

7 Ad argumenta patet ex his, quòd Logica directiua non est scientia propriè, quia dictat de contingentibus, vt contingentia sunt, & ideò non continetur, sub scientia propria, vt sic. Ad secundũ, quòd logica, vt dictatiua, est modus sciendi, & reduplicatiuè, vt dictatiua, non est propriè scientia.

8 Obijcies: Scotus quæst. 1. vniuersalium dicit: Logicam docentem esse scientiam, sed per me Logica directiua est docens, quia tradit præcepta dirigentia ad faciendum rectè instrumẽta sciẽdi, nempè diuisionem, diffinitionem, &c. ergo. Resp. quòd Scot. in Logica debet conformari cum sententiarijs, in quibus locis à me allegatis dicit: *quod habitus partis ratiocinatiuæ circa actum in quantum contingens, non est scientia. Sed scientia est circa idem in quantum de eo aliquid necessario cõcluditur.* Ideò respõdeo, quòd in logica loquutus fuit non reduplicatiuè in quantum directiua. Sed in quantum de ea potest aliquid necessario cõcludi.

9 Doctissimus noster Merinero, quæst. 3. Proœmiali num. 6. tenens Logicam docentem esse scientiam. Obijcit, habet conclusiones ex principijs necessarijs per discursum syllogisticũ: ergo est propriè scientia. Antec. patet isto syllogismo. *Syllogismus procedens ex principijs necessarijs, & euidentibus generat scientiam, sed demonstratio est talis*: ergo. Respondeo, quòd subiectum istius syllogismi est demonstratio, non directiua *vt quo*, & vt *est docens*; sed vt *quod*. Et sic concedo, quòd demonstratio docens, *vt quod* est obiectum partiale scibile. Sed nõ probat, quòd Logica docens, vt qua docemur, sit scientia, adhuc obiectiue: nam vt docens, est modus *quo* sciendi, tantum, & non scientia obiectiua, nisi sit, *vt quod* considerata, de qua possint probari proprietates.

QVÆST. V.

Vtrùm Logica directiua, & docens sit practica, vel speculatiua.

1 CIrca istam quæstionem prima sententia dicit, esse practicam tãtum. Primò, quia Arist. 6. Metaph. cap. 1. diuidit scientiam speculatiuam in Mathematicam, & Metaphysicam, at Logica non continetur, sub aliquo membro istorum: ergo non est speculatiua, sed practica. Secundò, quia scientia, quæ dirigis, & dictat de opere faciendo, est practica: sed Logica docens dirigit, & dictat de opere faciẽdo: ergo. Tertiò, quia facultas speculatiua est nobilior practica 6. Met. tex. 2. Sed Logica non est nobilior

liter practicis: ergo non est speculatiua. Probatur minor, quia Logica habet pro obiecto ens rationis, & practicæ habent pro obiecto opera realia.

2 Secunda sententia dicit: esse simul practicam, & speculatiuam: quia Logica, non solum agit de re operabili, sed etiam de re speculabili: ergo est simul practica, & speculatiua. Secundò, quia logica versatur circa materias aliarum facultatum. Sed facultates, aliæ sunt practicæ, aliæ speculatiuæ: ergo logica est simul practica, & speculatiua.

3 Tertia sententia dicit, non esse simul practicam, & speculatiuam; sed tantum speculatiuam; quia differentiæ oppositæ diuidentes habitum non possunt inueniri simul in vno membro diuidente, sed practicū, & speculatiuum diuidunt habitum acquisitum: ergo non est simul practica, & speculatiua. Præterea, quia habitus practicus, est qui dictat de praxi, sed Logica, non dictat de praxi, quia dictat de actibus intellectus, qui non sunt praxis: ergo non est practica. Restat ergo, quòd tantum sit speculatiua.

4 Ad resolutionem quæstionis notandum, quòd ex parte subiecti quæstionis supponitur, quod Logica docens est directiua operationum intellectus. Vlteriùs ex parte prædicati sciendum est, in quo consistit habitus practicus, vt videatur an ratio practici inueniatur in habitu Logicę directiuæ? An non? Ad quod notandū nos non debere fingere nobas voces, sed sequi voces principis Philosophorum, & intelligentiam significatorum earum, sicut Philosophus intellexit.

5 Dixit Philosophus 3. de Anima text. 49. *intellectus extensione fit practicus, & differt ab speculatiuo in fine.* Et 2. Metap. tex. 3. dixit: *finis speculatiuæ, veritas, practicæ autem opus.* Intellectus, non extenditur, quando respicit actus intellectus, quia sunt proprij pertinentes ad obiecta speculabilia, vnus directiu⁹, alter dictatus. Ergo, quando intellectus extenditur ad actus, debet ista extensio esse ad actus alterius potentiæ, quæ non sit intellectus. Et ex quo intellectus extenditur dictando ad actus alterius potētiæ, quā intellectus, cognitio dictatiua debet esse, & prior, & directiua actus dictati. Quare S. Th. q. 14. de Veritate art. 4. sic inquit: *intellectus practicus idem est, quod operatiuus. Vnde sola extensio ad opus facit aliquē intellectum esse practicum.* In quo conueniunt Magistri vtriusque Scholæ.

6 Ex his deducitur, quid sit praxis, & quid habitus practicus. *Dico igitur*, inquit Scotus q. 4. Prologi § *Ad istas quæstiones, quòd praxis, ad quā cognitio practica extēditur, est actus alterius potentiæ, quam intellectus, naturaliter*

ſaliter poſterior intellectione, natus elici cõformiter rationi rectæ, ad hoc, vt ſit actus rectus. Itaque praxis propriè tres cõditiones requirit. Prima, quòd ſit actus alterius potẽtiæ, quam intellectus. Secunda, quòd ſit poſterior actu dictante. Tertia, quod ſit natus elici cõformiter rationi rectæ dictanti dẽ illo actu recto.

7 Dico ſecundò, quòd *habitus practicus eſt habitus dictatiuus, vel directiuus operis alterius potentiæ, quam intellectus, naturaliter prius ipſo opere, & natus rectificare opus, vt ſit rectum.* Itaque ad habitum practicum aliæ tres conditiones requiruntur. Vna, quòd ſit directiuus operis, quod ſit alterius potentiæ, quàm intellect°. Secũda, quòd ſit prior naturaliter ipſo opere dictato. Tertia, quòd ſit rectificatiuus illius operis. Vnde habitus practicus habet habitudinem intrinſecam reſpicientem opus rectum, non quodcumque, ſed alterius potentiæ, quam intellectus, & poterius naturaliter.

8 Ex his deduco iſtam concluſionem, habitus directiuus Logicæ docentis, non eſt propriè practicus, neque in ſphæra practici. Quia habitus practicus debet eſſe directiuus operis alterius potentiæ, quam intellectus; ſed Logica docens, licet ſit directiua, nõ eſt directiua operum alterius potentiæ, quam intellectus: ergo nõ eſt practicus. Eſt ſententia Scoti loco citato.

9 Sed contra obijcio, Logica docens eſt directiua operum externorum, nempe diffinitionis vocalis, & ſyllogiſmi vocalis, quę ſunt opera alterius potentiæ, quam intellectus, & naturaliter poſteriora intellectione: ergo eſt practica. Reſpondeo, quod opera locutionis logicalia ordinantur ad opera dictata intellectus, tanquam ad finem, & vt eſſet habitus practicus, debebat ſiſtere in opere alterius potentiæ: cum autem Logica non ſiſtat in operibus locutionis, ſed potiùs tendit ad opera intellectus dictata, tanquam ad finẽ, & opera intellectus dicta non ſint alterius potẽtiæ, hinc fit, quòd logica adhuc attingens opera externa dictata, nõ ſit practica. Nam finis practicæ eſt opus alterius potentiæ, quam intellectus, & ea, quæ ſunt in vocæ, ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionum notæ.

10 Dico tertiò, quod habitus Logicæ docentis non poteſt eſſe ſimul practicus, & ſpeculariuus formaliter, & intrinſecè. Ad quod notandum, quòd habitus practicus habet ab intrinſeco reſpicere opus alterius potentiæ, quam intellectus, & duas proprietates, vna, quòd ſit prior ipſa praxi, altera, quòd ſit rectificatiuus praxis. At ſpeculatiuus caret iſtis proprietatibus in ordine ad actus alterius potentiæ: tunc ſic; duæ differentiæ, vel proprietates oppoſitæ, non poſſunt eidem habitui

cou-

cõstituto competere; sed practicum formaliter, & speculatiuum formaliter habẽt proprietates oppositas, vt visum est: ergo, nõ potest esse simul practicus, & speculatiuus formaliter. Practicus quidem, directiuus est operis alterius potentiæ, quam intellectus; speculatiuus autem non est directiuus alterius potentiæ, quàm intellectus, quæ proprietates oppositæ sunt, quæ oriuntur ex differentijs essentialibus constituentibus istos habitus.

11 Ex quibus sequitur, quòd habitus Logicæ docentis sit speculatiuus intrinsecè; quia si non est practicus, neque practicus, & speculatiuus simul, sequitur, quòd sit speculatiuus tantum, & intrinsecè. Item, quia habitus, qui licet dictet, dum non dictat de opere alterius potentiæ, quam intellectus, est speculatiuus ab intrinseco: sed logica docẽs licet dictet, non dictat vltimò de opere alterius potentiæ, quam intellectus: ergo est intrinsecè speculatiuus.

12 Ad argum. ad illud Arist. respõd. ibi solum diuisisse scientiam in speculatiuam, & realem, prout distinguitur à sermocionali, rationali, & morali, ideò nõ est mirum, quòd ibi non fecerit mẽtionem Logicæ. Nihilominus tamen 3. Metaph. text. 2. enumerat Logicam inter scientias Theoricas, seu speculatiuas his verbis. *Dialectici ex probabilibus solum perscrutationem faciunt, quorum Theorica est de omnibus.*

13 Ad secundũ: quod mediũ est insufficiens, nam ad habitum practicum non sufficit, quòd sit directiuus cuiuslibet operis, debet esse directiuus operum potentiæ distinctæ ab intellectu, quia intellectus extensione fit practicus.

13 Ad tertiũ: quod quando Arist. dixit: speculatiuam esse nobiliorem practicis, locutus fuit de speculatiuis principalibus, nõ de ministralibus, vt est Logica, quæ ministrat, & subseruit alijs scientijs.

15 Ad argum. secundę sententiæ respondeo, quòd Logica docens, vt docens, solum agit de directione operum intellectus, vt rectè fiant; & ita non agit de re operabili ab alia potentia distincta ab intellectu, quòd requiritur vt esset practica. Ad secundum: quòd Logica versatur circa materias aliarum scientiarum remotissimè, & extrinsecè; materia autem propria, circa quam Logicę docentis, sunt operationes intellectus, vt dirigibiles.

16 Dices, quòd Logica dicitur rationalis, quia habet pro materia, & obiecto formali ens rationis: ergo materia, & obiectum formale eius non sunt operationes intellectus, vt dirigibiles. Respõdeo, quòd sunt duæ Logicæ, quæ dicuntur rationales, quia habent pro obiecto aliquid rationis: directiua habet pro obiecto actus

ntellectus, qui cum sint à ratione, ideò ab illis dicitur rationalis. Logica autem, quæ non est directiua, sed purè contemplatiua, habet pro obiecto formali ens rationis, á quo etiám dicitur rationalis, quia attingit ens rationis.

QVÆST. VI.

Vtrum Logica dirigens sit necessaria ad acquirendum scientias?

1 AD statũ quæstionis sciendum, quod secundum Arist. 3. Metaph. cap. 1. *Necessarium vt sic, est quod aliter se habere non potest.* Aliud est absolutu n, aliud ex suppositione, necessarium absolutum est illud, quòd ex sua intrinseca entitate habet, quòd sit tale: vt quod Deus sit. Necessariũ ex suppositione illud est, quod ab aliqua causa habet, quod sit tale; vnde quia quatuor sunt genera causarum efficiens, materialis, formalis, & finalis, hinc fit, vt necessarium sit in quadruplici differentia, efficiens, vt ignis necessario causat ignem, materiale, vt homo constans materia corruptibili, necessarium est, quod corrumpatur. Ex causa formali necessarium est, quod homo constans anima rationali, sit risibilis. Ex causa finali, necessarius est cibus, vt homo viuat.

2 Præterea necessarium ex causa finali, siue in ordine ad finem duplex est, vnum simpliciter, aliud secundum quid. Necessariũ simpliciter est illud, quòd ita est requisitum ad consequendum finem, quod sine illo, finis consequi non potest, vt respiratio ad viuendum. Necessarium secundum quid illud dicitur, sine quo absolute finis potest consequi, non tamen ita commode: vt equus requiritur ad faciẽdũ iter. Quæstio itaque nostra est de necessitate finali simpliciter. Vtrúm sit ita necessaria ad acquirendum scientias, quod sine illa acquiri non possint?

3 Iabellus in sua Logica tractatu 1. cap. 4. dicit: non esse simpliciter necessariam; quia possunt esse demonstrationes sine illa: vt si rusticus diceret: omne animal vtens ratione, est risibile, homo est animal vtens ratione: ergo est risibile. Alij dicunt esse simpliciter necessariam: quia sine illa non potest esse demonstratio.

4 Respondeo, quòd scientia potest acquiri absolutè, vel modo perfecto, & sine aliquo errore, ad acquirendum scientias absolutè sine modo perfecto, & sine regulatione, non est simpliciter necessaria: quia qui haberet principia intrinseca naturalia, solum cum Logica naturali, hoc est cũ lumine naturali, faceret discursũ & concluderet; sed quando sine Logica artificiali potest habere scientia, Logica non est simpliciter necessaria: ergo.

Ref-

5 Respondeo secundò, quòd ad acquirendum scientias modo perfecto, & sine errore indiscursu, est simpliciter necessaria. Probatur 1. ex Arist. 1. Physicor. cap. 2. dicente: veteres multis erroribus fuisse cõsperſos, & scientias imperfectè didicisse, quia Dialecticam ignorarunt.

6 Secundò probatur argumento Galeni *lib. an sanguis contineatur in arterijs*, quo vsus est contra Erasistratum negantem Logicam esse necessariam ad cõparandũ perfectè scientias. Quòd tale est. *Aut ex quolibet sequitur quodlibet, aut non? Si sequitur sic argumentor. Cigni sunt albi, corbi sunt nigri: ergo Erasistratus est stultus.* Si nõ sequitur: ergo necessaria est simpliciter logica, quæ me doceat, quando aliquid sequitur ex aliquo. Tertiò, quia ad excludendum errorem in intellectu necessarium est aliquod medium, sed nullum est aliud præter Logicam docentem; ergo est necessaria simpliciter ad excludendum errorẽ à scientijs.

QVÆST. VII.

Vtrùm Logica sit acquisita per Logicam?

1 VIdetur quòd sic, quia omnis scientia acquiritur per Logicam. Sed Logica est scientia: ergo Logica acquiritur per Logicã. Ex alia parte videtur, quòd non; quia si Logica, acquireretur per Logicam, ante logicam esset alia Logica: & de illa quæreretur. An acquiratur per Logicam: & sic esset processus in infinitum.

2 Respondeo, quòd Logica artificialis, (dico artificialis, quia assimilatur arti) non acquiritur per Logicam artificialem. Ratio est, quia daretur processus in infinitum, & quia est prima ratio sciendi sine errore; & primæ rationes, nõ habent alias primas, sicut existentia non indiget alia existẽtia; quia est prima ratio existendi. Quo ergo acquiritur primo? Respondeo, quòd per Logicam naturalem, vel per naturale lumen intellectus; nam ex quo homo est rationalis, & intellectualis, naturaliter est apprehensiuus simplicium, & illorum compositiuus, & diuisiuus, & per huiusmodi compositionem, & diuisionem admiratur ad inquisitionem huiusmodi compositionis, & diuisionis, sic quod ex aliquo noto venit in notitiã ignoti. Sunt, nõ aliqua adeò vera, quod ipsis ostẽsis intellectui, intellectus non potest eis dissentire. Sunt etiam aliqui discursus, ita manifesti, quod si intellectus assentiatur principijs, nõ potest dissentire conclusionibus. Ex quo patet, quod intellectus ex principijs naturaliter notis, & ex vi sua naturali perquirendo modum, quo se habent, acquirere potest Logicam artificialem.

3 Ad solutionẽ argum. nota, quod Logica directiua, se potest habere *vt quo*, & *vt quod*. Respectu scientiæ, quæ acquiritur perfectè se habet, vt *quo*, & sic nõ est scientia, sed modus sciendi præcisè: *vt quòd* se habet, quando se habet, vt obiectum Logicæ speculatiuæ purè, & tunc est scientia obiectiuè, vt modo dicam, nam instrumenta sciendi se habent, vt *quo* respectu scientiæ acquisitæ, & ista instrumenta sciendi sunt obiecta Logicæ purè speculatiuæ, quæ agit de essentia, & proprietatibus diffinitionis, diuisionis, & syllogismi, at ista instrumẽta sunt modi sciendi, per quod possunt esse obiectum, quod, & scientiæ. Ad argumentum, sed Logica directiua est scientia: vt directiua, nego minorem: ergo acquiritur per Logicam docentem, nego cõsequentiam. Quia est primũ, *quo* scitur.

CAP. III.

De obiecto Logicæ purè speculatiuæ.

QVÆST. I.

Quid sit obiectum Logicæ purè speculatiuæ.

1 LOgica, quæ non est directiua, habet obiectũ materiale, & formale, adæquatũ, & partialia, quæ hic brebiter assignanda sunt, instrumenta sciendi sunt obiecta Logicæ, non dictatiuæ, quã vocaui, & voco pure speculatiuam; quia in nullo assimilatur practicæ, sicut assimilatur Logica dictatiua, vt directiua. Probatur, quia illud est obiectum scientiæ, vel subiectum, de quo tractat scientia, sed logica, nõ dictatiua agit de instrumentis sciẽdi, non dirigendo: ergo instrumẽta sciendi, non vt dirigibilia, sunt obiectum logicæ non directiuæ.

2 Dices modus sciendi nõ est scientia, sed instrumẽta logicalia sunt modi sciẽdi: ergo. Resp. quod modus sciendi, vt *quo* non est sciẽtia, modi sciendi, vt *quod* est sciẽtia obiectiuè, & sic instrumenta sciendi, vel modi sciendi, vt *quod* sunt obiecta scientiæ istius.

3 Diuiditur instrumentũ sciẽdi in diffinitionem, diuisionem, & argumentationem. Et argumẽtatio diuiditur in perfectã, & in imperfectam, ideſt in syllogismum, & non syllogismum; syllogismus autem diuiditur in suas partes, nempè in enuntiationes. Et enuntiatio diuiditur in suas partes, nẽpè in terminos, quorum vnus est subiectum, & alter prædicatum. Omnia hæc sunt obiecta istius Logicæ: quia agit de eis, in vniuersalibus de subiecto, & prædicato. In Periherm. de enuntiatione in lib. de Priori resolut. de syllogismo, &c.

Om-

4 Omnia hæc sunt obiecta materialia istius logicæ, quia illud est obiectum materiale scientiæ, quod subest rationi formali, de qua tractatur in scientia, sed ista instrumenta subsunt rationibus formalibus, de quibus agit logica: ergo ista instrumenta sunt obiecta materialia logicæ. Patet minor, quia subsunt enti rationis logico, de quo agit ista logica.

5 Inter ista obiecta materialia syllogismus, est adæquatum. Quia illud obiectum, quod continet omnia, de quibus tractatur in scientia, est adæquatum, sed syllogismus continet omnia de quibus tractatur in ista logica: ergo syllogismus est obiectum adæquatum. Probatur minor, quia syllogismus continet virtualiter suas proprietates demonstrabiles de illo, continet potentialiter sua inferiora, continet attributiue, vel finaliter, propositiones, diuisiones, & terminos, subiectum, & prædicatum, quia omnia ista ordinantur ad cõponendum syllogismũ: ergo continet omnia, de quibus agitur in logica. Conclusio est Scoti q. 3. vniuersalium.

6 Oppones Scotum q. 2. libri priorum, vbi dixit: *Syllogismus non est obiectum totius logicæ, modus sciendi est obiectum in tota logica.* Ad solutionem nota, quod tota logica comprehendit diffinitionem, diuisionem, & argumẽtationem syllogisticam. Socrates fuit Auctor artis diffiniendi, Plato autem Auctor fuit artis diuidendi, sed Arist. Auctor fuit artis syllogisticæ, vt ipse testatur 2. Elenchorum in fine. Modo quãdo Scotus q. 3. Vniuersalium dixit syllogismum esse obiectũ adæquatum logicæ, loquebatur de logica inuenta ab Arist. quãdo vero q. 2. lib. de priori resolutione dixit; nõ syllogismum, sed modum sciendi esse obiectum adæquatum logicæ, loquebatur de logica in tota sua latitudine, quod constat, quia in secunda auctoritate addidit illam dictionem *totius Logicæ.*

7 Vnde circa istam difficultatem hæ conclusiones possunt teneri in doctrina Scoti. 1. syllogismus in sua latitudine est obiectum adæquatum logicæ, quæ nunc existit Aristotelis. Ratio est, quia continet omnia de quibus tractauit Arist. in sua logica, aliqua virtualiter, vt passiones syllogismi, aliqua potẽtialiter, vt species syllogismi, & aliqua finaliter, quia ordinãtur ad syllogismum, tanquam ad finem.

8 Sed contra illam conclusionem obijcit Scotus q. 3. Vniuersalium. Omnis scientia est per syllogismum, sed ponendo syllogismũ pro obiecto logicæ, datur scientia de eo: ergo syllogismus cognoscitur per syllogismũ. Consequens est falsum, nam ex eo sequeretur, quod daretur processus in infinitum, vel quod idem esset notum, & ignotum.

Rel.

9 Respondeo, quod syllogismus se habet vt *quo*, & vt *quòd*, vt *quo* est prima ratio instrumentalis sciendi, vt *quod* est obiectum scientiæ de syllogismo. Et sic syllogismus vt *quod* scitur per syllogismum vt *quo*, sicut lux vt *quo* est ratio videndi vt *quod*, ex quo nullum ex his inconuenientibus sequitur, non processus, quia quando est vt *quo* est prima ratio instrumentalis sciendi, vltra quam non proceditur, neque secundum, quia vt *quo* est notior, quam conclusio, quæ probatur de ipso vt *quod*, & quod idem sub vna ratione sit clarius se ipso sub alia ratione, vel conclusione probata de ipso, non est contradictio. Contradictio esset, si esset notius se ipso sub eadé ratione formali.

10 Secunda, syllogismus in sua latitudine non est obiectum primum, seu adæquatum totius logicæ comprehendentis diuisionem, & diffinitionem, quia definitio, & diuisio sunt partes obiectiuæ logicæ, & tamen non sunt partes integrãtes syllogismum: ergo syllogismus non est obiectum adæquatum logicæ in sua latitudine. Patet consequentia, quia obiectũ adæquatum debet comprehendere, omnia obiecta de quibus complete agitur in scientia.

11 Tertia, modus sciendi est obiectum adæquatum totius logicæ. Ratio est, quia obiectum adæquatum debet continere omnia obiecta, de quibus agitur in scientia, sed modus sciendi, vt sic continet omnia, quæ tractantur in logica, quia continet sub se omnes modos sciendi continentia potentiali: ergo instrumentum sciendi, vel modus sciendi est obiectum adæquatum totius logicæ.

12 His tamen non obstantibus satis probabiliter potest dici, quod syllogismus est obiectum adæquatum totius logicæ, quia continentia finali continet diffinitionem, eo quod diffinitio est medium, & terminus propositionum, quæ ordinantur ad syllogismum tamquam ad finem, & diuisio ordinatur ad distinguendum terminos aptos ad propositiones. Et ad testimonia Scoti dicendum est locutum fuisse probabiliter, quia secundum Tartaretum in procemio q. 3. §. *Quantum ad secundum*, probabiliter tenet, quod modus sciendi est obiectum adæquatum totius logicè.

13 Sed obijcit noster Meri nero q. 4. procemiali num. 86, diffinitio independenter à syllogismo facit nobis notam essentiam rei, & diuisio facit nobis partes diuisi notas independenter à syllogismo: ergo non ordinantur ad syllogismum. Nego antecedens, nam dependenter à syllogismo fiunt tamquam à causa finali, quia diuisio, & diffinitio semper sunt in ordine ad syllogismum tamquam ad instrumentum principale eductiuum scientiæ, & probatiuum veritatis occultæ.

QVÆ-

QVÆST. II.

Vtrùm obiectum formale istius logicæ sit ens reale?

1 OPinio recens est his temporibus tenens obiectum formale logicæ esse ens reale, non rationis. Fundamentũ est, quia est vera, & propria sciẽtia, sed de ente rationis non datur propria, & vera scientia, sed de ente reali: ergo. Minor probatur primo, quia obiectum formale propriæ scientiæ debet habere passiones, quæ de ipso demonstrentur; sed ens rationis non habet passiones, quæ de ipso demonstrentur: ergo. Secundò, quia scientia vera dicit relationem realem scientiæ ad scibile: sed logica circa ens rationis non potest habere veram relationem realem, quia ista petit terminum realem: ergo ens rationis nõ potest esse obiectum logicæ, quæ est vera scientia. Præterea ex Arist. de sensu, & sensato, *nil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Ens rationis nõ potest esse in sensu: ergo neq; in intellectu: ergo nõ potest esse obiectum actuum intellectus.

2 *Si quæras* in quo ente reali consistat ista ratio obiecti formalis logicæ? Hurtado, & quidam modernus cum alijs dicunt, quod in actibus intellectus, vt actu sunt dispositi in forma modi sciendi logici, quia hæc actualis dispositio in forma modi sciendi est denominatio extrinseca ab actu intellectus tanquã à forma proueniens. Sed denominationes extrinsecæ, quando proueniunt à forma reali, sunt reales: ergo in illis obiectis realibus consistit obiectum formale logicæ.

3 Franciscus Alfonsus disp. proœniali sect. 6. p. 2. num. 90. dicit: subiectum materiale logicę esse conceptus obiectiuos. Obiectum formale vero sunt conceptus formales, seu intellectiones formales, prout constituunt obiectiuos inesse diffinitionis, diuisionis, argumentationis, syllogismi, &c. Quod probat, quia obiectum formale est illud, quod attingitur à scientia ratione sui, & ratione cuius attingitur obiectum materiale; sed conceptus formales, prout constituentes obiectiuos inesse diffinitionis, diuisionis, &c. Sunt id, ratione cuius, vel sub qua attinguntur à logica ipsi conceptus obiectiui: ergo sunt subiectum formale ipsius logicæ.

4 Alij dicunt: operationes intellectus, vt dirigibiles, & ordinabiles sunt ad constituendum ex rebus sibi obiectis modum sciẽdi logicum, esse obiectum formale logicæ. Fundamentum est, quia subiecta ratione attinguntur â logica. Etsi obijcias, quod logica agit de secundis intentionibus, & de ente rationis logico. Resp. quod hoc obiectum est per accidens, & accidentale logicæ.

5 Ego

5 Ego quidem bene video actus intellectus, vt ſunt diffinitio, diuiſio, & argumentatio, & ſyllogiſmus, eſſe inſtrumenta ſciẽdi, & quod illi actus ſunt reales: ergo inſtrumenta ſciendi ſunt realia. Logica agit de iſtis inſtrumentis ſciendi, tanquam de obiectis proprijs: ergo obiectum logicæ eſt quid reale.

6 Benè etiam video, quod iſti conceptus formales, vel actus intellectus, habent alias rationes ſpecialiores; nam iſti ab intrinſeco petunt, quod ſint recti, vt ſint vera inſtrumenta ſciendi, & rectitudo eorum eſt proprietas intrinſeca eorum, ſicut rectitudo praxis eſt intrinſeca praxi. Vnde iſta inſtrumenta, vel conceptus formales logici, vt recte factibiles, ſunt quid reale: tamen ſub iſta ratione ſunt obiecta formalia logicæ directiuæ, non verò iſtius logicæ non directiuæ: de cuius obiecto eſt quæſtio.

7 Præterea etiam video, quod iſta inſtrumenta ſciendi, vel conceptus formales intellectus, dicunt habitudinem intrinſecam ad materiam, vt conſtituunt in ea definitionem obiectiuã, quia diffinitio formalis, ex quo eſt inſtrumentum ſciendi, debet conſiſtere in actu intellectus. Et iſta habitudo eſt ratio formalis reſpectu actus intellectus, per quam differunt intrinſecè iſta inſtrumẽta, & quod iſta habitudo eſt idem realiter cũ actibus. Et ſic ſcientia, quæ demonſtrat proprietates iſtorum actuum, eſt realis; & poteſt dici rationalis, in quantum habet pro obiecto actus rationis dictatos.

8 Sed præter hæc cognoſco, quod ab arte Logica (dico artem latè) diffinitio ordinatur, vt pars inſtrumentalis ad propoſitionem, & propoſitio ad ſyllogiſmũ, & ſyllogiſmus ad ſcientiam, ideò ſunt inſtrumenta ſciendi. Actus autem ordinantes iſta inſtrumenta cauſant in ipſis inſtrumentis, quaſdam relationes rationis: Sicut ſuper animal, ordinando illud ad ſpecies, cauſat relationem generis, & ſupra id, de quo animal dicitur, cauſat relationem ſubiecti. Hæ quidem rationes ſunt magis determinatæ: propter quod debent eſſe obiecta formalia, & illa, ſuper quæ cauſantur, ſunt obiecta materialia, & iſta logica reflectit ſuam conſiderationẽ ſuper iſtas relationes rationis.

9 *Dico ergo*, quod obiectum per ſe, & formale logicæ non directiuæ, conſiſtit in ente rationis. Et quod inſtrumenta ſciendi, ſeu conceptus formales, vel actus intellectus, prout conſtituunt obiectiuos, ſunt obiecta materialia iſtius logicæ. Hæc ſententia eſt principaliorum hominum totius mundi, eſt Ariſt. 4. Metaph. conclu. 5. Aberrois Comentatoris Ariſt. in principio Epitomes logicæ, & 4. Metaph. commen. 2. Abicenæ 1. Metaph. cap. 2. ſubtilis Scoti q. 3. Vniuerſalium. S. Tho. 4. Me-

4. Metaph. lect. 4. opusc. 42. capitulo 4. opúsculo 56. ante medium, & 70. q. 6. art. 1. & 1. poster. lect. 20. Durãdi in 1. dist. 19. q. 6. quam sequuntur innumeri moderni.

10 In primis ista logica agit per se de ente rationis. Probatur, quia proloquium dicit, quod logicus agit de secundis intentionibus adiunctis primis: ergo per se primo agit de secundis intentionibus, & de connotato de primis. Et quod secundæ intentiones sint obiectum formale. Probo, quia istæ secundæ intentiones sunt formæ determinantes instrumenta sciendi, quibus sunt proximè aptæ ad componendum completum instrumentum, vt dictum est de termino ad componendum propositionem, de definitione ad componendum etiam propositionem, de propositione ad componẽdũ syllogismũ. Sed quãdo à scientia attinguntur obiectum, quod est forma, & obiectum, quod est materiale, obiectum quod est forma, est formale: ergo istæ secundæ intentiones sunt obiectum formale logicæ, non directiuæ.

11 Ad argumenta, quæ intendunt, quod obiectũ formale istius logicæ nõ potest esse ens rationis, ad primũ, nego, quod ens rationis nõ habeat suas proprietates rationis demonstrabiles de illo per definitionẽ, nã sicut ens reale habet proprietates reales, ita ens rationis habet proprietates rationis.

12 Ad 2. restandũ, quod scientia ad scibile aliquãdo habet duas relationes, aliquãdo vnam tantũ, quæ constituit illã in ratione scientiæ. Ista est relatio transcendentalis identificata cum ipsa scientia, quæ cõpetit scientiæ, siue obiectũ sit reale, siue rationis, quod patet, quia Metap. attingens ens rationis in sua latitudine est propriè scientia, quamuis obiectum sit ens rationis, quia habet istam relationem intrinsecam. Alia relatio scientię ad scibile est accidens per accidens scientiæ; quæ consurgit, si obiectum est reale, etsi non est reale, & existens, non cõsurgit. Nunc dico: quod scientia realis, debet habere primam relationem intrinsecam, & nego, quod logica non habeat illã, quia logica actualis, & habitualis, sunt qualitates reales. Altera autem relatio petit obiectum reale, existens, sed est accidentalis ad scientiam.

13 Ad solutionẽ illius de dicto Arist. nota, quod nihil est obiectiuè in intellectu nisi prius fuerit in sensu, vel per speciem propriam missam ab illo obiecto, vel per speciẽ alienam. Hoc est alterius obiecti, sed ens rationis nõ fuit in sensu, per speciem propriam, concedo, quia ens rationis non potest causare speciem realem, quia species realis, cum sit altioris perfectionis, non potest contineri in ente rationis. Per speciem alienam, nego. Et ita per speciem alienam potest

eſſe obiectiue in intellectu.

14 Ad ſolutionem argumentorum intendentium, quod obiectũ formale eſt ens reale negando iſtã concluſionem, & reſpondendo argumentis: patet, quod non conſiſtit in hoc, vel illo reali. Et in ſpeciali ad illud intendens, quod conceptus formales ſunt obiectum formale, prout conſtituunt obiectiuos in inſtrumẽto ſciendi, quãdo dicit, quod ſub iſta ratione attinguntur rationes obiectiuæ; dico, quod etiam iſti actus attigunntur ſub alia ratione formali rationis, & ita illa eſt obiectum formale.

QVÆST. III.

Cui enti rationis competit eſſe obiectum adæquatum Logicæ?

1 PRoponitur prima ſententia, quidam dicũt; quod enti rationis in ſua latitudine; quia ſic continet omnia entia rationis, de quibus agit iſta logica; ſed obiectum quod cõtinet omnia obiecta de quibus agit ſcientia eſt, adæquatum: ergo ens rationis in ſua latitudine eſt obiectum adæquatum logicæ. Hæc ſententia tribui ſolet S. Tho. locis citatis, quæſt. antecedenti num. 9. ſed falſe imponitur illi.

2 Refelitur, quia obiectum primum adæquatum ſcientiæ eſt illud, quòd neque excedit ſcientiam, neque exceditur ab illa, in hoc quidem ſtat adæquatio. Sed ens rationis in ſua latitudine excedit logicã, quia logica per ſe nõ agit de aliquibus entibus rationis ſpecialibus, neq; de illo ente rationis in ſua latitudine, quia de illo agit Metaph. ſed ſolùm de illis, qui fundantur in inſtrumentis ſciẽdi: ergo. Et per hoc patet ad fundamentum oppoſitum, quia obiectum vt ſit adæquatum, non ſufficit, quod contineat omnia obiecta ſcientiæ, ſed vlterius requiritur, quod non excedat ipſam ſcientiã. Et in his duabus ſtat adæquatio, & ens rationis in ſua latitudine excedit ſcientiam logicam, non directiuam.

3 Proponitur ſecunda ſententia. Rubius, & alij dicunt: quod dirigibilitas actuum intellectus eſt obiectum adæquatum formale logicæ, quia actus intellectus, vt dirigibiles, ſunt obiectum adęquatum formale logicę. Sed hæc dirigibilitas eſt quoddã ens rationis: ergo in ente rationis qnod eſt dirigibilitas, ſtat ratio formalis adæquata obiecti Logicæ.

4 Reijcitur, quia vel hæc dirigibilitas conſiſtit in potentia actus, qui poteſt eſſe rectus, vel nõ rectus, vel in ipſa rectitudine; ſed primum, & ſecundum ſunt quid reale: ergo prima competit actui intellectus in quantum poteſt eſſe rectus, & non rectus. Secunda eſt rectitudo, quæ eſt paſsio, & proprietas actus recti: ergo ſunt ratio-

rationes reales ſicut ipſe actus. Præterea dato, quod hæc dirigibilitas eſſet ens rationis, eſt obiectum formale logicæ directivæ: ergo non eſt obiectum formale iſtius logicæ non directiuæ. Alioquin eadem logica formalis eſſet directiua, & non directiua, actus intellectus, non haberent idem obiectum formale. Præterea vltra iſtam dirigibilitatem eſt alia ratio formalis ordinationis ad ſcientiam educendam, quæ facit formaliter inſtrumentum ſciendi: ergo in illa debet conſiſtere, & non in dirigibilitate.

5 Obijcit, illud eſt obiectum adæquatum ſcientiæ, quod eſt finis ſcientiæ, ſed finis logicę eſt dirigere operationes intellectus: ergo operationes intellectus, vt dirigibiles, ſunt obiectum adæquatum logicæ. Reſpondeo diſtingnẽdo minorem, finis logicæ directiuæ eſt dirigere operationes intellectus, concedo. Logicæ non directiuæ, nego, & iſta non eſt directiua, ſed pure contemplatiua.

6 Obijcit ſecundò, operationes intellectus, vt dirigibiles, ab aliqua ſcientia conſiderari debent, ſed non eſt aliqua niſi logica: ergo. Diſtinguo minorẽ niſi à logica directiua, concedo, à Logica puere ſpeculatiua ſine directione, nego. Omnes quidem, qui has duas logicas non cognouerũt maxime confunduntur.

7 Proponitur tertiò, ſententia N. Merinero in procemio Logicæ quæſt. 4. duas concluſiones proponit. Prima eſt, quod ſyllogiſmus eſt obiectum formale adęquatum logicæ, quam tetigit Ariſt. ex profeſſo, quia ad ipſum ordinantur, omnia quæ tetigit ex profeſſo Ariſt. nempe terminus, & enuntiatio, ſed illud ad quod reliqua ordinantur in ſcientia eſt obiectum adæquatum; ergo.

8 Secunda eſt, quod inſtrumentum ſciendi eſt obiectum adæquatum, & formale: quod idem eſt ſecundum ipſum, totius logicæ, quod probat, quia obiectum adæquatum ſcientiæ eſt illud, quod continet ſub ſe omnia, quæ tractantur in ſcientia. Sed inſtrumentum ſciendi, vt ſic, continet ſub ſe definitionem, diuiſionem, ſyllogiſmum, & omnia quæ continentur ſub ſyllogiſmo, & ordinantur ad illum: ergo.

9 Et quidem videtur diminute proceſiſſe, quia ſyllogiſmus habet partem realem conflatam ex tribus actibus intellectus (loquor de interno, & vltra habet ens rationis) & non dicit (quærendo in quo ente rationis conſiſtat obiectum formale adæquatum) aliquod verbum de iſto ente rationis. Item ſi per ipſum, obiectum formale, & adæquatum totius logicæ, conſiſtit in modo ſciendi, vel in inſtrumento ſciendi, & vlterius, dicit, quod obiectum formale conſiſtit in ente rationis. Debebat dicere, quod conſiſtit in ente rationis fundata

in iſtrumento ſciendi, & quod illud ſit, & in quo differat à reliquis entibus rationis. De quo nihil ait.

QVÆST. IIII.

Determinatur, quod ſit obiectum formale adæquatum Logicæ.

1 DVo, ſunt genera inſtrumentorum ſciendi, ſecundum quod dictum eſt in dialectica parua. Vnum ſtat in tribus operationibus intellectus, alterum in operibus locutionis, nam ſecundum Philoſ. 1. Periher. cap. 1. *voces ergo ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionum notæ.* Et Artem logicalẽ tradidit Ariſt. per voces ſignificatiuas, vt conſtat, quia diffinitiones, & definita dicebat, eſſe voces ſignificatiuas ad placitum, &c.

2 Loquendo de inſtrumento interno, nempè de actibus intellectus in ordine ad logicã non dictatiuã, & vt ſunt obiecta eius, duo inuenio, vnum eſt phyſicum, & reale, nempe actus intellectus dictati, & recti, qui dicuntur inſtrumenta ſciendi. Alterum eſt relatio, quam cauſat intellectus Artiſtæ ordinando ea ad ſuos fines.

3 Iſti actus intellectus recti, ſunt obiecta materialia iſtius Logicæ non dictatiuæ, & illæ relationes rationis, quas cauſat intellectus Artiſtæ, ſunt obiecta formalia. Hoc probatur, quia illud eſt obiectum materiale, quod ſubeſt formæ, & determinabile à forma, vel à ratione formali; & formale, eſt forma determinatiua. Hoc eſt verum diſcurrendo per omnia obiecta ſcientiarum. Sed actus recti intellectus determinantur per iſtam relationem ordinationis ad ſcientiam, & relatio eſt forma determinans: ergo actus recti intellectus ſunt obiectum materiale, & relationes ſunt obiecta formalia.

4 Loquendo de actibus, ſeu de inſtrumentis ſciendi vocalibus, vt ſunt diffinitio, diuiſio, & ſyllogiſmus, de quibus egit Ariſtoteles. Dico: quod diffinitio, vt eſt oratio ſignificans ad placitum verum quid rei, eſt obiectum materiale iſtius Logicæ, at quando Artiſta ordinat illum, vel ad propoſitionem, vel ad ſcientiam, cauſat ſupra illam quandam relationem rationis ad finem, ad quem eſt ordinabilis, & iſta relatio eſt obiectum formale, licet partiale iſtius Logicæ. Patet, quia illud eſt obiectum materiale, quod ſubeſt rationi formali, & determinatur ab ea, & obiectum formale eſt forma determinans: ſed actus vocalis diffinitionis ſignificatiuæ ſubeſt iſti relationi, & relatio determinat illum: ergo diffinitio ſignificatiuæ

eſt

est obiectum materiale, & relatio rationis, quæ illi competit est obiectum formale; licet partiale Logicæ, non dictativæ.

5 Hæc, vt clare capias, illa declaro hoc exemplo, intellectus considerat rationem hominis, & rationem animalis, & ordinat rationem animalis, & rationem hominis ad componendum propositionem, & causat super animal relationem rationis prædicabilitatis, & supra hominem causat relationem subijcibilitatis. Scientia, quæ respicit animal, vt subest illi prędicabilitati, habet animal pro obiecto materiali; quia animal subest illi relationi, & determinatur ab ea, & relationem prædicabilitatis habet pro obiecto formali, quia est ratio informans, & determinans animal ad componendum proximè propositionem.

6 Similiter considerás Artista diffinitionem, vt rectè factibilẽ, considerat illam, vt rectam, quia vt recta est instrumentum sciendi, & ordinat illam tanquam partem ad componendum syllogismum perfectum, qui est instrumẽtum sciendi completum, & causat super diffinitionem rectam quãdam relationem rationis instrumenti sciendi partialis ad instrumentum sciendi completum. Diffinitio recta est quid materiale, quia subest illi relationi secundæ intentionis, & determinatur ab ea, & illa relatio rationis est forma: quia determinat subiectũ materiale: ergo respectu scientiæ, quæ reflectit super ista cognoscibilia, diffinitio recta, est obiectũ materiale, & illa relatio ordinationis est obiectum formale. Similiter de alijs instrumentis sciendi respectu istius Logicæ reflexæ.

7 Nam Artista cõsiderãs syllogismum, vt rectè factibilem, considerat illum, vt rectum, & eligit, & ordinat illum in ordine ad scientiam; quæ est effectus syllogismi perfecti, vt causa instrumentalis illius scientiæ. Tunc logicus, non vt directiuus, sed, vt purè speculatiuus reflectit super ista obiecta, & cognoscit, quòd syllogismus rectus est obiectum materiale, quia subest illi ordinationi passiuæ, quæ est relatio rationis, & secundæ intentionis, & quia determinatur ab ea. Et cognoscit, quòd illa relatio rationis est ratio formalis obiectiua, quia forma determinans rationem materialem syllogismi. Et sic de obiecto materiali, & formali istius Logicæ purè speculatiuæ, & quasi reflexæ.

8 Loquendo de obiecto materiali adæquato istius Logicę purè speculatiuæ dico, quòd est instrumentum sciendi: & ratio est, quia ab hoc, & illo instrumento sciendi abstrahitur ratio instrumenti sciendi, quæ continet virtualiter suas proprietates, & potentialiter omnia instrumẽta sciẽdi, & partes instrumentorum. Sed obiectum, quod continet omnia

obiecta

obiecta attingibilia à ſcientia eſt adęquatum illius ſcientię: ergo inſtrumentum ſciendi eſt adæquatum iſtius Logicæ.

9 Obijcies: quòd cap. antecedente. quæſt. 4. num. 3. determinauí, quòd obiectum adæquatum Logicæ erat ſyllogiſmus, non inſtrumentum ſciendi, vt ſic. Modo dico, quòd inſtrumentum ſciendi, vt ſic eſt obiectum adæquatum Logicæ: ergo procedo inconſequenter, & cum contradictione. Reſpondeo, quòd ibi loquor de obiecto Logicæ directiuæ, vt tali, cuius obiectum debet eſſe opus ſingulare dictatum. Et obiectum adæquatum debet eſſe opus completum ſingulare dictatum, ſquòd conuenit ſyllogiſmo, non inſtrumento ſciendi, vt ſic. Modo loquor de Logica non dictatiua, ſed purè ſpeculatiua, (dico purè ſpeculatiua, quia in directione non conuenit cum practica, ſicut conuenit directiua Logica, licèt non ſit practica, vt dictum eſt:) quę non reſpicit pro obiecto adęquato ſyllogiſmũ factibilem reduplicatiuè, ſed abſtrahit ab hoc, & illo obiecto, rationem communem, quæ contineat diuerſis modis omnia puræ ſpeculabilia, de quibus agitur in iſta Logica, quaſi reflexa: & ſic, neq; eſt in conſequentia, neque cótradictio, nota quæ ibi dixi.

10 Sed loquendo de obiecto formali, & adæquato iſtius Logicæ purè ſpeculatiuæ, dico: quòd conſiſtit in relatione rationis fundata in inſtrumento ſciendi, & terminata ad ſcientiam, vel veritatem demonſtratam, vel demonſtrabilem. Ad cuius claram intelligentiam nota, quod ſunt varia obiecta formalia partialia iſtius Logicæ; Nam relatio ordinationis fundata ſuper diffinitionem eſt diſtincta in ſpecie à relatione ordinationis fundata ſuper diuiſionem, & relatio ordinationis fundata ſuper ſyllogiſmum perfectũ, qui eſt inſtrumentum completum ſciendi, eſt diſtincta in ſpecie á relationibus rationis dictis. Item relatio generis eſt diſtincta ſpecie, à relatione ſpeciei, tàm ſubijcibilis, quàm prædicabilis, quas caulat intellectus ſuper obiecta cognitionum. Item, relatio termini ordinati ad propoſitionem, & relatio propoſitionis ordinatæ ad ſyllogiſmum differũt ſpecie, quia habent diuerſa fundamenta, & diuerſos terminos ad *quos* immediatos, quia terminus eſt fundamentum vnius, & propoſitio eſt terminus immediatus ad *quem*; ratio verò propoſitionis habet pro fundamento immediato ipſam propoſitionem, & pro termino immediato ipſum ſyllogiſmum: omnes iſtæ relationes, ſunt obiecta formalia iſtius Logicæ, & aliquo modo continentur; ſub relatione rationis inſtrumẽti ſciẽdi: obiectum quòd continet omnia obiecta ſcientię aliquo modo eſt adęquatum: ſed relatio modi

ſciendi

scien li continet aliquo modo omnia obiecta formalia, de quibus agit ista logica pure speculatiua: ergo relatio modi sciendi est obiectum formale, & adæquatum istius logicæ pure speculatiuæ. Minor patet, quia illa relatio modi sciendi continet virtualiter suas proprietates, & potentialiter sua inferiora, & reductiue reliqua, & omnia attinguntur, sub ratione modi sciendi formalis.

CAP. IV.

De Logica habituali pure speculatiua?

LOgica pure speculatiua est tripliciter, actualis, obiectiua, & habitualis. Viso de obiectiua, nunc videndum est de habituali, quæ est habitus acquisitus in intellectu ex repetitione actuũ circa obiectũ eius, iam prædictum.

QVÆST. I.

Vtrùm habitus istius Logicæ purè speculatiuæ sit scientia vera?

1 VIdetur quod non, quia vera scientia est realis: ergo de obiecto reali; sed obiectum eius per nos est ens rationis Logicum: ergo non est vera scientia. Probatur prima consequentia. Quia obiectum est causa sciẽtiæ: ergo si scientia est realis, & vera, petit obiectum reale, quia ens rationis non potest esse causa effectus realis. Secunda: quia vera; & propria scientia dicit relationem realem conformitatis ad suum obiectum. Sed ens rationis non potest esse obiectum relationis conformitatis realis, quia relatio realis petit terminum realem: ergo. Tertia, quia ista facultas est rationalis, vel rationis, & sermotionalis: ergo nõ est realis, neque vera scientia; sed contra est, quia communiter dicitur esse sciẽtiam proprie, & realem.

2 Respondeo, quòd est proprie scientia: quia *sicut scientia actualis est notitia certa, & euidens ex principijs necessarijs, causata per discursum syllogisticum. Ita scientia acquisita, est habitus certus, & euidens rei necessariæ per discursum syllogisticum acquisitus.* Sic est habitus istius logicæ: ergo est propriè scientia. Minor potest intelligi de habitu circa instrumenta sciendi materialiter accepta, vel de scientia circa ens rationis Logicum. Si habitus accipiatur primo modo patet, quod est scientia de obiecto reali, nempè de actu intellectus. Nam omne instrumentum sciendi est generatiuum scientiæ. Sed demõstratio est instrumentum sciendi: ergo demonstratio est generatiua scien-

ſcientiæ. Habitus cauſatus ab à ſenſibus ad veritatem iſtam deductam, eſt certus, & euidens rei neceſſariæ, & per ſyllogiſmũ acquiſitus: ergo eſt propriè ſciẽtia. Et contra iſtam concluſionem nõ militant argumenta poſita, quia obiectum eſt reale.

3 Loquendo de habitu circa ens rationis Logicum etiam dico, quòd eſt propriè ſcientia; nam omne ens rationis Logicum fundatum in inſtrumento ſciendi natum eſt ab intrinſeco reſpicere ſcientiam. Sed illa relatio cauſata ſuper inſtrumentum ſciendi eſt ens rationis Logicum: ergo natum eſt recipere ſcientiam. Iſte ſyllogiſmus eſt demõſtratio: quia probatur veritas propria per definitionem, & ſic eſt notitia certa, & euidens ex principijs certis & euidentibus, & neceſſarijs cauſata per diſcurſum ſyllogiſticum: ergo, & habitus genitus.

4 Item omnis natura generica nãta eſt diuidi in ſuas ſpecies, ſed illa relatio fundata ſuper modum ſciendi eſt natura generica: ergo. Probatur minor, quia natura generica, vel quæ dicitur genùs, eſt illa, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ſic eſt iſta: quia de relatione diffinitionis prædicatur ſic, relatio diffinitionis eſt relatio inſtrumenti ſciendi, relatio diuiſionis, eſt relatio inſtrumenti ſciendi. Relatio ſyllogiſmi eſt relatio inſtrumenti ſciendi; notitia iſtius concluſionis eſt ex principijs certis euidentibus neceſſarijs, & per diſcurſum ſyllogiſticum; ergo ſcientia propriè: ergo, & habitus genitus ex repetitione illius.

5 Item omne aptum prædicari de pluribus eſt vniuerſale, ſed genus eſt aptum prædicari de pluribus: ergo eſt vniuerſale. Notitia iſtius concluſionis eſt ex principijs certis euidentibus, & neceſſarijs, & cauſata per diſcurſum ſyllogiſticum: ergo ſciẽtia actualis propria: ergo, & habitus genitus ex repetitione illius. Sic de ſpecie, de proprio, de differentia, formaliter ſumptis; & de termino; & de enuntiatione facerem plurimas demonſtrationes, ſed ad euitandũ prolixitatem illas omitto.

6 Ad argumenta, ad primum concedo maiorem, & nego conſequentiam, ad probationem dico, quod aliqua obiecta ſunt cauſa effectiua ſcientiæ, alia ſunt tantum terminatiuè, & rationes formales terminandi. Ad rationem ſcientiæ veræ ſufficit, quod obiectum ſit ratio terminandi, per ſe non requiritur, *quod* ſit per ſe motiuum, ſufficit, quòd moueatur intellectus ab alio obiecto. Nam ſcientia Dei eſt vera, & terminatur ad creaturas poſſibiles, & non mouetur ab illis, ſed ab eſſentia diuina.

7 Ad ſecundũ, iam dictum eſt, quod in aliquibus ſcientijs ſunt duæ relationes reales, vna tranſcendentalis ad obiectum, quæ eſt intrinſeca actui, & habitui reali, altera

alterâ, quæ est accidens per accidens. Ista est accidentalis scientiæ, quæ est circa obiecta realia existentia; quia ratio scientiæ saluatur sine illa: vnde accipiendo relationem conformitatis ad obiectum pro illa secunda relatione reali, maior est falsa. ¶ Ad tertiũ dico, quod ista scientia dicitur rationalis, quia versatur circa ens rationis Logicum super instrumẽtum sciẽdi, & sermocionalis, quia versatur circa sermonem, vel significationem argumentatiuam: istæ sunt denominationes extrinsecæ, tamen intrinsecè est realis.

8 Quæres, vtrûm hæc Logica sit practica, vel speculatiua? Resp. primô, quod non est practica, quia actus eius non dictant de praxi externo, vltimo sistendo in opere externo: ergo actus eius nõ sunt practici: ergo, neque habitus, quia habitus acquisitus sapit naturam actuum, â quibus gignitur, & inclinat ad consimiles. Respondeo secundò: quod est speculatiua: quia sistit in contemplatione veritatis: & secundum Philosophum 2. Metaph. tex. 3. *Speculatiuæ etenim finis veritas, practicæ autem opus.* Respondeo tertiò: quod est pure speculatiua: quia pure speculatiua, ita sistit in contemplatione veritatis, quòd nullo modo dictat, nec dirigit intellectum: sed ista nec dictat, nec dirigit intellectum; sed præcisè tendit ad contemplationem veritatis. Ergo est pure speculatiua. Illa quidem Logica directiua: quamuis sit speculatiua, quia non dictat de praxi, hoc est de opere externo, tamen, quia dictat de opere intellectus, & assimilatur in aliquo scientiæ practicæ: ideò voco illam, nõ purè speculatiuã; quamuis propter assimilationem ad practicas dici potest practica large.

9 Circa quod accipe istas duas auctoritates Subtilis Doctoris in quæst. 4. prologi § *Dico igitur*, sic inquit. *Esto dicas vnum actum intellectus extendi ad aliũ directum per illum, nõ propter hoc secundus est praxis, vt modo loquimur, nec primus est cognitio practica, quia tunc Logica esset scientia practica, quia dirigit in actibus discurrendi*, ecce negat Logicam directiuam in re esse practicam.

10 Nunc vide quo modo potest dici practica. Nam 6. Metaphys. q. 1. in solutione ad primum sic inquit: *Ad primum argumentum de Logica, potest dici: quod Logica est practica, quia non est tantum propter scire proprium; sed propter scire directum in aliquo actu: quia enim intellectus in aliquo actu proprio discursiuo potest errare, indiget habitu directiuo, prius quam dirigat in alijs, secundum Boetium super Porphyrium. Ideò Logica potest dici practica extẽdẽdo nomẽ. Quia tamen actus iste, quẽ dirigit, non est, nisi speculatio, ideò Logica non est practica.* Itaque propter similitudi-

nem ad practicam in directione potest dici practica, & potest dici non purè speculatiua.

QVÆST. II.

Verùm habitus Logicæ sit vna scientia in specie, vel genere?

1 COmmunis sententia Thomistarum dicit, quod est vna specie athona. Fundamentum est, quia vnitas, & distinctio scientiarum potissimè sumitur ex obiecto, non in esse rei, sed in esse scibilis, vt docet S. Thom. opusc. 70. quæst. 5. art. 1. quia, vt docet Arist. 6. Metaph. text. 2. res sunt in genere rei, & in esse scibilis, & esse rei est materiale, esse autem scibile est formale. Sed Logica habet vnũ obiectũ formale in esse scibilis: ergo Logica est vna scientia secundum speciem infimam. Probatur minor, omnia instrumenta Logicalia, quæ ex parte materiæ remotæ, vel proximæ in esse entis sunt Logicalia, quæ ex parte materiæ remotæ, vel proximæ in esse entis sunt valde diuersa; in esse artificiali Logici sunt formaliter eiusdem rationis: sicut in artificialibus vasis apparet, quòd ea, quæ sunt eiusdẽ figuræ, licet in materia diuersa, in linea artis formaliter sunt eiusdem rationis: ergo obiectum formale Logicæ est formaliter vnum in esse scibilis.

2 Respondeo, quòd Logica habitualis, dupliciter potest accipi, vel vt directiua, & ars, vel vt scientia purè speculatiua: loquendo de illa, vt est pure speculatiua, dico quòd est vna vnitate generica in esse scibilis. Quam probo sic, omnis scientia sumi formã ab obiecto formali, sub ratione scibilis, sed obiectum formale Logicæ purè speculatiuæ, sub ratione scibilis est genericum: ergo vnitas Logicæ habitualis, vt scientia purè speculativa, circa obiectum primum, est generica. Maior est vera de forma extrinseca, & assumpta ab aduersarijs, minorẽ probo sic. Scibilitas obiecti realis est proprietas eius: ergo scibilitas obiecti rationis, est proprietas eius; sed ens rationis logicũ, quod est obiectum *quod* formale istius scientiæ, est genericum: ergo scibilitas, quæ est passio istius entis, est generica. Minorẽ probo; quia ens rationis diffinitionis, & ens rationis syllogismi, &c. Differunt specie: ergo ens rationis instrumenti sciendi abstractum ab illis, est genericum.

3 Præterea ista entia rationis diffinitionis, diuisionis, & syllogismi scibilia, quia de ipsis sciuntur proprietates, dicunt ordinem ad suum obiectum adæquatum, vt scibile; sed ista scibilitas obiecti adæquati est generica: ergo ab illa habent rationem formalem genericam in ratione scibilium.

4 Si dicas, quod ista obiecta

formalia non sunt scibilia, nisi per ordinem ad obiectum adæquatũ entis Logici, non vero in se.

¶ Contra primò: quia in tantũ obiectum est scibile, in quantum scientificè possunt demonstrari passiones de eo. Sed sicut ens rationis Logicum in sua latitudine habet proprietates demonstrabiles de eo scientificè; ita obiecta specialia formalia, nempè definitionis, & diuisionis habent proprietates demonstrabiles de ipsis scientificè: ergo sicut ens rationis Logicum est scibile in se, ita ista obiecta specialia formalia sunt scibilia in se.

¶ Contra secundò: quia, vel ista obiecta specialia nempè ens rationis definitionis, & diuisionis, vel sunt scibilia in se, vel solum, quia dicunt ordinem ad ens rationis Logicum scibile. Si sunt scibilia in se: ergo scibilitate specifica. Si non sunt scibilia in se, sed formaliter in quantum dicunt ordinem ad obiectum primum, & adæquatum scibile, deduco: ergo ens rationis logicum, nòn est scibile in se, neque obiectum formale logicæ, patet consequentia; quia ens rationis logicum dicit habitudinem inferioritatis ad ens rationis, vt fit scibile. Immò, istud dicit ordinem analogicum ad minus ad ens reale scibile; & sic nulla erit scientia nisi metaphysica. Et tunc incides in opinionem Ægidij 1. Metaph. quæst. 21. Et in principio posteriorum, & Mirandulani libro 13. de euersione sect. 6. & 7. dicentium, diuisionem scientiarum, & obiectorum attributionis, non habere fundamentum in naturis rerum, sed solum in beneplacito hominum, qui pro suo arbitrio, ea, quę vnã scientiam integrant, in varias distribuunt ob addiscentium cómodum, ne videlicèt discipulorum ingenia tanta rerum varietate in vnum collecti confunderentur? quæ sententia communiter reijcitur.

6 Dico secundò, loquendo de logica directiua, quòd etiam est vna vnitate generica: quia diffinitio, vt rectè factibilis, & diuisio, vt rectè factibilis, & syllogismus, vt rectè factibilis differunt specie in ratione formali rectè factibilium: quia rectitudo est proprietas instrumenti rectè facti, & vnumquodque instrumentum specie petit rectitudinem illius speciei, tanquam proprietatem eius, sicut rectitudo misericordiæ differt à rectitudine iustitiæ: ergo illa rectitudo abstracta ab hac, & illa rectitudine specifica est generica instrumenti sciendi recti, vt sic.

7 Dices, quòd istæ rectitudines speciales ordinantur ad rectitudinem instrumenti sciendi syllogismi, vel ad scibilitatem similem practicæ dictaram, sicut numerus binarius ad ternarium, & ternarius ad quaternarium. Sed binarius se habet ma-

terialiter ad ternarium, & ternarius ad quaternarium: ergo, etiam iſtæ ſpecies definitionis, & diuiſionis, ſe habent materialitèr ad ſyllogiſmum, & ſolum habent pro ratione formali habitudinem ad ſyllogiſmum. ¶ Reſpondeo dato, quod ſic ſe habeant, ſubſumo; ſed rectitudo ſyllogiſmi eſt generica: ergo ſi habent formam à fine, erit forma generica.

8 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ dico; minorem eſſe diminutam, & deducit in conſequentia, quod non eſt poſitum in præmiſſis. Minor eſt iſta, *Sed Logica eſt vnum obiectum formale in eſſe ſcibilis.* Et deducit ergo *logica in eſſe ſcibilis eſt vna ſcientia in ſpecie.* Debebat dicere in minori, ſed logica eſt vnum obiectum formale ſpecificum in eſſe ſcibilis. Et tunc eſt falſa. Probatio minoris, non eſt ad propoſitum, quia omne vas habet eandem formam, vt ſupponitur: at diuiſio, & diffinitio, & ſyllogiſmus non habent eandem formam. Et, quando formæ iſtæ ſe haberent materialitèr, & habitudo ad ſyllogiſmum ſe habeat formaliter, ſyllogiſmus ad quem tendunt tanquam ad finem dantem formam, eſt vnus vnitate generica.

QVÆST. III.

Vtrùm habitus Logicæ ſit vna ſimplex qualitas?

1 PArs affirmatiua eſt ſententia communis Thomiſtarum. Probant primo Auctoritate Sancti Thomæ 1.2. quæſt. 54. art. 4. quæ eſt ſimul ratio, *quia vnus habitus non ſe extendit ad multa, niſi in ordine ad vnum, ex quo habet vnitatem.* Præterea habitus ſcientiæ tendens formaliter in vnum ſcibile, eſt ſimplex qualitas; ſed totus habitus logicæ tendit formaliter ad vnum ſcibile: ergo eſt ſimplex qualitas. Maior patet primò: quia ille habitus non habet principium diuiſibiliratis, quia eſt in ſubiecto indiuiſibili, nempè in intellectu, & circa obiectum formale indiuiſibile; & ſic eſt indiuiſibile ſubiectivè, & obiectivè.

2 Secundo: nam hac ratione habitus genitus per vnam demõſtrationem eſt vnus, & indiuiſibilis, quia eſt circa vnum obiectum formalitèr, quamvis conſtet demõſtratio pluribus terminis, quæ eſt pluralitas ad intẽtũ materialiter ſe habens. Probatur prima minor, quia licet obiecta materialia ſint multa: obiectũ formale eſt vnum; ſed obiectum formale, ſeu obiectũ in eſſe ſcibilis dat obiecto ſpecificationem, & vnitatẽ: ergo eſt vnum ſcibile, & conſequentèr vna ſimplex qualitas.

Præ-

3 Præterea frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, sed vnus habitus simplex sufficit, vt incliner ad notitiã omnium conclusionum Logicæ: ergo frustra ponuntur plures habitus. Probatur minor, quia vna lux potest illuminare plures colores differentes, & vna forma adunat plura corporis membra: ergo vna inclinatio potentiam illuminans in ordine ad vnum obiectum formale, sufficit ad inclinationem in notitiam omnium.

4 Ex alia parte Scotistæ dicunt habitum Logicæ esse vnum vnitate generica, multiplicem verò specificè, & sic non esse vnam simplicem; qualitatem, sed tot esse habitus distinctos in specie, quot sunt obiecta specie distincta. Quia Scotus q. 3. prologi q. 2. laterali ad secundum dicit: *Ad secundum dico: quod multorum habituum specie differentium potest esse aliquod obiectum commune, sicut ab obiectis eorũ potest abstrahi obiectum commune, à quo non est habitus vnus secũdum speciem sed tantum secundũ genus.* Et probatur, quia demonstratio proprietatis de diffinitione est diuersa specie à demonstratione facta proprietatis syllogismi de syllogismo. Sed his argumentatio est genus: ergo demonstratio facta de argumentatione est generica. Et sic in Logica sunt habitus specifici plures, qui non possunt facere vnam simplicem qualitatem. Ad hoc potest dici, quod sicut obiecta materialiter sunt plura, & formaliter in ratione scibilis, est vnũ, ita ex parte habitus formaliter est vnus tantum in ratione scientiæ.

5 Ideo oportet primò ostendere, quod habitus Logicæ differunt specie etiam secundum rationem scientiæ, & inde quod non est vna simplex qualitas. Et primo statuo hanc conclusionem.

6 Plura obiecta Logicæ differunt specie etiam secundum rationem scibilium. Quia scibilitas est passio subiecti scibilis sed plura obiecta Logicæ ineſſe entis differunt specie: ergo scibilitates eorum differunt specie. Maior probatur, quia sicut intelligibilitas est passio entis conuertibilis cum illo, ita scibilitas est passio entis conuertibilis cum illo. Item, quia scibilitas nil aliud est, quam potestas, seu connexio subiecti cum passione, vt possit demonstrari de subiecto. Minor autem patet à priori, quia diffinitio, diuisio, & syllogismus, habent diuersas definitiones essentiales: ergo ineſſe rei differunt specie.

7 Secundò probo conclusionem sic, definitio subiecti, vel obiecti adæquati non est medium ad probandum proprietates de diffinitione, neque ad probandum proprietates de diuisione: ergo ineſſe rei diffinitio, & diuisio differunt specie, & sunt inferiores. Antecedens patet, quia diffinitio superioris ineſſe entis, est medium illimita-

mitatum, & non antecedens respectu proprietatis obiecti inferioris, sicut diffinitio animalis inesse rei, non potest esse medium ad probandum risibilitatem de homine inesse rei: ergo diffinitio obiecti adæquati inesse rei, non est medium ad probandum proprietatem de definitione, neque proprietatem de diuisione: ergo definitio, & diuisio inesse rei sunt specialiores. Sed quælibet species inesse rei habet scibilitatem sibi competentē: ergo scibilitas diffinitionis, & diuisionis differunt specie.

8 Itaq; sicut homo, & æquus differunt specie inesse rei, & conueniunt in ratione animalis inesse rei, & differunt specie in scibilitate speciali, quia de ipsis demonstrantur passiones diuersæ, vt homo est, & æquus est: Et conueniunt in scibilitate generica, quia de animali possunt demonstrari proprietates sibi competētes; & homo, & æquus sunt vnum scibile in vnitate generica, & diuersa scibilia secundum diuersitatem specificam: ita similiter in obiectis Logicę, diffinitio, & diuisio, &c. Differunt specie inesse rei, & conueniunt in ratione generica instrumenti sciendi, & differunt in ratione scibilium specificē, quia de ipsis possunt demonstrari differentes passiones, & cōueniunt in scibilitate generica: sic sunt vnū scibile genericē, quia sic habent vnitatem, & differunt in scibilitate specifica, quia sic vnitatem non habent in specie.

9 Ex his deduco istam conclusionem directē respondiuam. Plures habitus Logicæ scientifici habent vnitatem genericam in ratione scientiæ, & differunt specie in ratione scientiæ. Quam probo sic: habitus scientifici, vt scientifici habent specificationem per habitudinē ad obiecta specie differentia in ratione scibilium, & vnitatem per ordinem ad obiectū vnum in ratione scibilis. Sed obiecta specialia Logicæ differunt specie in ratione speciali scibilitū, & sunt vnum vnitate generica scibili Logica: ergo habitus scientifici Logicæ in quantum attingunt obiecta scibilia distincta specie, differunt specie, & in quantum attingunt obiectum scibile, vt scibile in genere, sunt vnum vnitate generica.

10 Deduco ex his istam conclusionem, duæ qualitates specie differentes non possunt facere vnā simplicem qualitatem. Sed isti habitus specie distincti sunt qualitates distinctæ in specie: ergo non possunt facere vnam simplicem qualitatem. Maior probatur, quia vnus habitus istorum non se habet vt genus, & alter vt differentia, neque vnus se habet vt species, & alter vt modus, sed semper se habent distincti specie: ergo non apparet modus quo sint vna simplex qualitas.

11 Neque valet si dicas, quod habitus extenditur ad aliud obiectum,

ctum, quia vel loqueris de habitu circa obiectum adæquatum, vel de habitu circa aliquod obiectum partiale. Si loquaris de habitu circa obiectum adæquatum. Contra quia talis habitus non potest inclinare nisi ad obiectum scibile secundum rationem genericã, quia est amplum, & illimitatũ, & ideô vt simul concurrat circa obiectũ speciale indiget variatione essentiali per contractionem differentiæ essentialis. Si loqueris de habitu specie distincto. Contra, habitus vnius speciei circa vnũ scibile in specie non potest extendi ad aliud obiectum formale diuersæ speciei, quia species est sphera essentialiter determinata ad vnum obiectum formale.

12 Si dicas, vt dicis, quod extensio est ad obiectum materiale, materialiter diuersum. Contra: hæc responsio non est ad propositum, quia ideo reduxi hanc dispositionem ad obiecta formalia scibilia, vt scibilia, vt præcluderem, hanc responsionem materialem.

13 Ad authoritatem S. Tho. dico, quod loquitur de habitu in ordine ad obiectum adæquatum, & sic est vnus vnitate obiecti adæquati, quæ est generica. Et sic se extendit ad attingendam multa obiecta secundum rationem genericam. Ad rationem, ad minorem dico, quod totus habitus Logicæ tendit in vnum scibile generícum, non in vnum scibile specificum. Et nego consequentiam, & sic habitus genericus habet vnitatem genericam ab obiecto scibili generico, diuisionem autem per differentias intrinsecas istius, & illius speciei, in ordine ad diuersa obiecta formalia specifica. Ad secundum dico, quod loquitur de obiectis materialibus, sed præter illa obiecta materialia, sunt alia formaliter diuersa. Ad probationem dico, quod obiectum formale genericum est vnum genere, sed specialia formalia sunt plura specie.

14 Ad tertium concedo, quod frustra fit per plura, quod potest fieri per vnum, & nego, quod vnus simplex habitus possit attingere tot obiecta formalia specie differẽtia. Ad probationem minoris dico, quod exemplum lucis, & alia similia, est circa obiecta materialia, & ego loquor de obiectis formalibus. Vbi nota, quod fundamenta Thomistarum debilissima sunt, quia procedunt, vnũ per medium illimitatum, & insufficiens, & alterum circa obiecta materialia. Et scientiæ habent obiecta partialia scibilia specialiter.

(.4.)

CAP.

CAP. V.

De Logica vtente habituali.

QVÆST. I.

Quid sit Logica vtens.

1 VIsso de Logica docente, quę consistit in habitu directiuo ad faciendū modos sciendi, & de Logica pure speculatiua, quæ est habitus contemplatiuus veritatum demonstratarum de instrumentis sciendi: solum restat videre de Logica vtente in se, & in ordine ad docentem.

2 Primo quæro, quid sit Logica vtens? Respondeo. *Quod est habit⁹ vtens Logica docēte.* Quod sic declaro: Logica docens tradit regulas dirigentes, quomodo sit facienda diffinitio, v. g. diffinitio facienda est, vt constet genere, & differentia, nunc facienda est diffinitio: ergo sic facienda est, vt constet genere, & differentia. Ex repetitione istorum actuum generatur habitus tam principiorum, quàm conclusionis dictantis proximè de diffinitione facienda, & hæc est Logica docens, & dicitur docens, quia vtitur munere Magistri docentis.

3 Postea actus dictatus ponitur in executione iuxta regulas Logicæ docentis, v. g. faciendo istam diffinitionem hominis, est *animal rationale.* Ex repetitione istius actus generatur habitus inclinans ad formandum diffinitiones iuxta regulas Logicæ docentis. Vnde Logica vtens *est habitus actiuus instrumēti sciendi iuxta regulas Logicæ docentis.* Et ad istud exercitium, seu vsum duplex habitus concurrit, vnus directiuus dirigens de facto, & alter actiuus, de facto producens instrumentum sciendi, v. g. diffinitionem. Sed quia homo vtitur logica directiua, & habitus actiuus vtitur logica docente in formatione instrumentorū sciendi, ideò habitus actiuus dicitur Logica vtens, hoc est vtens Logica directiua.

4 Ista diffinitio est bona, quia habitus est genus habitui actiuo, seu executiuo, & habitui directiuo, seu dictatiuo. Per ly *actiuus* differt à directiuo, & licet vterque habitus respiciant instrumentum sciēdi, respiciunt illud diuerso modo, nam directiuus respicit illud, dirigendo, & actiuus formādo illud secundum regulas directiui. Et actus docentis habet diuersas rationes, quas habet actus executus. Nam sicut scientia directiua practica habet dúas habitudines ad praxim, quarum vna est prioritatis ad praxim, & altera rectificationis, & praxis, quod est obiectum scientiæ practicæ, habet alias duas habitudines ad scientiam practicam, quarum vna est posterioritatis, & altera recti-

tudi-

tudinis ad scientiam practicam: ita actus directiuus instrumenti sciendi habet duas habitudines ad instrumentum sciendi, quarum vna est prioritatis, altera rectificationis. Et instrumentum sciendi habet alias duas habitudines ad scientiam directiuam, quarum vna est posteriotitatis ad illam, & altera rectitudinis, tamquam ad regulam. Similiter in habitu directiuo est duplex habitudo, vna prioritatis, altera rectificationis, & in effectiuo, & executiuo est duplex habitudo, vna posteriotitatis, & altera rectitudinis, id est causandi actum rectum secundum regulas directiui.

QVÆST. II.

Vtrùm habitus Logicæ docentis, & vtentis distinguantur?

1 MArtinius quæst. 2. proœmiali dicit, esse eundem habitum realiter. Quam tenet Murtia quæst. 3. proœmiali, Didacus à Iesu q. 4. neque aliter probat §. *Dico secundo*, nisi quia hic vnus, & idem habitus, quatenus docet, docens dicitur, & quatenus docendo ad vsum facilitat, logica vtens nuncupatur.

2 Tartaretus quæst. 1. proœmiali dubio primo tenet, quod sunt distincti realiter. Fundamentum eius est, quia habitus directivus est scientia, & vsus, seu habitus vtens non est scientia: sed habitus scientificus, & non scientificus distinguuntur realiter: ergo habitus Logicæ docentis, & vtentis distinguuntur realiter.

3 Noster Merinero quæst. 2. proœmiali sect. 2. num. 29. dicit: habitus Logicæ vtentis elicitivus distinctus realiter est ab habitu Logicæ docentis, quoties vsus logicæ est in alijs scientijs. Et dico notanter (inquit ille) quoties vsus logicæ est in alijs scientijs, nam si prædictus vsus fuerit in ipsamet logica (quæ cum sit scientia etiam vtitur se ipsa, & elicitiuè constituit syllogismos, aut alios modos sciendi, qui sunt in materia logicali) tunc habitus Logicæ vtentis elicitivus non erit distinctus ab habitu logicæ docentis: sed idem realiter cum illo.

4 Claritatis gratia. Respondebo, quid sentiam, per conclusiones sequentes, notãdo prius, quòd logica vtens potest sumi dupliciter vnomodo actiuè, hoc est, quod vtor logica, vel arte; alio modo passiue, hoc est, quod habitus logicæ, est quo vtitur. Loquendo de logica vtente passiuè, est idem habitus logica docens, & vtens. Probatur, quia in isto sensu logica vtens, non est nisi habitus directivus, aptus, vt eo vtatur Artista in directione vsu passiuo. Et in hoc sensu vera est prima sententia.

5 Loquendo vero de logica vtente actiuè, hoc est de habitu

elicitiuo, qui vtitur logica docente ad eliciẽdum actum secundum regulas docentis. Dico: quod distinguuntur realiter. Quam probo primo, quia sunt habitus distincti specie completa: ergo distinguuntur realiter. Consequentia est manifesta, antecedens probo, quia habitus logicè docentis est directivus, habitus vero logicæ vtentis, non est directivus, habent ergo distinctas proprietates: ergo sunt diuersæ speciei completæ. Secundò, quia datur habitus Logicæ docentis directivus, de diffinitione, v. g. & non datur habitus vtens actiuus, vel elicitiuus. Sed quando vnus habitus datur sine alio distinguuntur realiter: ergo isti, &c. & in isto sensu falsa est prima opinio, si hoc negat.

6 Dico tertiò, habitus Logicæ docentis, & vtentis circa materias distinctas á materia Logicæ, distinguuntur realiter. Primo, quia differunt specie, eo quod habent diuersas proprietates, nam vtens est directiuus, & elicitiuus, non est directiuus. Secundò, quia ille directiuus datur sine elicitiuo circa eundem actum cuiusuis materiæ: nam multoties potest dictare, quomodo sit facienda definitio corporis phýsici, & non elicere, neque exercere diffinitionem, in hac conclusione conuenio cum Tartareto, non per suum principium; sed per mea principia.

7 Dico quartò contra nostrum Merinero, quod etiam circa materiam logicalem habitus Logicę docentis, & vtentis actiuè distinguuntur realiter, v. g. Logica docens dictat, quomodo facienda est diffinitio vniuersalis Logici, potentia exequitur eam, & ex repetitione exercitij acquiritur habitus elicitiuus, quo faciliter exercet diffinitionem; isti sunt habitus specie distincti. Probatur conclusio eisdem modijs. Hi habitus differunt specie. Primò, quia actus, à quibus generantur, distinguuntur specie, quia vnus est directio, & alter directus. Secundò, quia habitus docentis est directiuus, & alter ex exercitio, & vsu non est directiuus, sed pure contemplativus. Tandem, quia datur habitus docens facere diffinitionẽ de vniuersali Logico, & non est habitus Logicæ vtentis circa talẽ materiam; sed quando vnus habitus datur sine alio, distinguuntur realiter: ergo.

8 Error indicentibus, Logicæ docentis habitum non distingui realiter ab habitu vtentis actiuo, & elicitiuo, prouenit ex hoc, quod non penetrarunt distinctionem Logicæ directiuæ, & pure speculatiuæ, etiam circa materiam logicalem, quam satis manifestam vobis dedi, vt ab erroribus intellectus purgentur.

(.§.)

QVÆ-

QVÆST. III.

Ad quam materiam spectet habitus Logicæ vtentis?

1 ET videtur, quod habitus Logicæ vtentis pertinet ad materiam logicam. Primò, quia habitus accipit nomen ab obiecto, quod respicit, habitus vtens dicitur Logica: ergo versatur circa materiam logicam. Secundò, quia Græci Philosophi vocant logicam docentem avulsam, hoc est abstractam à materia, & logicam vtentem *concretam*, id est concernentem materiã, vt Philosophus in præfactione super primum librũ in fine refert ex Platone; sed materia propria Logicæ est logicalis: ergo.

2 Respondeo, quod materia Logicæ vtentis est materia, vel obiectum scientiarum: vnde habet tot materias, quot sunt obiecta scientiarum: ita quod in physica habet materiam physicam, & in metaphysica materiam metaphysicam, & in logica pure speculatiua materiam, vel obiectum logicale, & sic de reliquis. Et ratio est, quia circa obiectum physicæ logica vtens actiue est scientia physica demõstrans proprietates physicas de subiecto physico. Et circa obiectum metaphysicæ est metaphysica; quia est habitus scientificus demonstrans passiones de ente. Et in logica purè speculatiua circa suum obiectum est logica speculatiua, qui est habitus scientificus demonstrans proprietates de suo obiecto primo.

3 Et vt facilius intelligas, nota, quod quodlibet obiectum cuiuslibet scientiæ est diuisibile, in alia, & logica dirigẽs dictat, v.g. quomodo facienda est diuisio totius physici, & intellectus facit diuisionem iuxta regulas dirigentes: hæc diuisio actualis, est physica, & generat habitum physicum, quia est logicę vtentis circa physicam: ergo logica vtens circa materiam physicam est habitus physicæ. Similiter de diffinitione, & de demonstratione circa materiã physicam. Et sic habitus acquisitus circa materiã physicam exnecessarijs per syllogismũ causatus, est scientia physica, & logica vtens scientifica physica.

4 Similiter circa materiã logicalẽ, nẽpẽ circa ens rationis, quod est diffinitionis, logica docens dictat quomodo faciẽdus est syllogismus in *barbara*, demonstrativus alicuius proprietatis de illo obiecto. Apprehẽsis terminis, tũc logica vtẽs format propositiones, & syllogismũ secundũ regulas docentis, & iste habitus vtens est scientia logicalis pure speculatiua, & habet pro obiecto ens rationis logicum, & est scientia distincta à reliquis, propter distinctionem obiecti formalis.

5 Dices, si Logica vtens est physica circa materiam physicã, & metaphysica circa materiã

metaphysicã, & Theologica circa materiam Theologicam, quæ physica dicitur logica vtens, & Metaphysica dicitur logica vtens, & sic de reliquis scientijs? Dico, quod istæ scientiæ dicuntur logica vtens, quia vtuntur logica directiua ad hoc, quod instrumenta sciendi, hoc est diffinitiones circa materiam physicam, sint rectæ, & diffinitiones, & syllogismi.

6 Ex quo habes, quælibet scientia distincta habet diuersa instrumenta sciendi, quia instrumenta sciendi sunt actus intellectus, diffinitio, nempè, diuisio, & argumentatio, & ad hos actus concurrunt obiecta simul cum intellectu, & in scientia in qua obiecta non sunt motiua, sed tantum terminatiua formalia, sufficit ad hoc quod isti actus, vel instrumenta sciendi differant specie.

7 Ad argumenta, ad primum, quod nomen ethimologicè, aliquando sumitur ab obiecto, aliquãdo ab effectu, vt lapis a ledendo pedem, aliquando ab eo, quo vtitur, vt Rex à regimine, & sic logica vtens in physica accipit nomen à logica directiua, qua vtitur. Sed habitus logicæ pure speculatiue, habet nomen logicæ ab obiecto, & habet nomen vtentis à logica dirigente, qua vtitur ad suas demonstrationes de suo obiecto logico. Ad secundum dico, quod logica docẽs dicitur avulsa, quia præscindit ab omne materia. Et concreta, quod illa vtens, quia vtens est semper circa materiam determinatam. Sed ista vtens habet tot materias, quot sunt scientiæ, vt dictum est, quia aliquãdo est physica, aliquando logica, &c. itaque in qualibet scientia cõcurrunt duo habitus, vnus directiuus, qui est logica docens, alter elicitiuus actus dictati, & ista est scientia specialis distincta ex distinctione sui obiecti formalis, & dicitur logica vtẽs, quia vtitur logica directiua, & dictatiua, & nota, quod instrumẽtum sciendi, vt sic, est materia avulsa, quia non determinata ad aliquod obiectum.

LIBER TERTIVS.

De Vniuersalibus.

TErminus *Vniuersale* æquiuocus est vniuersali Metaphysico, & Logico, quia in ratione formali non conueniunt vniuocè; diuiditur in vniuersale Metap. & Logicũ, sed quia Metap. est prius quam logicũ, ideò prius tract. de Metap. & postea de logico.

CAP.

CAP. I.

De vniuersali Metaphysico.

QVÆST. I.

Quæ reperiantur in vniuersali Metaph. & quæ sit ratio formalis eius?

1 REspondeo, quod reperiuntur duo, nempè natura ex se communis, & cognitio abstractiua, vel præcisiua. Sic Subtilis Doctor in 2. d. 3. q. 1. § *Ad quæstionẽ* versic. *Qualiter* circa medium, dicens: *Ipsa natura est de se indifferens ad esse in intellectu, & in particulari, ac per hoc ad esse vniuersale, & singulare.* Ergo sicut singulare constat natura, & singularitate, ita vniuersale metaphysicum constat natura, & cognitione apprehendente naturam secundum se: & hoc de primo quæsito quæstionis.

2 Quantum ad secundum, quæ sit ratio formalis vniuersalis Metaphysici? Videtur, quod ratio formalis sit ipsa cognitio abstractiua. Probatur, quia ratio, quæ actu determinat, quod est indifferens, est ratio formalis eius. Sed natura secundum se est indifferẽs ad cognosci, & non cognosci, vt abstrahatur, & non abstrahatur præcisiuè, vt dicebat Scotus auctoritate relata *num.* 1. ergo cognitio præcisiua est actus determinans illam naturam indifferentẽ: ergo cognitio est ratio formalis vniuersalis metaphysici. Secundo quia illa cognitio dat naturæ vnitatem: ergo in illa cõsistit formaliter vnitas, & vniuersalitas metaphysica.

3 Respondeo per istas conclusiones. Prima, vnitas formalis naturæ est ratio formalis constituẽs vniuersale metaphysicũ; non ipsa cognitio abstractiua. Ad cuius probationem suppono; quòd vniuersale metaphysicum, & Logicum, differunt in hoc, quod Metaphysicum est remotum ad prędicari de multis, & ad essendum in multis per prædicationem; at vniuersale Logicum est proximè aptum ad prædicari de multis, & ad essendum in multis per prædicationem, quæ proximitas aduenit illi, non ex natura, sed per rationem causatam.

4 Nunc probo conclusionẽ. Nam ex Philos. 1. de interpretatione cap. 5. definit vniuersale sic: *dico autem vniuersale, quod de pluribus prædicari natum est.* Sed vniuersale logicũ, non constituitur formaliter per natum esse prædicari, quia non habet aptitudinem Logicam ex natura sua. Ergo, nõ diffinitur vniuersale Logicum per istam diffinitionem: ergo Metaphysicum. Sed cognitio abstractiua, non competit ex natura rei

naturæ

naturæ: ergo cognitio non est id, quo natura nata est prædicari remote de pluribus; sed vnitas formalis, est qua natura nata est prædicari remotè de pluribus: ergo in illa cõsistit formaliter vniuersalitas metaphysica. Ipsa enim est, qua est vnum natum prædicari de pluribus remote.

5 Sit secunda conclusio, cognitio abstrahens est conditio simpliciter requisita, ponens naturã in statu metaphysico. Ad cuius intelligentiam adverte; quod natura contracta per singularitates, nõ est vna, quia diuisa, & partita per singularitates. Hæ impediũt, quôd natura sit in vnitate cõmuni pluribus, cognitio præcisiua scindit naturam scissione intellectuali abstrahendo illam â singularibus, quæ impediebant cõmunitatẽ. Et ita illa cognitio remouet prohibens, & cõcipit illam in statu non singulari. Et sic est communis negatiuè, & sic accepta, & præcisa, per vnitatem formalem sibi natam est vna, & communis negatiuè pluribus. Nunc probo conclusionem, quòd non est de ratione formali alicuius rei, & est simpliciter requisitũ ad aliquẽ statum, est conditio simpliciter necessaria; sed cognitio abstractiua, non est ratio formalis vniuersalis metaphysici, vt probatum est, & est simpliciter necessaria ad statum vniuersalitatis metaphysici. Ergo.

6 Ad probationem respõdeo, quòd est indifferentia ad conditionem, vt ponatur conditio, vel non ponatur; & est indifferẽtia ad rationem formalem. Vt animal logicæ est indifferens ad rationalitatem, & inhibilitatem, & paries est indifferens physice ad albedinem, & nigredinem. Natura, quæ est singularizata est indifferens ad præscindi, & non præscindi, quæ est indifferentia ad conditionem, & quando præscinditur, illa præcissio est actus conditionalis: non actus formalis. Ipsa natura habet actum formalem per vnitatem communem innatũ, erat impeditus singularitate, & remoto impedimento, & posita natura in statu metaphysico per cognitionem abstractiuam, per illam vnitatem cõmunem est formaliter vniuersale metaphysicum. ¶ Ad secundũ, quòd cognitio dat vnitatem conditionalem, nõ formalẽ.

QVÆST. II.

Quæ natura est vniuersale metaphysicum materiale?

1 AD intelligentiam quæstionis adverte, quòd natura humana, v.g. est in Petro, singularizata tamen, & est natura humana secundum esse essentiæ. Quæstio quærit, vtrùm natura, quæ est in Petro, sit, quæ dicitur vniuersale metaphysicũ suppositata cõgnitione, an natura cognita secundum esse essentiæ?

Multi

2 Multi dicunt, quód natura, quæ est in Petro, est vniuersale Metaphysicum materiale: Non autem natura secũdum esse essentiæ. Præcipuè ex Scotistis. Prima pars probatur. Quia ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa, teste Philosopho: ergo, vt ista propositio sit vera, *Petrus est homo*, necesse est, quod homo sit in Petro: ergo homo abstractus ante vniuersale Logicum, qui est vniuersale metaphysicum, est ille homo, qui est in Petro.

3 Secnnda pars probatur dupliciter, primo: quia, vt ista propositio, *Petrus est homo*, sit vera, necesse est *quod* prædicatum sit in subiecto. Quia ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa. Sed homo secundum esse essentiæ præcise non est in Petro: ergo homo secundum esse essentiæ, non est prædicatum metaphysicum materiale, quod est formale per vnitatem iam dictam. Secũdò: quia ad veritatem requiritur cõnotatio, sed præcisio tollit connotationem, quia est abstractio, & natura secundum esse essentiæ non habet connotationem, quia sic est præcisa à singularitate, & sine identificatione: Ergo.

4 Respondeo primò, cum subtili Doctore in 2. dist. 3. quæst. 1. § *Ad primum dico*, num. 8. quod natura, quæ est realiter in individuo, non est vniuersale metaphysicum. Ratio Doctoris Subtilis est; quia vniuersale metaphysicũ est illud, quod natum est remotè dici verè de pluribus; Sed natura identificata cum Petro, licèt dici possit vere de Petro, non potest dici vere de Paulo; nam falsum est dicere: quod Paulus est homo, loquendo de homine, qui est in Petro: ergo natura, quę est in Petro, non est vniuersale metaphysicum. Similiter arguitur de natura, quæ est in Paulo: vel in quocunque singulari.

5 Respondeo secundô: quód natura secundum suum esse quidditatiuum concepta, est vniuersale metaphysicum. Probatur: quia natura, quæ est nata dici vere, sed remõte, de pluribus, est vniuersale metaphysicum: natura concepta secundum esse essentiæ, est nata dici vere de pluribus, licet remote: ergo, illa est vniuersale metaphysicum. Ipsa enim concepta secundum esse essentiæ, est vnum natum dici remote de pluribus disiunctiuè, prædicatione dicente hoc est hoc, & hoc est hoc, licet remote; quia deficit illi vniuersalitas Logica, dum est tantum in statu metaphyfico.

6 Si dicas, quôd intellectus abstrahit à Petro, & Paulo rationem hominis; erga natura abstracta est, quæ erat in Petro, & Paulo. Contra: quia si abstractio est, vt resolutio, tunc intellectus habet

habet obiectiue naturam humanam, tamen ex parte inferiori manent non individua, quia ista cõstant natura, & singularitate. Sed solum manent singularitates; sed de istis non potest verè prædicari: ergo vniuersale Metaph. non est natura abstracta à singularibus.

7 Si quæras, quomodo fit vniuersale metaphysicũ? Respõdeo, quod intellectus cognoscit hominẽ in Petro, & in Paulo, & relinquendo Petrum, & Paulum ex parte inferiori repræsentat naturam humanam sine singularitatibus, tantum secũdum esse quidditativum, & illa est, quæ vnitate formali est vna apta remote dici vere de illis disiunctive, & illa est vniuersale metaph.

8 Ad primũ respondeo, quòd ad veritatẽ propositionis necessariæ, non est necesse, quod prædicatum sit in subiecto identitate existentiæ: sufficit identitas connexionis necessariæ; nam nullo equo existente, est vera ista, equus est animal: Et ratio est, quia naturæ inferiores habẽt necessariam cõnexionem cum superioribus.

9 Ad primum secundę partis, respondeo eadem distinctione, vt ista sit vera, Petrus est homo, necesse est, quòd homo sit in Petro existentia identitatis realis, nego: necesse est quod sit in Petro per connexionem essentialem, cõcedo. Homo metaphysicæ est in Petro per connexionem essentialem. Et sic nego consequentiã.

¶ Ad secundũ respondeo, quod præcisio vltima est, quæ destruit cõnotationem, vel vltima abstractio, at præcisio non vltima, non talis connotationem, quia est cõcreta, potiùs est simpliciter necessaria ad prædicationem, quia sine ea non est prædicatum.

QVÆST. III.

Vtrùm vniuersale metaphysicum sit reale?

1 ISta, quæst. ille solet disputari, Vtrùm naturæ, quæ denominãtur vniuersales, existãt à parte rei? Sed in re est eadem, quia vniuersale metaphysicũ denominatur vniuersale Logicum, per relationem rationis, vt capsequenti dicam, cum Scoto.

2 Noster Merinero de vniuersalibus q. 1. n. 6. dicit: quod sic: & probat à posteriori: quia ex opposita sententia sequeretur, quod nulla esset scientia realis; quia in tantum scientia dicitur realis, in quantum attingit obiectum reale ad distinctionem scientiæ rationis, quia attingit ens rationis: Secundò à priori, quia in rerum natura est natura hominis, quæ dicitur vniuersalis; & aliæ multæ: ergo vniuersale metaphysicũ, quod est fundamentum logici datur à parte rei.

3 Respondeo, quòd est natura, quæ est vniuersale metaphysicũ remotum, vt natura existens in Petro: & proximũ, vel actuale; vt

vt natura hominis cognita secundum se præcisè: Nunc dico, quod prima existit in Petro existente, vt dictum est in præambulo Logicæ. Et ratio est, nam quando existit totum existunt partes eius: Sed natura humana est pars Petri existentis: ergo existit. Ista natura existens est vniuersale fundamentale, vel remotum metaphysicæ: ergo.

4. Dico secundo, quod vniuersale logicum actuale, non est reale: sed solum intentionale. Est expressa Scoti 2. d. 3. q. 1. §. *Ad quẽ* vers. *Qualitèr.* Vbi dicit, quod natura cognita secundum se, neq; est singularis, neque realis, sed prius singularitate, quia ab ea nõ valet subsistendi consequentia. *Et secundùm istam prioritatem naturalem est quodquid est, & per se obiectum intellectus, & per se, vt sic consideratur à metaphysico, & exprimitur per definitionem, & propositiones veræ primo modo, sunt veræ, ratione quidditatis sic acceptæ, quia nihil dicitur de quidditate per se primo modo, niſi quod includitur in ea essentialitèr, inquãtum ipsa abstrahitur ab omnibus istis, quæ sunt posteriora ipsa naturalitèr.*

5. Probo conclusionem, nunc de facto habeo obiectiue essentiã rosse cognitam: Sic cognita, est vniuersale metaphysicum, & tamen de facto non existit: ergo non est reale. Similitèr de alijs multis naturis, quæ non existunt. Ex quo sequitur, quod est accidentale ad vniuersale metaphysicũ, adhuc, quòd fundamẽtaliter existat. Patet, nam si existẽtia naturæ communis esset simpliciter requisita ad vniuersale metaphysicũ, non posset dari vniuersale metaphysicũ, sine existentia in singulari: sed datur de facto de rosſa, non existente, ergo.

6. Secundo probo, quia vniuersale metaphysicũ, non est natura, quæ existit in singulari, neque ipsa natura, vt abstracta, intelligẽdo, quod abstractio sit avulsio naturę à singulari, quia sic, abstractio, non relinqueret singulare, de quo debet dici, sed relinqueret singularitatem nudam intentionaliter, sed est natura cognita præcisè secundum se, quæ cognitio dici solet abstractio, quia sumit ocasionem ab inferioribus. Tunc sic, sed natura præcisè cognita, non existit: sed est tantum obiectiuè in intentione, seu cognitione: ergo nõ est realis. Et, est actu vniuersale metaphysicũ: ergo. Itaque distinguitur natura sic cognita, ab existente, in hoc, quod existens, est realis: illa autem cognita, habet esse essentiæ tantum intentionale.

7. Ad primum respõdeo, quod quando scientia existit, ab intrinseco est realis. Ex parte autem obiecti, dicitur scientia realis, nõ quia obiecta scientiarum abstractarum, de necessitate debeant esse realia, neque quia sunt realia, sed quia sua obiecta nõ sunt entia,

rationis ficta; & per hanc in individuis habere existentia ficta, & aliquando habent illam. ¶ Ad secundū respondeo, quod naturæ existentes dicuntur vniuersales, remotè, non autem proximè, vel actualiter: Quia vniuersalitas semper fit per actum intellectus.

8 Obijcies: ex mea sententia sequitur hoc magnum absurdum, nempè, quòd relationes scientiæ ad scibile, non sint reales, neque prædicamentales. Patet, quia relationes reales ponunt extrema realia actualiter existentia adhuc secundum Scotum in 1. d. 31. q. vnica, sed per nos obiecta scientiarum, non sunt realia: ergo, neque relationes scientiæ ad scibile. Hoc absurdum est contra Arist. cap. de ad aliquid, & contra Scotum loco citato, & alibi sæpè.

9 Respondeo, quod sunt scientiæ intuitiuæ, & in istis relationes scientiæ ad scibile sunt reales simpliciter, quia terminus etiam existit. Et sunt scientiæ abstractiuæ, & istæ non habent relationem mensurati realem simpliciter: nec propter hoc destruitur prædicamentum relationis secundum tertium genus mensurati ad mensuram, quòd valdè notandum est, quia prædicamenta non componuntur, nisi ex naturis secundum esse essentiæ: existentia autem est illis valdè accidentalis, sicut, & individuum: nam, vt suo loco dicetur, prædicamenta, non componuntur ex individuis, sunt quidem individua quædam materialia. Vnde si Deus impediret, ne resultarent relationes in rerum natura, non existerent, & tamen posset formari prædicamentum relationis.

QVÆST. IIII.

Vtrum vniuersale metaphysicum habeat communitatem negatiuam?

1 VIdetur quòd non: quia communitas negatiua opponitur vnitati positiuæ: sed vniuersale metaphysicū habet vnitatem positiuā formalem, quia vnitas est passio entis: ergo non habet communitatem negatiuam. Item, quia habet vnitatem positiuam per cognitionem præcisiuam, quæ cognitio est vna numero, sed ista cognitio est actus positiuus determinans: ergo tollit à natura indifferentiam: sed indifferentia est communitas negatiua: ergo natura cognita, quæ est vniuersale metaphysicum, non habet indifferentiam negatiuam.

2 Respondeo cum Scoto in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Ad quæstionē*, quod vniuersale metaphysicum; vel natura cognita secundum se, habet communitatem negatiuā. Sic omnes Scotistæ. Et ex Thomistis tenent illam Capreolus in 3. d. 5. q. 3. §. *Ad argumenta*. Sōcinas lib. 7. Metaph. q. 40. Caiet. cap. 4. de ente, & essentia q. 6. §.

Quoad

Quoad quartum. Ioan. à Sancto Thom. q. 3. art. 3. cõcl. 2. Cursus Carmel. disp. 3. q. 7. num. 26. & alij recentiores. Probat Scotus ex Auicena 5. Metaph. *Equinitas tantum est equinitas, neque singularis de se.* Ratio Scoti est, quia natura præcisè cognita de se non est singularis, neque includit de se hanc, neque illam singularitatem; quia tunc rationes materiales essent de quidditate essentiæ; sed non includere de se hanc, neque illam singularitatem, est esse communem negatiuè: ergo natura cognita de se est communis negatiuè.

3 Ad primũ respondeo, quòd quælibet communitas, & indifferentia, si sint alterius rationis, habent actus, seu rationes alterius rationis determinantes. In natura hominis, v. g. antequam præcindatur, habet indifferentiam, & communitatem ad præscindi, & non præscindi, & hæc communitas tollitur per actum præcindendi; postquam autem est præcissa, & abstracta, habet indifferentiam respectu suorum inferiorum, & hæc tollitur per coniunctionem cum rationibus inferioribus. Sed non tollitur per vnitatem positiuam formalem, quia hæc est æqualis amplitudinis cum natura. Vnde, cum in statu abstractionis sit præcisa à singularibus, neque includat singularia, hinc est, quod manet indifferens negatiuè. Et quo patet ad secundũ: nam quamuis præcisio auferat indifferentiam ad præscindi, relinquitur in modo conditio, vt natura in statu abstractionis sit indifferens negatiuè ad inferiora.

CAP. II.

De vniuersali Logico.

1 IN tribus statibus solet reperiri natura, vnus solet dici Physicus, quando natura est coniuncta cum singularitate, & existentia, de quo dictum est in principio Logicæ. Secundus dici solet Metaphysicus. De quo dictum est capit. 1. Antecedentis. Quando natura est; in statu præciso abstractionis. Tertius est logicus, de quo in præsenti.

2 Sed ad statuendum subiectum de quo loquendum est, notandum est, quod vniuersale dicitur illud, quod vnum cum sit, extenditur tamen ad plura. Diuiditur primò, in complexum, & in incomplexum, complexum est illud, quod duo complectitur, & extenditur ad plura, vt propositio vniuersalis. Incomplexum vero illud dicitur, quod cum sit simplex, plura sub se comprehendit.

3 Hoc vniuersale incomplexum est quadruplex: sci-

causando, in significando, in essendo, & prædicando, vniuersale in causando est illud, quod in virtute sua plures effectus specie diuersos continet: vt Deus. Vniuersale in significando, est vox simplex, quæ plures res diuersas significat, vt vox *canis*, quæ, cum sit vna, significat æqualiter, canem latrabilem, piscem marinum, & sydus cœleste. Vniuersale in essendo est illud, quod potest esse in pluribus, vel simul, vel diuisiuè: Vt Deus in tribus diuinis personis, & materia prima potest esse disiunctiuè, cum hac, & illa forma. Tandem vniuersale in prædicando est illud, quod cum sit vnum, potest prædicari de pluribus inferioribus; vt animal de homine, & bruto. Hoc vniuersale est Logicum, & est subiectum huius capitis.

QVÆST. I.

An vniuersale Logicum sit ante operationem intellectus?

1 THomistæ communiter dicunt Scotum in secundo distinctione 3. quæst. 1. Dedisse vniuersale Logicum à parte rei ante operationem intellectus. Videatur Rubius quæst. 6. vniuersalium. Cursus Carmel. disput. 3. de Essentia vniuersalis, quæst. 5. fundamentum impositura est, quia Scotus dixit ibi, naturam ex natura rei habere communitatem, & vnitatem formalem positiuam. Sed nihil amplius requiritur ad vniuersale Logicum: ergo.

2 Et quidem Subtilis Doctor sua acutie, antequam isti auctores nascerentur, præuenit difficultatem in eadem quæstione num. 8. §. *Sed contra istud*, dicens: *Sed contra istud, quia videtur ponere vniuersale esse aliquid reale in re; quod est contra Commentatorem 1. de Anima Commento 8. qui dicit, quòd intellectus facit vniuersalitatem in rebus: ita, quod non existit nisi per ipsum, & sic est ens tantum rationis: probatio consequentiæ, nam ista natura secundùm quod est in isto lapide prior tamen singularitate lapidis, est ex dictis indifferens ad hoc singulare, & ad illud, & vna.*

3 Et respondet, quòd non sequitur, quia vniuersale Logicum vltra illam vnitatem, & communitatem indifferentem negatiuè, requirit vnitatem numeralem rationis, qua sit positiuè indifferens actualiter ad plura, vt proximè dici possit, vere de quolibet supposito prædicatione dicente hoc est hoc. *Hoc enim solum est possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu, quod quidem, vt intellectum habet vnitatem etiam numeralem obiecti secundum quæ ipsum idem est prædicabile de omni singulari, dicendo, quod hoc est hoc.*

Dico

4 Dico ergo cum Subtili Doctore hoc loco, & cum omnibus Scotistis, quod non datur vniuersale logicum formale ante operationem intellectus. Quia vniuersalitas logica formaliter consistit in relatione rationis superioritatis ad inferiora, qua vniuersale est vnum positiue commune respiciens positiue inferiora, secundum quam est proximè aptum, vt dicitur de pluribus vere. Sed hæc vniuersalitas nō causatur, nisi per intellectum: ergo non datur vniuersale logicum ante operationem intellectus.

5 Obijcies vniuersale est vnum in multis 1. Post. cap. 25. sed natura ex se est vna in multis, quia est indifferens ad multa: ergo datur vniuersale ante operationē intellectus. ¶ Respondeo, quod vniuersale logicū est vnum in multis, non quacumque vnitate, sed vnitate positiua respectiua ad multa, qua est commune positiue. At natura ex se est cōmunis, & indifferens negatiue, nam quamuis sua vnitas formalis sit positiua in ordine ad diuidi in æqualia, ratione cuius illa diuisio naturæ repugnat, tamen respectu inferiorum est indifferens negatiue, quia non repugnat diuidi in illa, per quod deficit naturæ illa vnitas positiua rationis, vt sit vniuersale Logicum.

6 Obijcies secundò, Petrus est Paulus ante operationem intellectus conueniunt in ratione hominis: sed illa ratio, in qua conueniunt, est vniuersalis: ergo ante operationem intellectus datur vniuersale. ¶ Respondeo, quod ante operationem intellectus inter Petrum, & Paulum non est nisi relatio identitatis in natura: nam ante operationem intellectus non est aliquod tertium, in quo conueniant, nisi cognoscatur natura humana. Et tunc dico, quod natura humana cognita non est vniuersale logicum in actu, sed in potentia, & fundamentaliter, non formaliter.

QVÆST. II.

In quo stat vniuersale Logicum materiale?

1 FRanciscus Alfonsus in logica disp. 5. sect. 3. num. 23. dicit, esse omnia inferiora coadunata per cognitionem secundum vnam rationem, in qua conueniunt; Et sic explicat illud, quod dicitur genus. Petrus habet principium sentiendi, & principium ratiocinandi, similiter, & equus, cognitio repræsentat omnia animalia per ordinem ad sensationem exexpresse, quin eadem animalia representet expresse per ordinem ad ratiocinationem, rugitum, &c. sed potius confusè: illa omnia animalia adunata per cognitionem secundum principium sentiendi expressum, est vniuersale materiale. Et

Et hæc cognitio est forma per quã natura animalis constituitur formaliter vna vnitate vniuersali.

2 Etsi à Francisco Alfonso quæras, quid sit illud obiectũ cognitum per cognitionem præcisiuã, quod est vniuersale materiale? Respondet disp. 4. sect. 9. n. 28 esse quãdã vnitatẽ fictam, & impossibilem. Et reddit istam rationem, quia in sua sententia præcisio obiectiua est impossibilis ratione sui obiecti, & sic dum eius obiectum apprehendimus, non apprehendimus vnam formalitatem abillã, cum qua reuera identificatur, sed fingimus aliam omnino impossibilem. Hæc ille.

3 Sed contra hanc opinionem sic arguo per inconuenientia, quæ ex ea sequuntur: ergo non est esse essentiæ cognoscibile, nec cognitum, v. g. non est esse essentiæ vnum per se animalis, & similiter de alijs essentijs hominis, æqui, &c. Probo, quia esse essentiæ est vnum per se nullo intellectu considerante, prout præcedit existentiam; sed ex coadunatione pluriũ aui nalium non fit vnum per se: ergo non est esse essentiæ.

4 Deinde sequitur, quod omnes scientiæ sint de subiecto, vel obiecto impossibili. Probo, quia scientiæ sunt de obiecto præcise cognito sine rationibus singularibus. Sed secundum istum auctorem obiectum præcisum, est quoddam impossibile fictum: ergo scientiæ sunt de impossibilibus fictis.

5 Præterea sequitur, quod hæc propositio vera essentialiter per connexionem essentialem, quã ex se habet homo, cum animali, nempè *homo est animal*, est affirmatio impossibilis de impossibili. Patet, quia homo cognitus, & præcisus secundum principium discurrẽdi, est quoddam impossibile fictum: item animal præcisiue cognitum, est quoddã impossibile: Sed animal præcisiue cognitum, prædicatur de homine præcisiuè cognito: ergo quando dico, homo est animal, affirmo vere impossibile de impossibili.

6 Si dicas, quod materialiter, & fundamentaliter animal, & homo sunt idem vere, & realiter, tamen formaliter, & præcisiue, sunt quædam impossibilia. Contra: demus, quod nullus equus existat in rerũ natura, & formet quis istum propositionem *equus est animal*: ergo tunc dicitur formaliter impossibile de impossibili: ergo secundum esse essentiæ, homo, neque est natura, neque habet connexionem essentialem cum animali, quia impossibile non habet cõnexionem essentialẽ cum impossibili; et si dicas quod habet illam: ergo melius homo est cõnexus essentialiter cum animali secundum esse essentiæ.

7 Præterea applicando istam opinionem ad materiam Theologicam, sequuntur ex illa multæ consequentiæ, quæ non bene sonant. Nam præscindendo ab hac,

&c

& illa persona diuina ratione personæ diuinæ, tunc illud obiectum præcisiue cognitum est quoddã adunatum, & impossibile factum: ergo in ista affirmatione persona Patris est persona diuina, affirmo quoddã impossibile de Patre: ergo sumpta formaliter non est vera.

8 Item præscindendo rationem hominis ab isto, & illo homine, & à Christo Domino, illud obiectum præcisum, est quoddã impossibile factum: ergo ista propositio *Christus est homo*, habet pro prædicato quodam impossibile factum: ergo hæc propositio formaliter sumpta ex parte prædicati, non est vera essentialiter, quia Christus non habet connexionem essentialem secundum illam opinionem cum homine, vel cum natura humana secundum se cognita.

9 Item gratia præcisse cognita, & abstracta ab hac, & illa gratia, est quodam coadunatum per cognitionem, & impossibile factũ: ergo in ista affirmatione, *gratia est forma intrinsece inhærens animæ*, affirmo formam inhærentem animę de quoddam impossibili facto. Et sic nulla erit veritas in scientijs abstractiuis, præcipuè, quando singularia non existunt. Alias similes consequentias potes deducere in materijs dogmaticis, quæ aures pias offendunt.

10 Dico ergo, quod est esse essentiæ intentionale, quod est cognoscibile per præcisionem, connexum essentialiter cum suis inferioribus, in quantum inferiora in sua essentia includunt rationẽ superiorem, vt homo in sua essentia includit rationem animalis, & etiam includit secundum esse essentiæ rationalitatem. Et etiam homo est connexus cum suis proprietatibus. Hæ rationes obiectiuæ secundum esse essentiæ sunt præscindibiles, quia essentia animalis in statu essentiæ non includit in sua quidditate rationem hominis. Et istæ rationes ex se communes negatiuæ, quæ possunt præscindi, & non præscindi, dum actu præscinduntur, sunt in statu metaphysico, & sunt subiectum vniuersalis Logici. Et de homine sic præcise concepto sunt veræ istæ propositiones propter connexionem essentialem, *Homo est animal*. *Homo est rationalis*, *homo est risibilis*. Sic subtilis Doctor in 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad quæstionem* n. 7. Ex qua doctrina nullum sequitur inconueniens, & firmatur fides Catholica, quod non contingit ex opinione negante præcisiones obiectiuas.

QVÆST. III.

In quo vniuersalis Logica consistat?

1 FRanciscus Alfonsus in Logica disp. 5. sect. 3. num. 22. dicit, quod consistit formaliter in cog-

cognitione, per quam natura vniuersalis præscinditur negative ab inferioribus. Et citat pro se Durandum in 1. dist. 3. q. 5. n. 27. & Conimbricens. hic q. 5. à 3. conclusione 2. G. Hurtado in Metaphys. disp. 5. sect. 7. n. 79. & probat. quia natura cognita per præcisionem, non est multiplex: ergo vna: consequentia est bona, quia omne ens, aut est vnum, aut multiplex. Antecedēs probatur, quia non est multiplex ex parte cognitionis, quia cognitio est vna, neque ex parte obiecti cogniti, quia non repræsentatur natura, vt diuisa: ergo vt obiectum illius cognitionis non est multiplex.

2 Item, quia natura cognita per præcisionem negatiuam, est diuisibilis in alia, in quibus est multiplex formaliter: ergo est vna vnitate formali. Antecedens probatur, quia licet natnra animalis possit diuidi in alias, in quibus est multiplex realiter, non tamen est in illis multiplex formaliter, quia animal, quod est in Petro non est distinctum formaliter ab animali, quod est Paulo.

3 Item, quia ex eo, quod eadē entitas realis cognoscatur per diuersas cognitiones in ordine ad connotata diuersa, fiunt plura prędicata: ergo ex eo, quod plura realiter distincta cognoscūtur in ordine ad connotata, in quibus sunt similia, quin cognoscantur in ordine ad connotata, ratione quorū sunt dissimilia, fiunt vnum: ergo vnitas est in cognione.

4 Sed cótra, cognitio illa prę-cisiua est aliquid reale; sed in illa ponunt vniuersalitatem formalem Logicam: ergo vniuersalitas Logica consistit formaliter in aliquo reali. Hæc consequentia est contra Arist. 1. de anima cap. 1. vbi ait: *Vniuersale, aut nihil est, aut posterius est.* Idest, aut nihil est, aut est post obiectum primo cognitū, vt interpretantur Averroes, Philoponus, Alexander, Temistius, Ægidius, & communiter omnes Interpretes Arist.

5 Item, est contra Avicenam commentatorem 1. de anima commento 8. vbi dicit: *Vniuersalitatem fieri per actum intellectus, & esse ens tantum rationis, non reale.* Est etiam contra S. Thomā de ente, & essentia cap. 4. & alibi sepè dicentem, vniuersalitatē Logicam consistere in secunda intentione, & secundæ intentiones, non sunt entia realia; sed ficta per rationem. Item, quia vniuersale Metaphys. & Logicum differunt secundum suas rationes formales: Sed vniuersale Metaphys. fit per cognitionem præcisiuam negatiuam: ergo vniuersale Logicum debet fieri, non per istam cognitionem, sed per aliam: ergo vnitas, & formalitas eius est distincta à cognitione præcisiua.

6 Ad primam rationem concedo, quod cognitio est vna, & quod natura cognita est vna; tamen istæ vnitates non sufficiunt

ad

ad vnitatem Logicam, quia vnitas Logica vniuersalis formaliter debet consistere in relatione superioritatis, quæ non est, quid reale. ¶ Ad secundũ concedo, quod natura cognita secundum esse essentiæ, est vna formaliter, & quod cognitio præcisiua est etiam vna. Sed nego, quod istæ vnitates sufficiant ad vniuersalitatem formalem Logicam, quia deficit eis vnitas numeralis obiectiua, quæ stat in relatione superioritatis. Ad terrium, respondeo, quod illud vnum factum ex pluribus diuersis in ordine ad vnum connotatum, est vnum aggregatione, non vnum per se. Et ita neque obiectum sic cognitum est materiale Logicæ, vt probatum est, neque cognitio illa coagulatiua, potest esse vnitas formalis vniuersalis Logici.

7 Dico ergo primo, quód vniuersalitas Logica consistit formaliter in aliquo rationis. Sic Scotus in 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad quæstionem vers. Qualiter* in medio dicens: *Vniuersalitas non est pars conceptus primi naturæ, quia non conceptus Metaphysici, sed Logici, Logicus enim considerat secundas intentiones applicatas primis secundum ipsum Auicenam.* Sed secunda intentio formaliter sumpta est ens rationis: ergo si vniuersalitas Logica consistit formaliter in secunda intentione, est aliquod rationis.

8 Item §. *Contra istud*, probat vniuersalitatem Logicam esse formaliter aliquid factum per rationem textu Auicenæ 1. de anima commento 8. & § *Ad primum dico.* sub num. 8. probat, quia vnitas positiua ad multa inferiora, non est aliquid reale: ergo est aliquid rationis. Probatur antecedens, quia natura realis non potest dici vere de quolibet supposito: ergo vt vere possit dici proxime, indiget vnitate rationis numerali ex parte obiecti.

9 Dico secundò, vniuersalitas Logicà consistit formaliter in relatione rationis ad inferiora. Probo, quia vniuersale formaliter est superius; Sed superius formaliter dicit relationem: ergo vniuersale formaliter dicit relationem. Sed talis relatio non est realis, quia non consurgit ex extremis, neque extrema nempè (homo & Petrus) distinguuntur realiter: ergo est rationis causata per intellectum. Sic Scotus ibi §. *Ad primum.*

10 Obijcies, non sunt multiplicãdę entitates, adhuc rationis, sine necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi has relationes rationis: ergo. ¶ Respondeo, esse necessariam, vt natura cognita formaliter constituatur vniuersalis, & vt proxime possit prædicari de inferioribus, quia vt ait Scotus §. *Ad primum*, non sufficit quælibet vnitas, vt naturæ proxime possit prędicari de quolibet supposito, sed requiritur vnitas

tas positiua ad sua inferiora, quam non habet natura ex se, vt proximé dicatur verè de quolibet supposito, quia vt sit vniuersale debet esse vnum numero obiectiue, & relatio rationis dat talem vnitatem, quod probat ex definitione vniuersalis primo Post. *quod est vnum in multis, & de multis.* Itaque obiectum primo cognitū est vniuersale materiale. Et relatio vnitatis, & superioritatis ad inferiora, est vniuersalitas formalis.

QVÆST. IIII.

Vtrùm aptitudo ad essendum in multis sit de essentia vniuersalis? Vel aptitudo ad prædicari de illis?

1 THomistæ communitèr dicunt, aptitudinem ad essendum in multis esse essentiam vniuersalis Logici: & aptitudinē ad prædicari, esse proprietatem. Et probant, quia Arist. 7. Metap. definiuit vniuersale Logicum dicens: *Vniuersale est, quod pluribus aptum est in esse.* Et si illis obijcias, quod idem Arist. 1. de interpretatione cap. 5. definiuit vniuersale Logicum sic: *Dico autem vniuersale, quod de pluribus prædicatiuum natum est.* Respondent, quod hæc definitio est descriptiua.

2 Ratione probāt, nam quod est prius in re, est de essentia eius: sed prius est aptitudo ad essendū in vniuersali, quam aptitudo ad prędicari: ergo, minorem probāt ex Arist. 1. de interpretatione; *ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Ideo ista est causalis, quia vniuersale est aptum ad essendū in multis, ideo est aptum ad prędicari de multis.

3 Scotistæ vero per oppositum dicunt, quod aptitudo ad prædicari est de essentia vniuersalis Logici, & aptitudo ad essendum in illis est proprietas: quod probant illa definitione libri primi de interpretatione posita numero 1. *Dico autem vniuersale, &c.* Etsi illis obijcias illam definitionem ex 7. Metaph. positam num. 1. dicunt esse descriptiuam. Probant tamen suam sententiam, quia aptitudo ad prædicandū de multis est prius, quam aptitudo ad essendum in illis per prædicationem.

4 Respondeo notando, quod in vniuersali, duæ aptitudines ad prædicari de multis considerari possunt. Vna est capacitas naturæ abstractæ, quæ est subiectum proximum relationis prædicabilitatis, & in hac non potest stare essentia vniuersalis Logici, tum quia est remota, tum quia per illam capacitatem ad essendum vnum in multis, est vniuersale Logicum in potentia, non autem in actu.

5 Alia aptitudo ad essendū in multis est media prædicatione, &

de

de hac aptitudine dico; quod non potest esse essentia vniuersalis Logici; quia ratio prior in re est de essentia eius. Sed aptitudo ad essendum in multis per prædicationem, non est prior quam aptitudo ad prædicari de illis, potius est è conuerso: ergo. Minorem probo, quia illa potentia est prior, quæ prius reducitur ad actū; sed prius reducitur ad actum aptitudo ad prædicari, de pluribus, quam aptitudo ad essendum: ergo. Maiorē probo per simile, nam ideò est prius potentia intellectiua, quam volitiua, quia intellectiua prius reducitur ad actum, quam volitiua. Minorem probo, quia vniuersale est in inferioribus post abstractionem, quia actualis prędicatio per attributionē iungit prædicabile cum subiecto, ergo actualis prædicatio est prius, quam quod prædicabile sit de facto in subiecto. Sed potentia ad prędicari reducitur ad actum per actualem prædicationem, & potentia ad essendum in inferioribus reducitur ad actum, per actualiter esse in illis: ergo prius reducitur ad actum aptitudo ad prædicari de multis, quā aptitudo positiua ad essendum in illis.

6. Loquendo de aptitudine ad prædicari de multis potest dici, quod non est de essentia vniuersalis Logici, quia prius est esse vnum in multis actualiter, quod est idem quod esse actu vnum in multis, id est, ad multa, quod fit per illam relationem actualem rationis, qua vniuersale in actu est vnum numero respiciens actu sua inferiora. In hoc quidem consistit vniuersalitas Logica vt quo, & ex illa consurgit aptitudo ad prædicari de multis. Hoc potest probari. Primò, per diffinitionem Arist. lib. 1. Poster. tex. 25. quam adducit Scotus in 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad primum*. Nempe, *vniuersale est vnum in multis, & de multis*: ergo vniuersale Logicum in actu, est illud, quod de facto est vnum in multis, ideſt, vnum ad multa. Secundò, quia prius est esse vnum in multis, id est, ad multa, quam aptitudo ad dici de multis, vt patet ex definitione Aristot. nunc posita. Tertiò, quia prius est, quod relatio rationis constituat vnum in multis actu, quam quod illud vnum, sit aptum ad dici de multis.

7 Præterea probatur authoritate Scoti illo §. *Ad primum* de finiente vniuersale Logicum. *Ad primum dico, quod vniuersale in actu est illud, quod habet vnitatē indifferentem, secundum quam ipsum idem est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito.* Ecce, quod Scotus in vniuersali Logico in actu ponit prius vnitatem indifferentiæ, ideſt, non ad vnum determinate, sed ad omnia inferiora disiunctiue, & postea ponit potentiam proximam, vt dicatur de quolibet supposito: ergo sentit Scotus, quod esse actu vnū in

in multis, est essentia vniuersalis Logici: & aptitudo proxima ad prædicari de quolibet supposito, est proprietas, iuxta definitionem Arist. 1. Posteriorum.

8 Sed quia hæc opinio loquitur de vniuersali Logico in essendo, & quæren dum est essentia vniuersalis Logici in prædicando, quia hic agitur de vniuersalibus, ut prædicabilia sunt, potest dici: Quod vltima ratio constitutiua vniuersalis Logici, in prædicando, consistit in aptitudine proxima ad prædicari de multis. Fundamentum est, quia ratio formalis constitutiua prædicabilis in actu signato, est illa, quæ proximè, & immediatè reducitur ad actum, per actualem prædicationem: sed aptitudo ad prædicari de multis, est quæ proxime reducitur ad actum, per actualem prædicationē: ergo in illa aptitudine ad prædicari proximè, & immediatè consistit vltimo formaliter, & completiue vniuersale in prædicando.

9 Et vt hanc rationem, & auctoritates hanc opinionem confirmantes, percipias. Nota, quod prius est, quod vniuersale sit vnū in multis vnitate rationis, quam quod sit aptum prædicari de multis; sed non omne, quod est prius in aliqua re, est de ratione formali illius rei in alia linea; sed illud, quod vltimo actuat, & determinat illam rem. Patet instantijs, cum prius est cognitio, quæ dicitur practica, quam aptitudo ad regulandum, & tamen aptitudo ad regulandum est ratio formalis constituens illam in ratione practicæ. Item prius est actus rectus, quam ipsa rectitudo, & relatione intrinseca ad regulam, & tamen constituitur in ratione praxis formaliter, per aptitudinem ad regulam. Similiter, quamuis in vniuersali sit prior vnitas adessendum in multis, quam aptitudo ad prædicari de multis, non sequitur, quod in illa vnitate consistat formaliter vniuersalitas Logica; quia hæc vnitas est prærequisita necessario, vt sit prædicabile proxime de pluribus suppositis, & aptitudo proxima ad prædicari de illis, est ratio formalis vniuersalis, vt prædicabilis.

10 Nunc confirmatur illa opinio. Primo illa defin. Arist. 1. Posterior. *Vniuersale est, quod est vnum in multis, & de multis.* Vbi *esse vnum in multis* constituit vniuersale Logicum in essendo, & ly *de multis* constituit illud vniuersale in prædicando. Posuit Arist. prius *vnum in multis*, quam de multis, quia esse vnū *in multis* prærequiritur simpliciter, vt sit vnū de multis. Præterea confirmatur auctoritate Scoti illa dist. 3. q. 1. Secundi §. *Ad primum* dicentis: *Vniuersale est illud quod habet vnitatē indifferentem, secundū quā ipsum idē est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet sup-*

ſuppoſito. In qua prius poſuit vnitatem in eſſendo, & poſtea potẽtiam proximam ad prædicari de quolibet ſuppoſito. Prima conſtituit vniuerſale in eſſendo, & potentia proxima ad prædicandum, conſtituit vniuerſale Logicum in ratione prædicabilis. Et prima vnitas eſt ſimpliciter prærequiſita ad ſecundam.

11 Ad argum. Thomiſt. ad Auctoritatem Ariſt. quòd illa definitio, ſi eſt vniuerſalis logici, eſt deſcriptiua: quia aptitudo ad eſſendum in pluribus media prædicatione, ſupponit aptitudinem ad prædicari, quæ prius reducitur ad actum, quam aptitudo ad eſſendum, vt oſtenſum eſt: ſi aptitudo ad eſſendum in multis, nõ eſt media prædicatione; ſed eſt per cauſam effectivam, convenit vniuerſali metaphyſico, & non vniuerſali Logico.

12 Ad rationem reſpondeo, quôd illud, quod eſt prius, ſi pertineat ad rationem formalem, eſt de eſſentia conſtituti. Et nego, quod aptitudo ad eſſendum in multis ſit de eſſentia vniuerſalis Logici, quia ſi eſt aptitudo ad eſſendum in multis cum diviſione numerali, eſt aliquid de eſſe eſſentiæ, id eſt communitas negatiua. Si aptitudo ad eſſendum in multis eſt media prædicatione, non eſt de eſſentia vniuerſalis logici: quia ſupponit aptitudinem ad prædicari.

13 Ad probationem minoris ex illo dicto Ariſt. 1. de interpretatione, ab eo, quod res eſt, vel nõ eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa. Dico, quod Ariſt. loquitur de eſſe, vel phyſicè, vel metaphyſicè, non autem logicè per actualem prædicationem. Hoc, vt intelligas nota ordinem, quem ſervant obiecta ſcientiæ, ſi obiecta ſunt metaphyſica, v.g. animal, & homo, homo includit animal, & ſic animal eſt in homine, poſteà abſtrahitur animal, ſed quia hæc abſtractio non vltima, non tollit ab animali concretionem ad hominem, neque ab homine, quod ſit animal, neque eſſe in homine per connexionem eſſentialem: hic modus eſſendi in obiectis metaphyſicis eſt à quo propoſitio eſt vera. Et in phyſicis contingentibus, prærequiritur quod forma ſit phyſicè in ſubiecto ante abſtractionem ad veritatem propoſitionis. Poſt abſtractionem cauſatur vniuerſalitas, id eſt aptitudo ad prædicari, ex qua conſurgit paſſio, id eſt aptitudo ad eſſendum per prædicationem. Aptitudo ad eſſendum metaphyſicè in alio, v.g. in animali determinatur per eſſe metaphyſicè in homine, aptitudo ad prædicari reducitur ad actum per actualem prædicationem, aptitudo ad eſſendum mediante prædicatione actuatur per actualiter eſſe in ſubiecto media prædicatione. Cumque actualiter eſſe prædicatum in ſubiecto media prædicatione, ſit poſterius ipſa

prædicatione, hinc fit, quod illud esse vel non esse, non possunt esse causæ obiectiuæ veritatis, vel falsitatis propositionis. Sed esse physicè, vel metaphysicè prædicatū in subiecto per connotationem: ergo illud dictum Arist. est de esse, vel physico, vel metaphysico, non de Logico.

QVÆST. V.

Per quam operationem intellectus fiat vniuersalitas Logica?

1 AD statum quæstionis aduertendum est intellectum habere tres operationes. Prima, dicitur simplex apprehensio obiecti. Secunda, iudicium. Tertia, discursus. Certum est vniuersalitatem logicam non fieri per iudicium, neque per discursum. Quia discursus, & iudicium supponunt vniuersale prædicabile factum. Restat ergo: quod fiat per primam operationem: Sed quia sunt plures actus pertinentes ad primam operationem, quorum vnus est intellectus agentis, quo formatur speciem repræsentativam obiecti; alter, quo cognoscitur natura præcisè secūdum se, alter, quo cōparatur simplicitèr, sine iudicio natura ad inferiora. Alter, quo cognoscitur, quòd non est, ac si esset; ideò ex hac multitudine consurgit dubiū per quem actum istorum fiat vniuersalitas logica?

§. 1. *Proponitur prima sententia.*

2 SOtus Dominicus q. 3. vniuersalium. Zumel 1. p. q. 13. art. 7. conclusione 3. dicunt vniuersale fieri per operationem intellectus agentis. Probant primo: quia vniuersale in actu est esse intelligibile in actu; sed natura est intelligibilis actu illustratione intellectus agentis, quo formatur speciem intelligibilem secundū Arist. 3. de anima text. 28. Ergo. Secundo, quia fieri aliquod vniuersale, est fieri commune, & indifferens: sed hoc facit intellectus agens formando speciem intelligibilem repræsentatiuam naturæ nudæ à conditionibus indiuidualibus: ergo. Tertiò: quia de ratione potentiæ actiuæ est facere suum obiectum; sed vniversale logicum est obiectum factum: ergo ab intellectu agenti.

3 Sed hæc opinio omnino reijcienda est. Primò: quia solùm probat de vniuersali in repræsentando. Et quæstio est de vniuersali in prædicando. Secundò, quia species intelligibilis, quam dicit fieri ab intellectu agenti, est ratio cognoscendi, & vniuersale logicum est obiectum cognitum. Ergo vniuersale logicum non consistit in specie impressa: Ergo, non fit per actum, per quē fit species impressa, nempè intellectus agentis.

Ad

4 Ad primum nego maiorē, esse vniuersale Logicum, non est esse naturam intelligibilem actu, sed actu intellectam, & vltra hoc requirit aliam cognitionem ad esse formale vniuersalis logici. Ad secundum respondeo, quod fieri aliquid vniuersale logicum, non est fieri commune, & indifferens, vt cumque, sed fieri vnum possibilitè, & indifferens positiuè: nego minorem: quia hoc indifferens positiuum non fit immediatè per operationem intellectus agentis. Ad tertium, quod æquivocat actiuum cum intellectu agente. Intellectus agens, vt agens, nil facit nisi speciem intelligibilem, intellectus autem, vt actiuus, & repræsentat obiectum, & causat super illud aliquas relationes rationis. Vniuersale logicum non est obiectum factum, vtcumque, sed cognitum, & cum relatione ad inferiora, ita quod prima cognitio terminatur per se ad naturam, quæ est præcisiua, & secunda causat vniversalitatem, vt inquit Subtilis Doct. in 2. d. 3. q. 1. §. *Ad quæstionem*. Prima cognitio facit vniuersale metaphysicum, & secūda cognitio, logicum.

§. II. *Proponitur secunda sententia.*

5 FRranciscus Alfonsus in logica disput. 5. sect. 3. n. 22. dicit, vniuersalitatem logicā fieri per præcisionem negatiuam terminatam ad collectionem inferiorum in ordine ad cōnotata, seu ad operationem, in qua sunt similia. Vt vidimus hoc capite q. 3. Ratio est, quia in re natura est multiplex in individuis: & fit vna per istam cognitionem præcisiuā principij operandi, in quo individua sunt similia.

6 Sed hæc opinio reijcienda est à mentibus hominum, quia ex ea sequūtur illa incommoda, quæ probata sunt, q. 3. huius capitis. Nam destruit esse essentiæ, vnum per se, naturas essentiales, proprietates earū. Et alia quæ ibi possita, & probata sunt, propter quod illa hic omitto, recolantur.

§. III. *Proponitur tertia sententia.*

7 TErtia sentētia dicit, *quòd* vniuersale logicum fit per abstractionem præcisiuam terminatam ad naturam, vel ad obiectum vniuocum. Fundamentū est, quia obiectum vniuocum per hāc abstractionem factum, est vnum vniuocum, cōmune, & indifferēs in inferioribus; sed hoc, & nō amplius requiritur ad vniuersale logicum: ergo fit per abstractionem præcisiuam.

8 Sed hæc opinio reijcienda est, vt diminuta: quia amplius requiritur ad vniuersale logicum formale, quam ad purè metaphysicum. Sed per illam abstractionē fit tantum vniuersale metaphysi

cum

cum: ergo logicum non fit per illam tantum. Secundò: quia vniuerſale logicum formale, non dicit quamcumque vnitatem, & indifferentiam; ſed vnitatem numericam obiectiuam, & indifferentiam poſitiuam reſpicientem formaliter inferiora, ſed per illam præciſionem tantum non fit vnitas numerica, neque indifferentia poſitiua ad plura: ergo. Minor patet, quia ſolum manet cum indifferentia negatiua, dum eſt in ſtatu ſolius præciſionis. ¶ Et per hoc patet, medium probandi eſſe diminutum.

§. IIII. Proponitur quarta ſententia

9 VEra ſententia eſt vniuerſalitatem Logicã, quæ conſiſtit in relatione rationis ſuper naturam abſtractam, & terminatam ad inferiora, fieri per ſimplicem comparationem intellectus. Ita Scot. in 2. d. 3. q. 1. § *Ad primum*, & omnes Scotiſtæ & Merinero de vniuerſalibus diſput. 2. q. 2. à num. 18. & ex Thomiſtis Ferrara 4. contragentes, cap. 11. Soncinas 5. Metaph. q. 21. concluſ. 2. & eſt communis inter recentiores. Quam probo ſic, illa relatio rationis vniuerſalitatis præcedit iudicium: ergo non fit per iudicium. Præterea, non fit per abſtractionem naturę; quia iſta ſolum terminatur ad naturã, vel ad id, quod abſtrahitur: ergo, ſi per ſimplicem comparationẽ, qua ſimpliciter ordinãt intellectus naturam ad inferiora. Secundo probo, quia relatio rationis, qua ordinatur vnum ad aliud, nõ poteſt fieri, niſi per actum collatiuum, vel comparatiuum intellectus: ergo, ſi non fit vniuerſalitas per iudicium, quia præcedit iudicium, reſtat, quod fiat per ſimplicem comparationem.

10 Sed contra obijcies: ens rationis ſtrictum non poteſt fieri, niſi per actum cognoſcẽtem rem aliter, quam eſt in ſe, ſed ſimplex comparatio non cognoſcit rem aliter, quam eſt in ſe, ſed ſolum refert illam cognitam ad aliam: ergo non fit per ſimplicem comparationem. At ſimplex apprehenſio, quæ ſupponit ſimplicem apprehenſionem naturę, poteſt cognoſcere rem aliter, ac eſt in ſe, vt facit priuationem rationis: ergo ſimplex apprehenſio, qua ſimpliciter apprehẽditur relatio rationis, vbi non eſt, eſt actus, quo fit vniuerſalitas.

11 Reſpondeo, quòd cum ſimplex comparatio, ſit in linea ſimplicis apprehenſionis, habet duo, & apprehendere rem, vbi non eſt, ac ſi eſſet, & apprehendere non, vtcumque, ſed ordinando; quod eſt cauſare relationem rationis. At ſimplex apprehenſio pura, nõ habet niſi apprehendere rem, & aliquando aliter, quam eſt in ſe. Ex quo negatur minor: Et etiam patet, quod ſimplex apprehenſio pura, non poteſt facere relationẽ ra-

rationis: quia non est comparativa. Itaque in linea simplicis apprehensionis, prout opponitur iudicio, est simplex apprehensio pura, & est simplex comparatio; per simplicem comparationem purã, non potest fieri vniversalitas, quia est relatio rationis superioritatis. Sed per simplicem comparationem, quia est apprehensiua, & ordinativa.

QVÆST. VI.

Vtrum vniuersale retineat vniuersalitatẽ in actuali prædicatione?

1 FOnseca lib. 4. Metaph. c. 2. q. 2. sect. 7. ad 2. quem sequuntur aliqui recentiores, dicit, quòd sic. Primo, quia in ista prædicatione *Petrus est homo*, natura hominis prædicatur, vt identificata cum Petro, eo quod in affirmativis, prædicatum est idem cum subiecto. Sed, vt identificata cum vno, non potest esse in alijs, à quibus realiter differt: ergo prout in illa prædicatione non est vniuersalis, seu communis multis. Secundo, quia diuisum non est in membris eodem modo, ac est in se ante divisionem: ergo natura, quæ per abstractionem erat vniuersalis, per actualem prædicationem amittit vniuersalitatem. Hæc opinio imputatur Scoto q. 9. & 16. vniuersaliũm, sed in eis, hoc inuenire non potui.

2 Respondeo, quòd vniuersale aliud est metaphysicum, & aliud logicum. Loquendo de vniuersali metaphysico, dico, quod per actualem prædicationem, nõ amittit vniuersalitatem metaphysicam, dum durat in abstractione: quia hæc vniuersalitas, est communitas negatiua, id est, non repugnantia ad essendum in multis, vel non inclusio inferiorum. Hæc communitas negativa cõpetit illi necessariò in illo statu: ergo non potest amittere illam stãte statu. Secundo, quia vniuersalitas, vel indifferentia non amittitur, nisi per actum contrarium: sed actualis prædicatio non opponitur illi indifferentiæ: ergo. Probatur minor, quia solum esse in multis per connexionem opponitur illi indifferentiæ.

3 Respondeo secundo: quòd vniuersalitas logica amittitur per actualem prædicationem. v. g. ponamus speciem ad tria individua vt totum potentiale aptũ ad coniungi cum individuis per actualẽ prædicationem, & hoc totum potentiale fit extensum ad tria individua: per vnam actualem prædicationem, tollitur vna pars vniuersalitatis logicæ; & manet totũ potentiale, & facta secunda prædicatione destruitur altera pars potentiæ ad prædicari, & non manet totum potentiale; quia totũ potentiale logicum debet esse ad minus ad duo. Probatur, potẽtia ad prædicari de multis, destruitur per prædicationem actualem

de multis, sed vniuersalitas logica stat in aptitudine, & potentia ad prædicari de multis: ergo destruitur per actualem prædicationem de multis: Etenim actuales prædicationes destruunt statũ vniuersalis logici; quia auferunt indifferentiam eius.

4 Ad primũ respondeo, quòd est esse idem essentialitèr, vel per connexionem metaphysicè: & est esse idem realitèr, Vt propositiones affirmativæ sint veræ, vt *homo est animal, equus est animal*: nõ requiritur identitas realis existẽtiæ: sufficit metaphysica per cõnexionem essentialem: cumque natura abstracta, quæ non est idẽ realitèr cum aliquo inferiori, quia solum habet esse intẽtionale, maneat in illo statu, quamvis per actualem prædicationem destruatur logicus: hinc est, quòd manet cum indifferentia sua. ¶ Ad secundum, quòd probat secundã conclusionem.

CAP. IV.

De prædicationibus vniuersalium

VIso de essentia vniuersalis logici, antequam deveniamus ad species eius, oportet videre de modo, quo vniuersale prædicetur vere de suis inferioribus; quia hæc doctrina communis est omnibus ispeciebus vniuersalis; & quoniam agendum nobis est de prædicationibus in concreto, & in abstracto, necesse est prius dare notitiam prædicatorum, & subiectorum in concreto, & in abstracto, eo quòd non potest fieri probatio ignoratis terminis quæstionum.

QVÆST. I.

De concretis, & abstractis.

1 QVæres primò: quid sit concretum? Ad resolutionem claram nota, quod concretum potest accipi, vel ex parte obiecti cogniti, & significati, vel ex parte significationis. *Loquendo ex parte obiecti significati, concretum est illud, quod cõnotat aliud, & est in alio.* V. g. forma hominis est in Petro, & connotat Petrũ, & color est in papiro, & connotat papirum. Loquendo autẽ ex parte significationis, dico: *quod terminus concretus est vox, quæ ad placitum significat formam connotantem, & concernentem subiectum.* Vt vox *homo*, quę significat naturam humanam connotantem personam; ideò suppositio eius est propriè personalis: & vox *album*, quæ significat albedinem concernentem subiectum.

2 Sed quia subiectum connotatum à forma, aliud est subiectũ tantum informationis, & non inhæsionis

hæsionis, vt *homo* respectu Petri, quæ forma tantum informat, & non inhæret, neque adiacet Petro. Aliud est, in quo est forma, & per modum adiacentis, & non inhærentis; vt *risibile* respectu Petri: & aliud est, in quo est forma, & per modum adiacentis, & per modum inhærentis. Vt forma albedinis est in Petro. Ideò concreta sunt tripliciter, vnum per modum per se stantis, vt *homo*, alterum per modum alteri adiacētis, vt *risibile*; & aliud per modū adiacentis, & inhærentis, vt *album*. Primum competit propriè, generi, & speciei: secundum differentiæ, & proprio. Tertium accidenti, quod in suis locis declarabitur.

3 *Abstractum vero ex parte obiecti, est illud, quod est cognitū præcisè sine inferioribus, & præcisum, seu resecatum ab illis.* Vt, quando cognoscitur quidditas naturæ humanæ sine conditionibus indiuidualibus, secata ab illis. Ex quo facile habes, quod intellectus est, qui præscindit, percipiendo vnam partem obiecti, non percepta alia.

4 Advertendum tamen valde est, quod quamvis præcisio, & abstractio scindant connexionem realem, vel informationem realem, quæ est inter subiectum, & formam: sunt aliquæ præcisiones, & abstractiones, quæ relinquunt aliquam connotationem, seu capacitatem ad illam. v.g. homo abstrahitur à Petro, & Paulo, & tamen habet aliquam connotationem cum illis; quia istæ prædicationes, *Petrus est homo*, *Paulus est homo*; sunt concreti de concretis; Ergo cum illa abstractione componitur aliqua concretio, seu connotatio. Sed sunt præterea aliquæ aliæ præcisiones, seu abstractiones talis conditionis, quod non relinquunt aliquam connotationem formæ ad subiectum; vt humanitas, & istius conditionis sunt vltimę abstractiones.

5 *Abstractum quidem ex parte significationis, est vox significans ad placitum formam præcisam, & abstractam à suis inferioribus*; v.g. *humanitas*, quæ significat naturam per se sine aliqua concretione, seu connotatione: & albedeneitas, quæ ex placito logicorum significat albedinem præcisam à connotatione.

6 Ex his facile habebis, quod concretum, & abstractum solum differunt in modo, & incarentia modi, nam concretum significat aliquid cum concernentia, & connotatione ad aliud, abstractum vero significat aliquid sine tali concernentia: & ex hoc facile etiam habes, quod concretum, & abstractum sunt idem in substantia; quia solum differunt in modo seu cadentia, vt grammatica, & grammaticus, sicut dixit Aristot. cap. *de nominatiuis*.

7 Quæres secundò: quôt sint concretiones? Et abstractiones? Quantum ad primum dico, quòd in prædicamento substantiæ, natura generans facit, concretionem coniungendo v.g. naturam humanam cum Petro. Sed intellectus procedit modo opposito naturæ, quia procedit resolvendo, & dividendo naturam ab individuis; & abstrahendo naturam à totali concretione. Propter quòd intellectus in prædicamento substantiæ duas facit abstractiones, vna est naturæ ab indiuiduis, vt quando abstrahit, vel præscindit hominem à Petro, & Paulo. Sed quia, hoc vniuersale, vt vniuersale, habet connotationem rationis, potest intellectus facere aliam abstractionem præscindendo naturam ab omni connotatione, & sic abstrahit humanitatem, quæ est vltima abstractio,

8 Quando verò natura produ cit accidentia absoluta, plures cõcretiones facit, v.g. quando producit album: nam primo coniungit albedinẽ cum suis individuis, vel singularibus hæcceitatib⁹. Secundo coniungit hanc albedinem subiecto inhæsionis, in quo differt à concretis substantialibus, & intellectus procedendo modo resolutorio, abstrahendo prædicatum à subiectis, vt possit facere compositiones, & affirmationes logicas; Primo abstrahit albedinem á subiecto inhæsionis; Secundò, abstrahit naturam albedinis ab hac, & illa albedine; & tertiò ab albedine specifica abstrahit albedeneitatem, quæ est vltima abstractio.

9 Sed in concretis relativis plures sunt abstractiones: quia sunt plures concretiones. Nã quãdo natura producit per accidẽs, vel per resultantiam relationem causæ ad effectum, primo coniungit naturam specificam cum singularitate: Secundô, concernit fundamẽtum: & tertiô, concernit subiectum inhæsionis. In quo differt à concretis accidentalibus absolutis. Et intellectus procedẽdo modo resolutorio, & oppositio, abstrahit formam à cõnotatis, vt postea possit formare, & cõponere propositiones componibiles inter formam, & connotata. Vndè primo abstrahit relationẽ causæ à subiecto inhæsionis: Secundô a fundamento: Tertiò, abstrahit relationem causæ ab individuis, nempè ab hac, & illa relatione causæ: Et quartò à ratione causæ specificæ abstrahit causalitatem. Et ita causalitas est vltima abstractio, & hæc de concretis, & abstractis, de concretionibus, & abstractionibus, ea breuitate, & claritate, qua potui intelligere, & scribere. Videatur Scotus in 1. dist. 5. q. 1. à § *Sed loquendo de logica ratione* num. 5. vbi subtiliter nimis, & clarè satis loquitur.

QVÆS-

QVÆST. II.

De Prædicationibus substantialibus?

1 AD statum dubiorum hic tratandorum nota, quod prædicatio, alia est quidditatiua, alia non quidditatiua, quidditatiua est illa, cuius prædicatum est de essentia subiecti. Vt ista *Petrus est homo*, in qua *homo* est essentia Petri: non quidditatiua est illa, in qua prædicatum non est de essentia subiecti. Vt *Petrus est risibilis*, in qua *risibile* nõ est de essentia Petri. Et ista non essentialis: alia est non accidentis, vt Petrus est risibilis. Alia accidentis, vt *Petrus est albus*. Nota secundò, quod subiectum, & prædicatum, possunt accipi in concreto, & in abstracto, vel vnum in concreto, & alterum in abstracto. Tertiò nota, quod prædicatio alia est identica, alia formalis, & sic possunt fieri multæ quæstiones.

2 Quæres primò, Vtrùm ista prædicatio concreti de concreto *Petrus est homo*, sit vera identice? & idem est de istis, homo est animal, Petrus est rationalis, Petrus est risibilis. Et videtur quod sic, quia secundum Scotum in 1. dist. 8. q. 4. §. *Ad argumentum principale*, homo, & Petreitas sunt idem inter se, quia sunt idem in tertio. Sed prædicatio identica est, quando subiectũ, & prædicatum sunt idem realiter inter se: ergo ista Petrus est homo est vere identice.

3 Ex alia parte videtur, quod non est vera identice, quia homo, qui prædicatur de Petro, & Paulo, non est idem realiter cum Petro, & Paulo, quia homo, qui est identificatus cum Petro, non est identificatus cum Paulo, neque è conuerso, ideò homo, qui est in Petro, nõ potest dici veré de Paulo secundùm Scotum in 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad quæstionem* verſu *qualiter*, sed ad prædicationem identicam requiritur, quod prædicatum sit idem cum subiecto: ergo non est identica. Secundò, quia prædicatum *homo* est præcisum, & abstractum ab indiuiduis; sed præcisio tollit identitatem realẽ: ergo.

4 Respondeo, Logice loquẽdo, quod est vera identice in sensu, quod subiectum, & prædicatum sint idem realiter, & ratio est, quia homo in Petro est identificatus realiter. Sed in sensu identico, quod prædicatum, & subiectũ sint vnica realitas, vt ista Petrus est Petrus, non est vera, quia idem non est subiectum, & prædicatum.

5 Et ex hoc patet ad argumenta, nam licet prædicatum sit præcisum ab identitate physica per abstractionem, tamen manet cum connexione essentiali, homo abstractus Metaphysice, cũ quolibet singulari.

6 Quæ-

6 Quæres secundò, Vtrùm ista concreti de concreto *Petrus est homo* sit vera formaliter? Respondeo, quod sic, quia ad propositionem veram formalem requiritur, quod in re forma sit in subiecto connotando illud: & quod in intellectu concipiatur forma, vel prædicatum formale connotans subiectum, de quo prædicandum est. Sed concipiendo concretiue hominem respectu Petri, cõcipitur homo, vt forma, & connotans Petrum, & in re est in Petro: ergo. Probatur minor, quia prædicatum *homo* est vniuersale Metaphys. connexum, & connotans inferiora, alioquin non esset vniuersale metaphysicum, seu fundamẽtum Logici.

7 Quæres tertiò. Vtrũ abstracti de concreto, vt *Petrus est humanitas*, sic vera identice, & formaliter? Et videtur, quod sic, quia secundum subtilem Doctoré concretum, & abstractum non differunt in substantia: ergo in substantia idem est homo, & humanitas. Sed ista *Petrus est homo*, est vera identice, & formaliter: ergo & ista *Petrus est humanitas*.

8 Respondeo, quod non est vera identice, neque formaliter secundum doctrinam Scoti in 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad primum* toties repetitam, quia ad vnitatem propositionis requiritur, quod prædicatum habeat aliquam identitatem cum subiecto. Sed humanitas in illa vltima abstractione, nullam identitatẽ habet cum subiecto prædicationis: ergo. Probatur minor, quia vltima abstractio ex natura sua præscindit, & secat omnem identitatem cum subiecto. Ideò secundum Scotum in 1. dist. 5. q. 1. §. *Sed loquendo de ratione Logica*, & dist. 8. q. 4. §. *Ad argumenta* num. 25. prædicatum in vltima abstractione in humanis non dicitur vere de subiecto, quia in vltima abstractione non manet aliqua identitas. Vlterius prædicatio vera formalis præreqnirit aliquam identitatem inter subiectum, & prædicatum: ergo neque est vera identice, neque formaliter.

9 Obijcies primò, ista, *Deitas est paternitas*, est vera identice, & tamen subiectum, & prædicatũ sunt in vltima abstractione: ergo vltima abstractio prædicati non tollit identitatem inter prædicatum, & subiectum. Maior, & minor sunt Scoti in 1. dist. 8. q. 4. §. *Ad argumenta*: & consequentia est bona: ergo abstractio vltima in humanis non tollit de medio identitatem inter prædicatũ, & subiectum. ¶ Respondet Scotus ibi, esse diuersissimam rationem in diuinis, ac est in humanis, quia quamtumcumque abstrahatur Deitas, includit in se infinitatem, & infinitas de se est ratio idẽtificandi sibi omne secum compossibile, & in humanis nulla ratio est infinita. Præcisio ex se tollit identitatem, vbi potest eam tollere,

sed

sed quando vnum extremum est infinitum non potest illam tollere, quando autem extrema non sunt infinita, vel sunt finita formaliter, tunc abstractio vltima tollit de medio identitatem. Vnde ista in diuinis, *Paternitas est innascibilitas*, non est vera identice, quia neque subiectum, neque prædicatum sunt infinita formaliter. Et illa in humanis, *rationalis est animalitas*, non est vera identice, quia vtrumque extremum est finitum.

10 Obijcies secundò, super hominem abstractum prima abstractione à Petro, & Paulo, potest intellectus causare aliquam identitatem prędicati cum subiecto: ergo supra hominem vltima abstractione, hoc est super humanitatem potest causare aliquã identitatem rationis seu vniuersalitatem: ergo potest facere, quod ista sit vera, *Petrus est humanitas*. ¶ Respondeo negando consequẽtiam: disparitas est, quia prædicatũ in prima abstractione est capax illius idẽtitatis rationis, quia est proximum identitati reali, quã habet ratio similis, idest ratio hominis in Petro existente. At humanitas in vltima abstractione, non est capax illius identitatis rationis propter summam remotionem, quam habet ab homine, qui est idem cum Petro existente.

17 Ad argumentum positũ num. 7. Respondeo: cum eodem Scoto, quod licet homo, & humanitas sint eadem formalitas, sicut Deus, & Deitas, differunt tamen in modo, quia homo, qui est vniuersale, concipitur cum connotatione, & identitate; at humanitas concipitur sine isto modo, & præcisa totaliter ab illo. Et iste modus est, qui facit, vt propositiones sint veræ, quia secundum Phil. 1. de interpretatione ab eo, *quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*, præter quã, quod istę quęstiones sunt de modo, nam ex quo quæritur: Vtrùm sint veræ identicæ, vel formaliter, ly *identice*, & ly *formaliter aduerualiter*, sunt modi, & sic sunt quæstiones de modo.

QVÆST. III.

De prædicationibus accidentium absolutorum?

1 QVæres primo. Vtrùm ista sit vera identice, & formaliter; *Petrus est albus*, & videtur quod non, quia prædicatio identica petit, quod prædicatum sit idem realiter cum subiecto. Sed in illa prædicatione prædicatum *albus*, non est idem realiter cum Petro: ergo. Maior est certa. Minor probatur, quia quod potest ab esse ab alio, distinguitur realiter ab illo, sed albedo potest abesse à Petro: ergo distinguitur realiter ab illo. Maior est euidens, minor patet ex definitione accidentis. *Est enim illud, quod potest de-*

esse, & abesse à subiecto, absque subiecti corruptione. Item, quia ly *albus*, est prædicatum præcisū à connotatione subiecti, quia albedo, quæ est in Paulo, non potest prædicari vere de Petro, eo quod non connotat Petrum, neque existat in eo: ergo non habet connotationem cum inferioribus, &c.

2 Respondeo quod illa, *Petrus est albus*, est vera identitate Logice, & formaliter. Ad cuius claram intelligentiam nota, quod *istæ, Petrus est albus, Ioannes est albus*, sunt de quinto prædicabili. Et albedo, quæ est in Petro, non potest dici vere de Paulo neque è conuerso, quia albedo, quæ est in Petro, neque connotat, neque informat, neque inhæret Paulo. Ideò intellectus, vt sint veræ illæ prædicationes, percipit albedinis quidditatem præcisam: & secundum istum statum nullam habet identitatem cum Petro, & Paulo realē, tamē intellectus cōcipit albedinē cum connotatione Logica, quæ sufficit ad identitatē Logicā, suppositā Physica in existentia albedinum in subiectis.

3 Nunc probo conclusionē quoad primam partem, quando prædicatum habet aliquam identitatem cum subiecto, prædicatio est vera identice. Sed *albus* respectu Petri, & Pauli habet per intellectum identitatem Logicā cum illis: ergo illæ prædicationes Petrus est albus, Paulus est albus, sunt veræ identice identitate Logica. Præterea probatur quoad secundam partem, quia tunc prædicatio est vera formaliter, quando prædicatum concipitur, vt forma subiecti, & in re aliud simile informat subiectum: sed album concipitur, vt informans subiectum, & in re aliud simile singularizatum informat subiectum: ergo,

4 Ad primum argumentum respondeo, quod ad veritatē prædicationis identicæ Phis. requiritur, quod prædicatum simile illi, quod prædicatur sit idem realiter cum subiecto. At ad identitatem Logicam, non requiritur, quod forma similis illi, quæ prædicatur, sit idem realiter cum subiecto; sufficit, quod realiter informet illud. Nunc in forma, prædicatio identica petit, quod prædicatum sit idem realiter cum subiecto, de prædicatione identica physica, concedo maiorē, de prædicatione identica Logica, nego maiorem, concedo minorem, & distingo eodem modo consequentiam. Ad secundum, iam dictum est, quod post præcisitionem, intellectus relinquit idētitatem rationis Logicam.

5 Et vt habeas notitiam vniratum creatarum ad cognoscēdum vnitatem, vel identitatem prędicati cum subiecto, nota istos gradus vnitatis. Primus gradus est vnum aggregatione, vt cumulus lapidum. Secūdus gradus est, vnum peraccidens, vt albū, quod addit

addit inherentiam, & informationem, & cum ista vnitate stat distinctio realis. Tertius gradus est vnius per se, vt homo, qui est compositus ex per se actu, & per se potentia, nempè examinali, & rationali. Et addit identitatem realem inter partes componentes, & sic non possunt distingui realiter. Cõponitur tamen cum hac identitate reali distinctio formalis ante operationem intellectus. Quartus gradus est vnum numerice, cum quo non componitur aliqua distinctio, vel diuisio. Hæ vnitates in re præcedunt prædicationes, & abstractiones.

6 Vnde ista prædicatio *Petrus est Petrus*, est maximè identica, & nullo modo formalis. Et ista *Petrus est homo*, præsupponit identitatem Physicam, vel quasi Physicam inter hominem, & Petreitatem in re. Et ista *Petrus est albus*, non præsupponit in re identitatem albedinis cum Petro, sed solum informationem, & inhærentiam. Et sic ista, *Petrus est albus*, non habet nisi identitatem Logicam, & nullam identitatem physicam præsupponit. Et ista *Petrus est homo*, præter identitatem Logicam supponit identitatem physicam, & sic est magis identica, quam ista *Petrus est albus*. Et ista *Petrus est Petrus*, est maximè identica, quia vnitas subiecti, & prædicati, nullam distinctionem admittit in re. Vide Scotum in 1. dist. 26. q. 1. n. 49. vers. *Respondeo P. Villaverde*,

7 Quæres secundo. Vtrùm ista, *hæc albedo est albedo*, sit identica, & formalis? Videtur quod non, quia abstractum cum abstracto non habet identitatẽ sufficientem ad veritatem: ergo non est vera identice; ergo neque formaliter. Respõdeo, quod est vera identice, Logice, & formaliter, ad cuius intelligentiam nota, quod quamuis albedo hæc, sit abstracta à subiecto inhæsionis, est idem realiter cum albedine. Et sic ab hac, & illa albedine abstrahit intellectus, vel præscindit rationem albedinis, vt sic communem huic, & illi albedini, & post abstractionem manet concreta ad individua, licet nõ ad subiectum. Nunc probatur, illa prædicatio est vera identicè Logicè, quæ supponit vnitatem, vel identitatem Logicam; sed ista, *hæc albedo est albedo*, supponit identitatem Logicã, quia supponit concretionem: ergo. Quod autem sit formalis: probatur, quia tunc prædicatio est formalis, quando prædicatum cõcipitur vt forma informans, & in re est forma illius subiecti: sic est in præsenti: ergo. ¶ Ad argumentum respondeo, quod abstractum in vltima abstractione, non habet aliquam identitatem cum subiecto, non sic prædicatum, quod nõ est in vltima abstractione, & sic est albedo respectu huius albedinis.

8 Quæres tertiò. Vtrùm ista, *albedo est albedeneitas*, sit vera idẽ

tice, & formaliter? Et videtur, quod sic, quia albedeneitas est forma albedinis: ergo. Respondeo, quod non est vera identice, neque formaliter, quia prædicatum in vltima abstractione, propter nimiam remotionem ab vnitate in re, non est capax identitatis Logicæ: & consequenter neque vnitatis identicæ Logicæ, neque vnitatis formalis. Ad argumentum respondeo, quod licet albedeneitas sit forma albedinis, est forma sine modo connotationis, & identitatis Logicæ, qui modus est simpliciter requisitus, vt sit vera prædicatio identice, & formaliter.

QVÆST. IIII.

De prædicationibus relatiuorum.

1 SVpposita doctrina quæstionum præcedentium, nempè, quod quando prædicata sunt cum aliqua concretione ad subiectum, propositiones sunt veræ; & quando sunt in vltima abstractione sunt falsæ, facilis est resolutio prædicationum, quæ relatiuis, & relationibus competunt, solum considerando cõnotationes, & vltimas abstractiones.

2 Circa quod postquam subtilis Doctor in 1. dist. 5. q. 4. §. *Sed loquendo de Logica ratione* egit de concretis, & abstractis absolutis, & de prædicationibus veris, & falsis eorum, versu *in relationibus*, sic inquit: *in relationibus autem (quæ plura concernunt) adhuc plures possunt esse abstractiones. Concernit enim relatio suum proprium individuum, fundamentum, & subiectum, & licet abstrahatur à posteriori, non tamen à priori.*

3 Exemplum, hoc concretum, quod est *causa*, dicitur de igne, qui causat calorem in ligno, vt de subiecto: sed abstrahendo à subiecto, remanet adhuc concretio ad fundamentum, puta si dicatur potentia causandi. Calor enim est potentia causandi calorem, non tamen ignis est potentia causandi illum. Adhuc potest fieri vlterior abstractio ad proprium genus, vt puta si dicatur causalitas: & tunc nec ignis, nec calor recipit prædicationem istius: tamen adhuc hæc causalitas est causalitas. Vltima abstractio, qualis est in substantijs, est per hoc, quod dicimus, quidditas causalitatis. Et hęc de nullo prędicatur alio, quia nullam habet concernentiam. Ex his narratis, apparet, quæ sit vltima abstractio, quia quidditas absolutissima sumpta ab omni eo, quod est quocumque modo extra rationem quidditatis. Hæc Scotus.

4 Itaque ista prædicatio est vera de subiecto, *ignis est causa caloris*. Et ista est vera de fundamento, *calor est potentia causans calorem*, & ista est vera de individuo in proprio genere *hæc causalitas est causalitas*. Et ratio est, quia

quia factis abractionibus à subiecto, habet connotationem rationis cum illo. Et facta abstractione à fundamento, habet connotationem rationis cum illo. Et facta abstractione à proprio individuo habet connotationem rationis cum illo. Et in re præsupponuntur illæ connotationes physicæ. At quando à causalitate abstrahitur quidditas causalitatis, prædicatio est falsa; quia illa quidditas est absolutissime sumpta, sine aliqua connotatione rationis. Et sine capacitate ad illã, propter nimiam absolutionem, & remotionem ab omnibus inferioribus.

QVÆST. V.

De prædicationibus secundarum intentionum de primis, & secundis.

1 QVæ dicenda sunt, subtilia sunt satis, ideo indigent clara explicatione, & modo speciali illa declarandi, quamuis ex dictis iam appareat ianua. Quantum ad intelligentiam terminorum nota, quod *intentio*, prima sui impositione significat tendentiam in aliud, sicut actus intellectus, & voluntatis tendunt in obiecta. Sed ex vsu loquentium iam hæc vox *intentio* est extensa, ita vt accipiatur pro obiectis cognitionis. Sed quia obiecta alia habent verum esse, & alia sunt per intellectum tantum, & vera sunt priora, quam illa rationis; hinc est, quod *prima intentio* significat obiectum cum vero esse, & *secunda intentio* significat secundum esse, quod est tantum per intellectum.

2 Comparando secundas intentiones ad primas, quæro. Primò, vtrùm secũdæ intentiones prædicentur verè, & formaliter de primis intentionibus, v. g. vtrùm ista, *homo est species*, sit vera identice, & formaliter? Et idem est de ista, *animal est genus*, & videtur, quod non, quia prima intentio, & secunda non sunt idem: ergo non potest esse vera identice, & consequenter, neque formaliter.

3 Respondeo, quod ista *homo est species*, & ista, *æquus est species*, sunt veræ identice Logice, & formaliter. Ad cuius claram intelligentiam nota, quod ratio formalis, qua homo constituitur species, est, vel vnitas rationis constituens vnum in multis numero distinctis; vel aptitudo rationis ad prædicari de multis secundum varias opiniones Scoti, quas retulimus, quæst. de essentia vniuersalis, similiter de ratione, qua equus cõstituitur species. Et sicut ratio hominis, quæ est in Petro, non potest dici vere de Paulo, neque è conuerso. Ita ratio formalis speciei, quę est in homine tanquam in subiecto, non potest dici vere de equo, quia non

connotat equũ. Ideo sicut in primis intentionibus ad veritatem propositionum necesse est concipere naturam præcisam similem in quidditate his, quæ sunt in subiectis. Tamen in prima abstractione manet cum aliqua connotatione, & vnitate ad inferiora: ita similiter ad prædicandũ vere secũdã intentionẽ, v. g. speciei, de primis intentionibus, necesse est concipere abstracte rationem speciei: Prima abstractione intellectus manet aliqua identitas rationis inter illam, & primas intentiones. Nunc probo conclusionem, quando prædicatum connotat subiectum, & concipitur vt forma eius, tunc propositio est vera identice, Logice, & formaliter. Sed ratio speciei concipitur, vt connotans primam intentionem, & vt forma eius: ergo ista prædicatio est vera identice Logice, & formaliter. ¶ Ad argumentum respondeo, quod licet prima intentio, & secunda, non sint idem realiter, sunt idem Logice, idest per rationem, quod sufficit ad identitatem Logicam; quia supposita, cum ratio formalis connotet, fit, quod prædicatur vere, & formaliter.

4 Ista prædicatio, *homo est species*, & ista *animal est genus*, & ista, *rationale est differentia*, &c. assimilantur illis de quinto prædicabili in primis intentionibus. nempè huic *Petrus est albus*, & huic, *homo est albus*. Et differunt in hoc, quod homo, cum supponat personaliter prædicatum primæ intentionis, quod conuenit homini, etiam conuenit personis. At cum *homo* respectu secundæ intentionis non supponat personaliter, sed sit solum suppositio simplex, hinc fit, quod prædicatum *species* solum homini competit, & non personis, seu indiuiduis.

5 Quæro secundò. Vtrùm ista intra secundas intentiones; *hæc species est species*, sit vera identice Logicè, & formaliter? Respondeo, quod sic, quia species connotat indiuidua sua, vel sua singularia, & est essentia completa rationis eorum; & forma completa eorum, sed quando prædicatum connotat singularia; & quod connotat est forma, vel essentia eorum; propositio est vera identice Logice, & formaliter: ergo.

6 Sed si vltimo abstrahatur; *species est specieitas*, non habebit veritatem aliquam, quia in vltima præcisione, & abstractione non habet capacitatem identitatis, adhuc rationis, propter nimiam remotionem formæ ab indiuiduis, vt dictum est: & quidquid dictum est de specie secundæ intentionaliter sumpta dicendum est, de reliquis prædicabilibus secundæ intentionaliter sumptis.

§.

QVÆ

QVÆST. VI.

Vtrùm genus sit species vniuersalis?

1 ET videtur, quod non, quia genus, & species prædicabilis, non sunt componibilia in eodem; ergo id, quod est genus prædicabile, non potest esse species prædicabilis. Item secundò, quia genus, vel accipitur formalitèr, vel materialitèr. Si formalitèr, & vt *quo* est ratio, qua genus est genus; sed ratio, qua genus est genus, non potest esse species: ergo genus formalitèr non potest esse species. Si accipiatur materialitèr, non potest esse species, quia natura capax prædicari de pluribus differentibus specie, non potest esse species. V.g. *animal*. Sed natura generica est capax prædicari de pluribus differentibus specie: ergo non potest esse species. Item, quòd natum est abstrahi immediatè à pluribus differentibus specie, non potest esse species prædicabilis, sic est natura generica: ergo.

2 Respondeo, quòd genus pro formali, & in concreto potest considerari respectu duorum cōnotatorum. Vnum connotatum est natura, vel subiectum in quo est, & respectu subiecti, est quintum prædicabile, vt cum dicimus *animal est genus*; vbi prædicatur secunda intentio de prima, & sic non est species atthoma, & directa vniversalis. Primò, quia species debet esse quidditas essentialis inferioris. Et ratio generis in concreto, non est quidditas essentialis animalis. Secundò, quia species, & id, respectu cuius est species, debent pertinere ad idem genus, ad eandemque cathegoriam. Et ratio generis formaliter, non est eiusdem generis, cum animali; quod denominatur genus: ergo.

3 Secundum connotatum rationis formalis generis est sua individua, vel singularia. Vndè postquam ratio generis abstrahitur à subiecto, quod denominat genus accidentalitèr, manet cùm connotatione ad singularia; & postquam abstrahitur à singularibus, est capax metaphysicè, vt dicatur in quid, & completè de illis. Et posteà intellectus causat super illam rationem abstractam vnitatem, & vniuersalitatem rationis ad sua individua, quæ vnitas, vel identitas rationis, habet, & aptitudinem ad prædicari de pluribus, & vlterius habitudinē ad plura numero distincta, & sic per illam est formalitèr species prædicabilis. Et natura abstracta ab individuis, dicitur species, & est species materialitèr: & si ordinatur ad aptitudinem ad prædicari de pluribus in concreto, est species subijcibilis. Sicut homo respectu animalis.

4 Nunc probo, quòd genus

formalitèr reſpectu ſuorum individuorum eſt ſpecies prædicabilis vniuerſalis; primo ex definitione: quia *ſpecies eſt natura apta prædicari in quid complete, & immediatè de ſuis indiuiduis.* Sed ratio generis formaliter, & in cõcreto reſpectu huius, & illius generis, eſt natura rationis apta prę dicari in quid completè, & immediatè: ergo. Minor patet à ſimili, quia ſicut homo prædicatur de hoc, & illo homine: ſic genus formalitèr, & inconcreto prædicatur de hoc, & illo genere. Vnde iſtæ prædicationes, *hoc genus eſt genus*, & *hoc genus eſt genus*, ſunt ſpeciei de indiuiduo. Secundò, quia ecceitas, & genus, pertinent ad eandem lineam, & ecceitas illa facit illam rationem ſingularem.

5 Ex quibus habes, quod valdè notandum eſt, quòd eadem ratio, vt *quo* reſpectu ſubiecti connotati, eſt genus, vt *quo* & ratio conſtitutiua generis: Et eadem ratio, vt *quòd* reſpectu ſuorum indiuiduorum, eſt ſpecies materialitèr, & per aptitudinem rationis ad prædicari de pluribus differentibus numero, eſt ſpecies formalitèr.

6 Præterea dico, quòd natura, quæ dicitur genus reſpectu ſubiecti, & reſpectu ſuorum indiuiduorum dicitur ſpecies prædicabilis: reſpectu vniuerſalis eſt ſpecies ſubijcibilis eius. Probo, quia illa natura eſt ſpecies ſubijcibilis de qua natura generica prædicatur in quid immediatè: ſed natura, quæ eſt genus reſpectu ſubiecti, reſpectu vniuerſalis, eſt talis, quod de ea vniuerſale prædicatur in quid immediatè: ergo eſt ſpecies ſubijcibilis reſpectu vniuerſalis. Probatur minor, quia illa ratio, quæ dicitur genus in ordine ad ſubiectum includit in ſe rationem aptitudinis ad prædicari de multis, & rationem ſpecialem, & differentialem ad multa numero diuerſa: ergo ratio vniuerſalis eſt generica, & apta ad prædicari de illa: & vlterius iſta ratio ſubijcitur rationi vniuerſalis. Præterea, quia in diffinitione iſtius naturæ ingreditur vniuerſale, vel aptitudo ad prædicari de multis, vt pars eſſentialis, & communis alijs prædicabilibus. Nam bene valet eſt genus: ergo aptum prædicari de pluribus: ſed non è converſo eſt aptum prædicari de pluribus, ergo eſt genus, quia prædicari de pluribus etiã cõpetit differentiæ.

7 Ad primum reſpõdeo, quod reſpectu diuerſorum idem poteſt eſſe genus vt *quo*, & ſpecies, vt *quod*. Reſpectu ſubiecti; ſecunda intentio, qua conſtituitur genus, eſt genus, vt *quo*: ſed reſpectu ſuorum individuorum eſt natura ſpecifica, & vt *quod*. Ad ſecundum reſpondeo, quod genus accipitur formalitèr, quando dicis, quod ratio, qua genus eſt genus, non poteſt eſſe ſpecies. Reſpondeo, quod ſecundum rationem, vt *quo*, non eſt ſpecies, ſecundum rationem,

vt

vt *quod*, & respectu individuorũ nego, quod non sit species. Ad tertium concedo maiorem, & nego minorem, nam natura, quę dicitur genus vt *quo*, respectu subiecti, est nata abstrahi immediatè ab individuis, non ab speciebus. Et sic est species atthoma, seu infima vniversalis.

QVÆST. VII.

Vtrùm vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia?

1 QVædam opinio dicit; quòd non. Sic Albertus Magnus tit. 2. in Porphyrium cap. 9. & Canterus in ante prædicamentis cap. 4. & probant. Primò, quia genus debet prædicari de speciebus sibi inferioribus vniuoce; sed vniuersale non prædicatur de suis inferioribus vniuoce: ergo. Probatur minor primo, quia naturæ, quæ denominantur prædicabilia, aliæ sunt reales, aliæ rationis; sed nil est vniuocum enti reali, & rationis: ergo vniuersale nõ est illis vniuocũ. Secundo probatur minor, quia quod conuenit aliquibus per se, & aliquibus per accidens, non potest esse illis vniuocum; sed prædicari de multis, quod est vniuersale, competit per se generi; speciei, & differentiæ: & prædicari per accidens conuenit proprio, & accidenti: ergo.

2 Præterea probant suam opinionem ab inconuenientibus. Primum est, quia si genus esset vniuersale, quod est superius ad quinque prædicabilia, esset simul quid inferius ad illa, quia contineretur sub genere, quod est vnũ ex quinque prædicabilibus. Secũdum est, quod genus esset sub sua spẽcie. Tertium, quod vna species infima, quæ est secundum prædicabile, quod dicitur species, prædicaretur de omnibus alijs speciebus infimis; nam in dicto casu esset verum dicere. Genus est species vniuersalis: differentia est species vniuersalis: species est species vniuersalis.

3 Vera sententia est, quod vniuersale est genus ad quinque prædicabilia. Sic Princeps Theologorum Scotus, q. 8. in Porphyrium. Et Angelicus Doctor 1. contragentes cap. 32. & opusculo 56. sic omnes discipuli vtriusque Scholæ. Ad cuius claram intelligentiam nota, quod non loquimur de vniuersali pro materiali, hoc est de naturis, quæ denominantur vniversales: sed loquimur de vniuersali pro formali, & incõcreto, respectu suorum inferiorum.

4 Secundo nota, quod postquam ratio generis abstrahitur à subiecto, manet cum connotatione ad sua singularia. Similiter postquam ratio formalis speciei abstrahitur à subiectis, manet cũ connotatione ad sua singularia. & sic de reliquis: Itẽ, ab hoc genere singulari, & illo, potest abstrahi ratio genetis, quæ est species vniuersalis, vt dictũ est, quæst.

præ-

præcedente. Item ab hac, & illa ſpecie ſingulari poteſt abſtrahi ratio ſpeciei, quæ ſunt naturæ rationis. Vtraque eſt apta prædicari de multis in quid, & differunt per ſpeciales habitudines: ergo ab illis poteſt abſtrahi natura apta prædicari de illis in quid. Sed facta præciſione, ſeu abſtractione habet aliquam identitatem cum ſpeciebus inferioribus, & intellectus cauſat ſuper illam aliam relationem rationis ſibi competentem, cum qua prædicta natura ſit pars, & in quid inferiorum, hinc fit quod nõ eſt capax niſi vniuerſalitatis genericæ. Vnde vniuerſale vt ſic, per aptitudinem ad prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quid, fit genus formaliter.

5 Nunc probatur concluſio, nam de ratione generis eſt, quod ſit, quid vniuocum, & inquid, reſpectu ſpecierum. Sed ſic eſt vniuerſale reſpectu prædicabilium: ergo. Probatur minor, quia vniuocum eſt illud, cuius nomen eſt commune, & ratio ſignificata eſt eadem in inferioribus: ſic eſt vniuerſale: ergo. Probatur minor, quia ratio ſignificata per nomen vniuerſale, quæ eſt aptitudo ad prædicari de pluribus reperitur in genere pro formali, & in ſpecie, &c. quia genus eſt aptum prædicari de pluribus, & ſpecies eſt apta prædicari de pluribus, &c. Præterea, quod ſit inquid, ſeu per modum per ſe ſtantis, patet, nam aptitudo ad prædicari de pluribus, non prædicatur per modum alteri adiacentis: ergo per modũ per ſe ſtantis. Tandem probatur, quia aptitudo ad prædicari de multis in eo quod quid, eſt pars naturæ abſtracta ab eo, quod dicitur genus.

6 Ad argumenta: ad primum nego minorem. Ad primam probationem dico, quod vniverſale, vt *quod* non eſt conſiderandum reſpectu naturarum, quas conſtituit, vt *quo* vniverſalia, ſed abſtractum ab illis, & vt connotans immediatè naturas ſpecificas, & mediatè individua: reſpectu quarum eſt immediatè vniuocum, & in quid: Sicut relatio Paternitatis realis non eſt in quid reſpectu Petri, & Pauli. Sed abſtracta ab illis, vt connotat hanc, & illam Paternitatem, eſt ſpecies, ſeu natura ſpecifica. Et relatio abſtracta non vltima abſtractione, eſt natura generica, vniuoca, & in quid reſpectu relationum ſpecie diſtinctarum. Sic ratio vniuerſalitatis reſpectu naturarum, quæ habent, vt ſubiectum, non eſt in quid: tamen reſpectu naturæ genericæ, vt *quod* ſecundæ intentionis, & reſpectu naturæ ſpecificæ, vt *quod* ſecundæ intentionis, eſt in quid. Vt genereitas, eſt aptitudo ad prædicari de pluribus.

¶ Ad ſecũdũ nego minorẽ. Secũdis intentionibus prædicabilium, aptitudo ad prædicari de pluribus, non convenit aliquibus per accidens, ſed omnibus perſe: omnibus

nibus tamen subiectis convenit per accidens, sicut contingit in relationibus realibus.

7 Ad solutionem inconvenientis notandum est, quod secũda intentio generis, potest considerari, vt *quo* respectu denominati, & *vt quod*: & denominabilis: *vt quo*, est prima ratio denominandi, & sic nõ habet superius; *vt quod* vero, est natura rationis denominabilis species ab alia secunda intentione: etiam vniuersalitas potest coocipi *vt quo*; Et sic est prima ratio constituendi prædicabile, & potest concipi, vt *quod*, & sic est natura rationis denominabilis genus, ab aptitudine ad prædicari de pluribus in eo quod quid. Et sic vniuersale *vt quod*, est supra genus *vt quod*: & genus *vt quo*, est supra vniuersale vt *quod*. Et genus, vt ratio denominandi, est super vniuersale, *vt quod*. Et genus vt natura denominabilis est inferior, & species vniuersalis. ¶ Per quod patet ad primum, & secundum. Ad tertium, quod genus sit sub sua specie denominativè, & accidentaliter: Et similitèr, quod hoc pacto vna species de alia prædicetur, nullum est inconveniens.

QVÆST. VIII.

Vtrùm prædicabilia sint tantum quinque?

1 REspondeo cum Doctore Subtili q. 12. vniuersalium: quod sunt quinq; nec plus, nec minus; quod probat per diversos modos intrinsecos prædicandi, qui sunt differentiales modi prædicabiliũ. Nam, quod prædicatur, vel est *in quid*, idest per modum per se stantis, vel *in quale*, idest per modum alteri adiacentis: Quod prædicatur *in quid*, vel natum est prædicari immediatè de speciebus: Et sic est genus: vel natum est prædicari immediatè de individuis: & sic est species.

2 Quod prædicatur in *quale*, & per modum alteri adiacentis, vel prædicatur *in quale quid*, ita vt sit de quidditate individuorũ, vt rationale: Et sic est differentia; vel prædicatur *in quale* accidentale: & hoc dupliciter, vel in quale accidentale proprium, vt risibile de Petro, & sic est quartum prædicabile; vel *in quale* accidẽtale per accidens, vt album de Petro: & sic est quintum prædicabile, sed præter istos modos, nõ est alius: ergo.

3 Sed contrà, quia in hac prædicatione, *hoc risibile est homo*. Et in ista, *hoc flebile est animal*: homo, & animal prædicantur diverso modo, ac de homine, & de Petro: ergo sunt alij modi prædicandi. Hanc obiectionem possui, vt haberem occasionem dandi notitiã prædicationis per se, & prædicationis per accidens. Ad prædicationẽ per se, requiritur, quod prædicatũ sit ratio formalis subiecti

iecti. Vnde cum animal sit de ratione formali hominis, & homo ratione formalis Petri: & rationale, & risibile, & album sint formæ Petri: hinc est, quod hæc prędicata dicuntur per se, hoc est formalia: Cum hac tamen differentia, quod genus prædicatur in primo modo dicendi per se: Quia animal est de quidditate subiecti, & per modum per se stantis: & homo dicitur prædicari in secundo modo dicendi per se. Quia licet dicatur per modum per se stantis de Petro, non est de quidditate Petri, ita quod tertium Petrus, sit quidditas. Et rationale, est in tertio modo, quia est de quidditate, & non in quid. Et risibile in quarto modo dicendi per se, quia est proprium: & album in quinto modo dicendi per se; quia licet sit forma, est accidens per accidens. At prædicatio per accidēs, prout opponitur prædicationi per se, est quando prædicatum non est forma subiecti, quia subiectum se habet quasi adlatus, & per accidēs: sicut animal respectu risibilis. Vnde prædicationes per se tantū sunt quinque, reliquæ sunt per accidens.

5 Quæres vtrùm vniuersale sit genus immediatum ad quinque prædicabilia? Respondeo, quod non: quia mediant prædicabile in quid, & in quale, vt visum est. Quæres secundò, vtrùm vniuersalia, vel quinque prædicabilia sint species infimæ vniuersalis? Respondeo, quod sic: quia immediate prædicantur in quid de suis indiuiduis: sed ea, quæ prædicantur immediatè de suis indiuiduis in quid, sunt species infimæ: ergo quinque prædicabilia sunt species infimę vniuersalis.

LIBER QVARTVS.

De speciebus vniuersalis.

POSTQVAM Actum est de vniuersali, vt sic, nunc oportet agere de speciebus eius, vt ordo doctrinæ seruetur. Species vniuersalis sunt genus, species, differētia proprium, & accidens, vt infra ostendetur. Et quia ordo doctrinæ petit, quod incipiatur ab vniuersalioribus, & natura generica sit vniuersalior, quam specifica, ideò prius agendum est de genere, quam de specie. Tum etiam, quia ordine naturæ prius est natura

tura generica, quam specifica, eo quod natura generica est pars, & causa naturæ specificæ.

2 Sed vt statuatur determinatè obiectum, vel subiectum, de quo disputandum est in hoc capite, notandum est, quod nomẽ *Genus* originem trahit à generare, vel ab origine. Et cum ordo ad originem sit multiplex, hinc fit secundo, quod nomen *genus* multipliciter accipitur.

3 *Primò* accipitur genus pro collectione multorum dicentium ordinem inter se, & ad vnum primum principium, vt Romani ad Romulum; propter quod ista collectio dicitur genus Romanorum. *Secundò* genus accipitur pro principio, à quo aliquis trahit originẽ, siue sit Pater, vt Orestes, qui est à Tantalo Patre, dicitur Oriſtum esse genus Tantali. Siue sit Patria, vt genus Tolctanorũ, quia Toleti geniti sunt. *Tertiò*, genus accipitur pro subiecto, ex quo res fiunt, quo pacto res solidæ dicuntur alterius generis, ac fluidæ, teste Arist. 5. Metaph. cap. 28. *Quartò*, genus accipitur à grammaticis pro masculino, femenino, & neutro. *Quintò* Rethorici accipiunt genus, pro demonstrativo, deliberativo, & inditiali. *Sextò*, accipitur genus à Logicis *pro natura apta prædicari de pluribus differentibus specie*. Vt animal respectu hominis, & equi. Vnde genus in ista vltima acceptione est subiectum de quo hic agendum est, quia iste tractatus est logicalis, & genus, vt accipitur à logicis, est subiectũ partiale istius tractatus.

¶ In hac arbore invenies quatuor prædicabilia; primum est genus ad suas species, vt animal respectu hominis, & bruti: secundum est species ad indiuidua, vt homo respectu Petri, & Pauli: tertium, differentia ad indiuidua; vt rationale respectu Petri, & Pauli: quartum est proprium ad indiuidua speciei; cuius est proprium; vt risibile respectu Petri, & Pauli; Et eadẽ prædicabilia invenies in reliquis prædicamentis, vel arboribus quantitatis, qualitatis, relationis, &c.


ARBOR PRFDI CAMENTALIS
Substan tia
Corpo rea
Diuisiua
Constitutiua
Incorpo rea
Diuisiua
Repugnat
Corpus
Animatum
Diuisiua
Constitutiua
Inanima tum
Diuisiua
Repugnat
Viuens
Senſibi le
Diuisiua
Constitutiua
Inſenſi bile
Diuisiua
Repugnat
Animal
Rationa le
Diuisiua
Constitutiua
Iratione le
Diuisiua
Repugnat
Homo
Socrates
HicHomo
Sofronici filius

CAP. I.

De Genere primo prædicabili.

QVÆST. I.

Quid sit per se significatum per nomen genus.

1 AD statum quæstionis aduertendum est, quod genus ex parte significati habet tria: Vnum est natura, quæ denominatur genus, v. g. animal, aliud est aptitudo ad prędicari de pluribus differentibus specie causata ab intellecta super ipsam naturã. Tertium est illud totum per accidens conflatum ex natura, & illa secunda intentione, seu aptitudine ad prædicari de pluribus differentibus specie in eo, quod quid: quod quæritur, est, quod istorum sit per se significatum huius nominis *genus* Logice accepti.

2 Circa quod vna est opinio dicens, quod nomen *genus* primo, & per se significat naturam, quæ denominatur genus, & de connotato significat secundam intentionem, seu illam aptitudinem ad prædicari de pluribus specie in eo quod quid. Primo à simili, quia nomen statua primo, & per se significat materiam, & de connotato figuram. Secundo, quia concreta accidentalia significant primo, & per se materiale, quia album exponitur per habens albedinem. Sed genus est concretum accidentale: ergo.

3 Alia est opinio dicens; quod nomen *genus* significat per se illud vnum per accidens, compositum ex natura, & aptitudine ad prædicari de pluribus differentibus specie, quia illud totum est vnum: ergo significabile per se per vnam vocem: ergo ista vox *genus* vna, significat per se illud totum.

4 Scotistæ verò dicunt; quod nomen *genus* significat per se formam, & de cõnotato materiam. Fundamenta eorum simul impugnant opiniones præpositas. Primo, quia Arist. cap. de substantia dicit: *Album solam qualitatem significare*, & cap. de denominatiuis dicit: *Quod denominatiua solùm differunt casu à formis, vt grammatica, & grammaticus*; Item, quia in Summulis terminus concretus significat per se formam, & de connotato materiam secundũ omnes. Sed terminus *genus* est cõcretus: ergo per se significat formam constituentem genus, & de connotato naturam, quę denominatur genus.

5 Item, quia ex opinionibus oppositis, sequeretur, quod propositiones de quinto prædicabile essent nugatoriæ, quia ista propositio v. g. *lignum est album* faceret istum sensum, lignum est lignum habens albedinem, contrà primã opinionem. Et contra secundam face-

faceret istum sensum, *lignum est totum constans ligno, & albedine*, quod est falsum. Tandem sequeretur, quod destrueretur quintum prædicabile: Quia quintum prædicabile potest adesse, & abesse à subiecto. Sed si album in ista prædicatione *lignū est albū*, significat subiectum per se, lignū significatur per se; at lignū non potest adesse àse ipso; quod est subiectum illius prædicationis; ergo destruitur quintum prædicabile.

6 Ad fundamentū Dominici à Soto respondeo, negando, quod nomen statua, significet per se materiam, & deconotato formam, potius est è cõuerso, vt probatum est.

7 Ad secundum dico, quod nomina concreta accidẽtalia explicantur per habens, *vt album* per habens albedinem, dico, quod prædicta explicatio est materialis, quia fit per partem materialem; non formalis, quia explicatio formalis, & resolutio formalis fit per partes formales, nempè per genus, & differentiam.

8 Ad fundamentum secundæ sententiæ, nego, quod concreta accidentalia significent æqualiter subiectum, & formam, quia vt probatum est, in prædicationibus quinti prædicabilis semper esset nugatio, quia ex parte subiecti ponitur subiectum, in quo est accidens, & ex parte prædicati iterum poneretur æqualiter subiectum supposito, quod concretum accidentale significet æqualiter subiectum, & formam.

QVÆST. II.

Quid sit per se definitum in definitione generis?

1 POrphyrius in textu, genus logicũ sic definiuit: *Genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid.* Cumque in genere sint, & natura, quæ denòminatur genus, & secunda intentio, qua constituitur genus, quæ est aptitudo ad prædicari de pluribus differentibus specie in eo quod, quid, & illud vnum per accidens resultans ex natura, & secunda intentione: Quod quæritur est, vtrùm per se diffinitum illa definitone, sit natura, prout subest illi secundæ intentioni? An secnnda intentio, prout connotat naturam? An illud vnum per accidens, conflatum ex natura, & secunda intentione? Et quidquid in hac quæstione determinatum fuerit, applicandum diffinitis, & diffinitionibus reliquorum prędicabilium.

2 Toletus cap. de genere, qnæst. 1. Rubius quæst. 2. Caberus tract. 3. vniuersalium disp. 2. dub. 1. Franciscus Alfonsus disp. 6. sect. 3. n. 15. dicunt: id, quod per se definitur in definitione generis, est natura generica, prout subest secundæ intentioni, tanquam formę, ratione cuius illi cõ-

uenit

uenit esse prædicabilem. Primò, quia Porphirius post traditam definitionem exemplificauit in animali: Sed animal est natura, quæ subest secundæ intentioni: ergo natura prout subest secundæ intentioni, est, quæ per se diffinitur. Secundò, quia ex communi vsu Logicorum concreta accidentalia explicantur per habens esse vt *album*, est habens albedinem: ergo significant per se materiale. Sed quod significatur per se, est definitum per se: ergo.

3 Tertiò, quia definitum illius definitionis est id, cui conuenit esse prædicabile de pluribus, &c. Sed natura generica, prout subest secundæ intentioni, est id, cui conuenit esse prædicabile de pluribus: ergo natura generica, prout subest secundæ intentioni, est id, quod per se definitur. Probatur minor, quia ei conuenit esse prædicabile, quod prædicatur. Sed natura generica prædicatur de pluribus differentibus specie, &c. Ergo naturæ genericæ conuenit per se esse prædicabilem de pluribus. Minor patet, nam dicimus: *homo est animal*, & non dicimus, *homo est genus*.

4 Sed contra istam opinionẽ arguo ex notis, nam secundum Philosop. 4. Metaphys. text. 28. quem sequitur Scotus 4. dist. 1. q. 2. §. *De tertio* n. 7. idem est per se significatum per nomen, & diffinitum, *& hoc apparet per rationem*, inquit Scotus, quia *nomen imponitur ad significandũ essentiã rei: ergo ratio, quæ exprimit, quod dicitur per nomen distinctæ, & per partes, exprimit distinctæ per partes conceptus essentiæ rei.* Sed secũdum omnes Summulistas nomina concreta accidentalia non significant per se materiale: ergo quando definitur concretum accidentale, per se definitum, non est materiale substans rationi formali, v.g. *homo* significat materialiter, & de connotato, secundũ omnes Summulistas, singulare: Et quãdo definitur per se significatum per vocem *homo*, non definitur per se, & directe singulare, quod subest homini; sed genus pro materiali habet naturam, secundum aduersarios: ergo quando definitur per se significatum nominis *genus*, nõ definitur per se, & in recto natura, quæ subest rationi formali generis. Hanc meam doctrinam etiam habet Franciscus Alfonsus in Summulis cap. 5. de definitione.

5 Si dicas, quod definitum per se, & in recto est natura, nõ vtcumque, sed reduplicatiue prout subest secundæ intentioni. ¶ Ex hoc iam deduco istã cõsequentiã: ergo per se, & in recto definitũ est ratio formalis. Patet cõseq. quia quãdo Petrus definitur sub ratione hominis, per se definitum, & in recto, est ratio hominis, & quãdo definitur albũ sub ratione albi, per se definitũ, & in recto, est albedo cõnotans materiale: Et non definitur per se, & in recto materiale: ergo similiter

si definitur animal sub ratione generis, per se definitum, est ratio formalis generis connotans naturã: Et non è conuerso.

6 Alia est opinio dicens; quod definitum per se, & in recto est illud vnum per accidens, compositum ex natura, & secunda intentione generis. Ad quod notandum, quod verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinẽ. Itẽ quod concreta accidentalia possunt definiri, quasi physice per partes componẽtes illud totum, v.g. *album, est quodam constans subiecto, & albedine.* Sic genus potest definiri quasi physice per partes cõponentes illud, nempè per subiectum, & secundam intentionem. At de facto sic fuit definitum genus, quia illa definitio tradita â Porphyrio, & desumpta ex Arist. lib. 1. Topicorum capit. 4. facit istum sensum, *genus est. quod constat natura, quæ prædicatur, & aptitudine ad prædicari de pluribus differentibus specie, in eo quod quid.*

7 Quidam Recentiores impugnant hanc sententiam sic. Nullum ens per accidens est propriè definibile, quia constat rebus diuersorum prædicamentorum, sed genus est ens per accidens: ergo non potest propriè definiri. Prædicta definitio Porphirij est bona: ergo per illam non definitur illud genus, quod est ens per accidens. ¶ Sed immerito sic impugnatur, quia dicunt: quod ens per accidens non est propriè definibile, quod illa definitio nõ est propria, sed lata explicans illam vnitatem eo modo, quo explicabilis est per partes ipsum totum componentes.

8 Ego autem sic illam impugno, supponendo quodam verum, & ab aduersarijs concessum, nempè, quod genus pro formali dicit aptitudinem in concreto ad prædicari de pluribus differentibus in specie in eo, quod quid. Vnde pro formali dicit aptum in concreto, & sic illa diffinitio reformanda est sic: *Genus est aptum prædicari de pluribus differentibus specie in eo, quod quid.* Tunc sic, illud per se diffinitur in recto, quod declaratur per partes componentes illud. Sed illa definitio datur per partes componentes essentialiter, rationem formalem, non materialem, neque totum: ergo totum nõ definitur per se, & in recto. Minor probatur, quia aptum in concreto ad prædicari de pluribus, est secundâ intentio rationis, quæ est genus in hac definitione, & per habitudinem rationis ad plura specie differentia, differt â reliquis prædicabilibus, quæ habitudo, & species est differentia rationis, quod genus, & differentia non cõpetunt, neque compõnunt illud totum per accidens.

9 Tertia sententia vera est, quod diffinitum in definitione generis, per se, & in recto, est secunda intentio generis, connotans subie-

ctum,

dum, quod prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie, in eoquod quid, quam tenet Scotus quæſt. 8. vniuerſalium, & 4. diſt. 1. q. 2. §. *De ſecundo*, verſ. *Dico ergo* n. 7. & §. *De tertio*. Pro illa eſt S. Thomas in 1. d. 18. q. 1. art. 2. vbi ait: *Subiectum non includi in ſignificatione nominis ſignificantis accidẽs concretiue*, & clarius idem docet 7. Metaph. lect. 1. Caiet. cap. de genere, Didacus à Ieſu diſp. 6. q. 1. Gallego controuer. 12. Curſus Carmelit. diſp. 5. quæſt. 3. eſtque communis inter Scotiſtas, & Thomiſtas.

10 Ad quod ſuppono, quod quamuis ens per accidens ſit definibile Phyſice per partes cõponentes illud, & Metap. per genus, & differentiam cõponentes Metaphyſice rationem formalem concretiuam, vt notauerunt Scotus 4. d. 1. q. 2. §. *De ſecundo*, verſ. *Dico ergo*, n. 7. & §. *De tertio*, & Magiſter Nuño 3. p. q. 60. art. 2. diffi. 1. concl. 4. & ad 5. & Magiſter Ledeſma de ſacramentis in genere cap. 1. in fine, & Magiſter Ortiz in Logica tract. 3. confir. 3. §. 4. tamen magis proprie definitur per genus, & differentiam, quam per ſubiectum, & formam: licet definitio per materiam, & formam ſit clarior, & magis in vſu.

11 Nunc probatur concluſio ratione Scoti ibi, illud definitur per ſe, & in recto, cuius partes ponũtur diſtinctè in diffinitione; ſed partes componentes Metaphyſicam rationem formalem generis, ponũtur diſtinctè in illa definitione: ergo perſe definitum in illa definitione eſt ratio formalis generis. Probatur minor, quia aptum prædicari de pluribus, eſt pars generica, & habitudo ad plura ſpecie differentia, eſt pars differentialis, & per habitudinem, & modum, in eo quod quid, differt ab his, quæ ſunt apta prędicari in quale: omnes iſtę ſunt partes rationis formalis generis, & ponuntur diſtinctè: ergo.

12 Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primũ reſpõdeo, quod Porphyrius poſſuit exemplum in materiali generis, quia eſt notius. Ad ſecundum, quod concreta accidentalia explicantur per habens eſſe, quia habere eſſe ſignificat, & explicat formam, & connotationem, v. g. Petrus eſt albus, ideſt, habet albedinem, vel albedo eſt defacto in illo. Et ſic ille terminus *albus* ſignificat per ſe albedinem concernentẽ Petrum.

13 Ad tertium nempê definitum illius definitionis eſt illud, cui conuenit eſſe prædicabile de pluribus, &c. ſed natura eſt id, cui cõuenit eſſe prędicabile de pluribus: ergo. Reſpondeo negando minorem. Solum eſt definitum per ſe illud, quod declaratur per partes eſſentiales eius, & partes definitionis declaratiuę ſolũ cõponunt per ſe, & Metaphyſice ſecundã intentionem generis: reſpectus quidem ad prędicari de pluribus differentibus ſpecie nullo modo cõperit.

Per se, & intrinsecè naturæ, quæ denominatur genus, quia est illi accidens per accidens, & solum cõpetit illa definitio ei, quod est ratio prædicandi, non ei, quod de facto prædicatur.

14 Dices illa aptitudo ad prædicari de pluribus differẽtib⁹ in specie, quã dicit gen⁹ pro formali, est *quo*: ergo nõ potest esse definitũ *quod*, quia idẽ no potest esse *quo*, & *quod*. Resp. quod respectu naturæ, quæ dicitur genus se habet illa aptitudo vt *quo*, at respectu definitionis se habet vt *quod* per se definitur; & respectu diuersorũ bene potest vnum idem esse vt *quo*, & vt *quod*. Patet in simili, nam relatio realis Paternitatis creatæ respectu Patris se habet vt *quo*, & respectu definitionis se habet vt *quod*.

QVÆST. III.

Vtrum definitio generis sit bona?

IVdetur quod non, quia teste Arist. 6. Topicorũ bona definitio debet constare genere, & differẽtia, vel aliquo loco generis & aliquo loco differentiæ. Sed illa definitio tradita à Porphyrio nõ constat genere, & differentia, neq; aliquibus loco generis, & differentiæ: ergo. Prima pars minoris: Probatur primo, quia supra genus nõ est genus, quia tunc idem esset superius & inferius. 2. Quia si genus est definibile: ergo per genus. Erit istud genus est definibile: ergo per aliud gen⁹; & sic daretur processus in infinitũ. 3. Quia sola species cõstat genere, & differẽtia. Sed genus nõ est species: ergo nõ cõstat genere: ergo neq; eius definitio.

2 Præterea secunda pars illius minoris nempè, quod definitio generis nõ potest constare differẽtia. Probatur primo, quia differentia est per quã species differunt, & in ea non conueniunt; sed differentia posita in definitione, nempè quod *differant specie ea*, de quibus genus potest prædicari, est cõmunis alij prædicabili, quia ista differẽtia subalterna *sensibile* prædicatur de pluribus differẽtib⁹ specie, scilicet de homine, & equo: ergo non est vera differentia. 2. Quia illa differentia posita nõ est sufficiens: nam si differre specie ea, de quib⁹ genus prædicatur, sufficeret ad distinguẽdũ gen⁹ ab specie, in qua ea, de quib⁹ species prædicatur differũt nunc. Sequeretur, quod genus subalternũ, & genus infimũ differrent specie, & essentialiter, quia subalternũ prædicatur de plurib⁹ differẽtib⁹ genere, & infimũ de pluribus differẽtibus specie. Tertio, quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie, vt *corpus est substantia spiritus est substantia*. Item prædicatur de pluribus differẽtibus numero, vt Petrus est animal, Ioannes est animal: ergo differentia posita in definitione generis, nempè, quod prædicatur de pluribus differentibus specie non est vera, vel bona. Hæc sunt rationes dubitãdi.

3 Vera, & cõmunis sentẽtia est illã definitionẽ generis, nempè *genus est quod prædicatur de plurib⁹ diffe-*

differẽtibus specie in eo quod quid, esse bonã, vt tenent Principes scholarum Scotus q. 13. Vniuersaliũ, & S. Tho. opusc. 48. tract. 1. c. 2. & omnes eorum discipuli, quia cõstat genere, & differentia cõmuni, quo secundę intẽtiones possunt habere ge.ı°, & differẽtiã in sua linea.

4 Ad cuius clarã intelligentiã notãdũ est cum subtili Doctore in 4. d. 1. q. 2. §. *De tertio*. vers. *Qualiter*, quod in diffinitionibus relatiuorũ, & relationũ ponuntur fundamentum, & terminus, nõ vt partes quidditatiuæ relationis, sed vt additamenta ad maiorẽ explicationem, & claritatẽ. Secundo notãdum est cũ ipso Doctore ibi §. *De secundo*, vers. *Tertio dico*, quod secundæ intentiones logicales sunt nũ per se rationis in intellectu, & sic non definiũtur, vt aliquid extra animam, *sed eo modo, quo definitio exprimit vnũ conceptũ per se in intellectu: & hoc modo, & nõ altero definiuntur omnes intentiones logicales: non enim signant quidditates extra animã, sed tantummodo cõceptũ in anima, sed per se ũnos, & ideò, in talibus definitionibus, etiam inuenitur genus, & differentia, & propriũ, eo modo quo logicus loquitur de genere & differẽtia, & proprio, quia inuenitur prædicatũ in quid, & quale essentiale.*

5 Ad propositũ applicãdo, natura, quæ dicitur genus, est subiectũ relationis rationis, qua constituitur genus: species sunt termini illius relationis; & sic in definitione ponũtur vt additamẽta. Ad maiorẽ claritatẽ, nõ vt genus, nec; vt differẽtia essentialiter. Proptrea natura, quę dicitur genus, est quid speciei, quia est de quidditate eius. Præterea natura ex se petit, quod quãdo affirmetur, prędicetur substantiue, ideſt per modũ per se stantis, ad distinctionẽ differentię, & proprij, quæ ex se petunt, prędicari adiectiue, & per modũ alteri adiacẽtis. Ideo dixi in logica parua, quod prædicatio quidditatiua, alia est in quid; alia in quale quid.

6 Super fundamentũ erga terminũ causat intellectus relationẽ formalẽ generis, quę est vnũ per se rationis, in qua sunt isti gradus, & formalitates. Est formalitas prędicabilis, quæ definitur per aptitudinẽ ad prædicari de pluribº. Vlterius est habitudo ad species tãquã ad terminos, & respectus modales prędicabilitatis inquid per modũ per se stantis. Aptitudo ad prædicari de pluribus est genus entitatiue ad quinq; prędicabilia. Habitudo ad species, est differẽtia, per quã illa secũda intentio generis differt ab specie, & per habitudinẽ ad prędicari inquid, differt à secũda intẽtione, & ab illis, quæ faciunt aptum prędicari inquale. Patet ergo quod cõstat genere, & differẽtia.

7 Ad solutionẽ clarã argumẽtorũ nota, quod secũda intẽtio generis cõsideratur dupliciter, uno modo vt *quo* respectu naturę quã alteo nominat; alio modo vt *quod* respectu alterius secũdę intẽtionis, quę

denominat' ipsã, & suos gradus: quãdo se habet vt *quo*, est vltima ratio cõstitutiua generis, & sic nõ habet genus: quã do vero se habet vt *quod*, est materiale, & denominabilis species, & ab hac natura specifica secũdæ intẽtionis potest abstrahi alia natura superior, quæ est materialis respectu alterius secundæ intentionis, qua denominatur formaliter genus.

8 Ex his informa, nego, quod illa definitio nõ cõstat genere, ad probationẽ resp. quod supra gen' formale, nõ est gen' formale vt *quo*, at supra gen', forma generis accepta vt *quod*, est species materialis. & habet supra se naturã genericã materialẽ denominabilẽ genus, ab alia forma vt *quo*. Vnde secũda intẽtio generis est superior, & inferior respectu diuersorũ in diuersa acceptione. Nã vt *quo*, est superior vltra quã nõ est alia, quia sic est vltima ratio. Et vt *quod*, est inferior, quia est species, habens supra se naturã denominabilẽ genus, quæ natura generica respectu specificę est superior, & respectu alteriꝰ secũdæ intentionis genericæ, est inferior, quia denominatur ab illa.

9 Ad secundũ resp. quod quãdo gen' definitur, se habet vt *quod*, & sic definitur genere vt *quod*, & materiale, & illud per aliud vt *quod*: & pũ bo dicit, ergo datur processꝰ in infinitũ, nego cõseq. quia sic ascendẽdo per categoriã relationis prædicabilitatis entitatiuæ, peruenitur ad primũ principiũ, vel vltimũ gradũ talis relationis, sicut contingit in cathegoria relationis realis, ascẽdendo per gradus entitatiue. ¶ Ad 3. distin. min. genus non est species, genus vt *quo*, concedo min. genus vt *quod* nego min. quia vt *quod*, est species entitatiuè, denominabilis species ab aptitudine ad prædicari de pluribus differentibus numero in eo quod quid.

10 Ad argum. quæ intẽdunt, quod illa definitio nõ cõstat differẽtia; Ad 1. quod illa definitio habet duas differẽtias, vna est respectus ad species, per quã differt ab specie, & alia ad prædicari inquid. Et per istã differt à differẽtia, proprio, & accidẽte, quæ habitudines sũt ad prędicari inquale, iuxta exigẽtiã subiecti, quod denominant.

11 Ad 2. nego sequi, quod genus subalternũ, & *infimũ* differãt essentialiter, & specificè, quia subalternũ prędicatur, nõ de generibꝰ, sed de speciebus subijcibilibꝰ, v.g. substantia prædicatur de corpore, & spiritu. Essẽtia corporis ex se, neq; est species subijcibilis respectu substãtiæ, neq; est genus actu respectu inferiorũ. Per relationẽ subijcibilitatis fit subiectũ aptum, vt de eo prædicetur genus; ratio vero generis est peraccidẽs. Similiter de specie infima, ex se neq; est subijcibilis, neq; prædicabilis, & per respectũ subijcibilitatis fit subiectũ proximũ aptũ prædicationis generis, at prædicabilitas specifica, est peraccidẽs, vt genus prædicetur de ea. Itaq; species subijcibilis est terminus relationis genericę, & nã sub alternũ, quã infimũ habẽt pro ter-

termino species subijcibiles, per quo I nõ differunt species: alioquin essent plura prædicabilia specie distincta, adhuc sub ratione generis.

12 Ad tertium cõcedo, quod genus prædicatur aliquando de pluribus differentibus specie, & aliquando de pluribus differentibus numero. Sed dico, quod habitudo ad plura distincta in specie, est differentia essentialis; aptitudo vero, quæ causatur ad individua, est accidentalis. Et sic constat vera differentia in linea secundæ intentionis. Quia natura generica petit ex se fundare relationem; quæ terminetur ad terminum immediatum, quem terminum sunt species cum subijcibilitate.

13 *Quæres primò*. Vtrùm diffinitio generis sit propria? Respõdeo quod non. Quia vt dictum est in Logica directiua capite de diffinitione, propria diffinitio est oratio verum quid rei significans secundum Philosophum 4. Metaph. sed ista non ũgnificat verum quid rei: ergo. Probatur minor, quia verum quid rei, est vnum per se reale, at secunda intentio, non est quid reale, sed rationis: ergo.

14 *Quæres secundò*: Vtrùm sit essentialis, vel descriptiva? Respondeo, quod est essentialis. Quia definitio, quę datur per terminos significãtes partes essentiales definiti, hoc est per genꝰ, & differẽtiã, est essentialis. Sed ista est huiusmodi: ergo. Maior est certa, & minor patet ex hac q. §. *Incerta ea n.*

15 *Quæres tertiò*: Vtrùm sit purè quidditativa? Respondeo, quod non. Quia definitio purè quidditativa est illa, quæ constat genere, & differentia tantum sine aliquo addito. Sed in ista, præter subiectum, vel fundamentum, additur terminus relationis rationis, hoc est de pluribus differentibus specie: ergo. Ex quo habes, quod sola entia per se absoluta possunt habere diffinitionem purè quidditatiuam. At relatiua non possunt habere definitionẽ quidditativam purè, quia non definiũtur perfectè sine fundamento, & termino. Vt notavit Scotus 4. d. 1. quæst. 2. § *De tertio*.

16 Sed contra resolutionem secundi quæsiti arguunt Thomistæ, videatur Cursus Carmelit. disp. 5. q. 1. & Cauerus tract. 3. disp. 2. dub. 2. Nam Porphyrius hoc cap. vocat illam descriptiva n dicens: *de tertio genere apud Philosophos est sermo, quod iam describentes assignarunt, genus esse dicentes, quod de pluribus, &c.* nota ly *describentes*: ergo est descriptiva. Respondeo, quod descriptio apud antiquos accipitur pro definitione. Vnde descriptio apud illos, idem est, quod definitio: vt videre est apud Ciceronem de arte Oratoria, & apud Boecium, qui hunc Porphyri librum ex Græco transtulit in Latinũ, & loco *describẽtes*, posuit *definiẽtes*.

17 Secundo obijciunt, quia in vniuersali, aptitudo ad essendũ in pluribus, est essentia, & aptitudo ad prædicari de pluribus est

passo.

paſſio: Ergo in genere aptitudo ad eſſendum in pluribus differentibus ſpecie eſt eſſentia, & aptitudo ad prędicari de pluribus differentibus ſpecie, eſt paſſio. Datur per prædicari: ergo per paſſionē: ergo deſcriptiua. Reſpondeo negando totum, quia cap. de vniverſali q. 4. Oſtenſum eſt, quod aptitudo ad prædicari, eſt prior, quam aptitudo ad eſſendum in pluribus per intellectum, quia prior reducitur ad actū, ſicut intellectiua potentia eſt prior volitiua, quia prius reducitur ad actum intellectus, ſic in genere aptitudo ad eſſendum in illis per intellectum.

QVÆST. IV.

Vtrùm natura generica prædicetur de ſpeciebus, vt pars, an vt totum?

1 AD intelligentiā clarā notandū eſt, quod quæſtio nō procedit de genere formali, ſed de natura, quæ dicitur genus, vt conſtat ex titulo quæſtionis. Item notandum, quod natura generica poteſt conſiderari, vel vt pars, vel vt totum, ſi vt pars, dupliciter; vel vt pars potentialis ſpecierum, vel vt pars actualis ſpecierum. Tunc natura generica, v. g. animal, conſideratur, vt pars potentialis, quando percipitur, vt contrahibilis per ſuas differentias: tunc concipitur, vt pars actualis, quando ſimul cum differētia componit ſpeciem. Tunc conſideratur vt totum actuale quando percipitur, vt concludens ſua prædicata eſſentialia, quibus cōponitur. Tunc eſt totum potentiale, quando percipitur, vt continens ſub ſe ratione ſuæ ſuperioritatis, & vniuerſalitatis plures ſpecies in potentia ſubiectiua.

2 Præterea notandum eſt, quod illa reduplicatio poſita in titulo quæſtionis, facit iſtum ſenſum, quæ ſit conditio neceſſaria, & proximior, vt natura generica prædicetur de ſuis ſpeciebus. An eſſe partem? An eſſe totū? An partem actualem? An potentialem? An totum actuale? An potentiale?

3 Duo certa ſupponenda ſunt, in quibus non debet eſſe controuerſia. Primum eſt: natura generica non prædicatur de ſuis ſpeciebus, vt pars potentialis. Quia tūc genus eſt pars potentialis, quando eſt in potentia, vt contrahatur per differentias. Sed quando eſt in tali potentia, non ſunt ſpecies, de quibus prædicari poſſit: Quia non eſt ſpecies, niſi ſit compoſita ex genere contracto per differentiam: ergo non poteſt prædicari dum eſt pars potentialis.

4 Secundum ſupponendum eſt, quòd eſſe totum actuale, non eſt conditio per ſe requiſita, vt natura generica prædicetur de ſpeciebus, & ſic non prædicatur de ſpeciebus, vt totū actuale: quod probatur, quia natura generica, vt totum actuale reſpicit partes illam componentes, non ſpecies in-

inferiores: sed vt sit conditio requisita ad prædicari; debet respicere species aliquo modo: ergo naturã generica esse totum actuale, non est conditio per se requisita, vt prædicetur de suis speciebus; sed se habet per accidens.

5 Restat ergo, quod controuersia sit inter partem actualem, & totum potentiale. Vtrũm conditio proxima, vt prædicetur natura generica de suis speciebus, sit, quia est pars actualis earum? Vel quia est totum potentiale?

6 Paulus Venetus capit. de Specie. Sanchez lib. 3. q. 6. & alij dicunt: genus prędicari de suis speciebus, vt partem. Probant primo, quia Aristot. 1. Post cap. 4. dicit: integram definitionem, & singulas eius partes prædicari de suo definito. Sed genus est vna pars: ergo prædicatur, vt pars. Secundò, quia sub illa ratione prædicatur genus de speciebus, quæ est ratio propter quã de illis prædicatur. Sed ratio propter quam animal prædicatur de homine, & leone, & non de lapide, est, quia est pars hominis, & leonis, & non est pars lapidis: ergo prædicatur, quia est pars; vel vt pars. Tertio, quia in hoc differt genus ab specie, quod species, prædicatur, vt totum, & genus vt pars: ergo, vel non differt ab specie, vel prædicatur, vt pars.

7 Respondeo primò, necessarium est, quod genus, quod prædicatur, sit pars speciei, ad veritatem propositionis. Quia *ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur, vera, vel falsa.* Ergo ab eo, quod animal est in homine, componens partialiter illum, est vera ista, *homo est animal.*

8 Respondeo secundo: vt fiat actualis prædicatio vera, etiam requiritur, quod natura generica concipiatur, vt totum potentiale, vel vt quid superi? ad species. Quia alioquin istæ prædicationes, *homo est animal, leo est animal*, non essent superioris de inferioribus: vel sic omnis prædicatio generis de speciebus est superioris de inferioribus. Sed genus non est superius ad species, nisi concipiatur, vt totum potentiale: ergo necesse est, quod ante actualem prędicationem natura generica, sit concepta, vt totum potentiale.

9 Respondeo tertiò: licet sit requisitum, ad actualem prædicationem veram genericæ naturæ de speciebus, quod natura, quæ dicitur genus, sit pars actualis specierum: & etiam sit requisitũ, quod natura generica sit concepta, vt totum potentiale, tamen conditio, quod sit concepta, vt totum potentiale, est proximior ad actualem prædicationem. Probo, quia prius est, quod natura generica sit pars componens hominem, & leonem, quam quod abstrahatur, & concipiatur, vt totum potentiale, & post conceptionem naturæ, vt est totũ po-

totum potẽtiale, est actualis prædicatio: ergo esse vt totum potentiale, est ratio proximior actuali prædicationi, quam esse partem.

10 Respõdeo quartò: quando in prædicato sunt duæ conditiones, quare prædicatum dicatur de subiecto, & vna est proximior actuali prædicationi, quam alia: de illa, quæ est proximior, dicendum est, esse rationem, quare prędicatur, sed esse totum potentiale, est ratio proximior, quare natura generica prædicatur de suis speciebus: ergo dicendum est, qnod genus prædicatur de suis speciebus, quia est totum potentiale, vel quod prædicatur vt totum potentiale. Quæ conclusio est principaliter intenta in hac quæstione.

11 Ad argumenta in oppositum dicendum, solum probare, requiri ad veritatem prædicationis actualis, naturam genericam esse partem actualem specierum: quod concedo. Sed non probare, esse rationem proximam, quare de speciebus prædicetur. Et ideò non probant genericam naturam prædicari, vt partẽ actualem de speciebus, in sensu dicto, & explicato.

QVÆST. V.

Quo pacto natura generica contineat differentias, per quas contrahitur?

1 AD resolutiones claras prius sciendum, quot sint modi continendi vnum aliud in rebus naturalibus. Vna est cõtinentia virtualis, sicut, causa in actu primo continet effectum. Alia est continentia inclusionis, sicut specifica natura v. g. *homo* includit in se naturam genericã, & differentiam essentialem, per quam contrahitur animal, & cõstituitur homo. Alia est continentia identitatis realis, sicut homo est idem realiter cum Petreitate in Petro. Alia est continentia materialis, sicut materia continet formam. Alia est continentia superioritatis, & amplitudinis, sicut natura hominis continet sua inferiora singularia.

2 Præterea supponendum est, quod natura, quæ dicitur genus, potest considerari in triplici statu respectu suarum differentiarum. Vno modo, vt pars potentialis, in potestate ad contrahi. Alio modo, vt pars actualis, actualiter componens specificam naturam cum differentia. Tertio modo vt totum potentiale continens sub se differentias, quibus contrahitur ad species. His positis.

3 Respondeo primò, natura, quæ dicitur genus, in statu partis potentialis, non continet virtualiter differentias, per quas potest contrahi. Probatur, quia quod continet aliud virtualiter, debet esse causa effectiua eius: sed natura generica, in statu partis potẽtialis, non est causa effectiua differẽ-

ferentiarum, per quas potest contrahi: ergo non continet illas virtualitèr.

4 Respondeo secundò: natura generica in statu partis potentialis, non includit differentias, per quas potest contrahi. Sic Arist. 4. Topicorũ cap. 1. dicens: *Manifestum igitur, quoniã species participãt genera; genera autẽ species non: nã species suscipit generis rationem, genus autem speciei nõ*: ergo si non includit species, neque differentias. Item, quia, quod includitur in alio, est de essentia includentis: sed differentiæ, per quas potest contrahi natura generica, non sunt de quidditate naturæ genericæ, quia supponunt illam naturam secundum suam quidditatem: ergo non includuntur in natura generica.

5 Respondeo tertiò: natura generica in statu partis potentialis, non continet identicè differentias, per quas potest contrahi. Probatur, quia, quod continetur identicè, debet habere esse actuale, & esse idem in tertio: sed in illo statu, neque est tertium, neq; sunt differentiæ vnitæ in tertio cum natura generica: ergo non sunt idem realiter: ergo, neq; continentur identicè.

6 Respondeo quartò: in statu partis potentialis natura generica continet differentias materialiter. Quia illud continet aliud materialiter, quod se habet admodum, quo materia se habet respectu formæ physicæ: sed natura generica, respectu differentiæ, se habet ad modum, quo materia se habet respectu formæ physicæ: ergo continet differentiam materialitèr.

7 Respondeo quintò: natura generica in statu partis potentialis non continet differentias, vt totum potentiale: quia pars potentialis, non est totum potentiale: ergo, vt pars potentialis differentiarum non potest continere illas, vt totum potentiale.

8 Loquendo de natura generica, *vt est pars actualis speciei*, qui est secundus status, dico primo: quod non continet differentiam virtualitèr: quia non est causa effectiva differentiæ. Dico secundò: non continet differentiam inclusiuè; quia differentia contrahens genus, non est de quidditate naturæ genericæ, quæ supponitur ad differentiam. Dico tertiò: in statu partis actualis continet differentiam identicè: quia est idem realiter cum differentia: eo quòd identificãtur in tertio. Dico 4. natura generica, vt est pars actualis, non continet, vt totum potentiale differentias; quia vt est pars actualis, non est, vt totum potentiale: ergo, non continet differentias, vt totum potentiale.

9 Sed loquendo de natura generica *in statu totius potentialis*, dico, quòd continet differentias suas, vt totum potentiale: quia omne superius, & amplum conti-

ner inferiora, & minus ampla, vt totum potentiale: ſed natura generica in illo ſtatu, eſt ſuperior, & magis ampla, quam ſuæ differentiæ illius contractivæ, quia valet rationale eſt animal; rugibile eſt animal, & non è converſo: ergo.

10 Tandem dico: quod natura generica *in ſtatu totius potentialis*, non continet inclusiue ſuas differentias, illius contractivas. Probatur; nam Ariſt. 4. Topic. cap. 1. *ſpecies ſuſcipit rationem generis, genus autem ſpeciei*, non, & cap. 2. *nullum ſuperius participat inferius*. Et Porphyr. hoc cap. *ait differentia, eſt, qua ſpecies excedit genus: homo enim animali plus habet rationale, & mortale: animal enim ipſum nihil horum eſt*: & reddit rationem. *Neque enim omnes oppoſitas habet, quoniam in eodem ſimul haberet oppoſita*. Quod eſt impoſſibile, & concludit tandem, quod ſolum continet differentias poteſtate, & ſuperioritate, dicēs: *ſed quemadmodum probant (ſupple antiqui) poteſtate quidem habet omnes ſub ſe differentias, actu quidem nullam, ſupple inclusiue*. Probatur etiam hac ratione, quia quod includit aliud, habet inclusum pro eſſentia, vel parte eſſentiæ: ſed differentia contractiva generis, non eſt de eſſentia eius, quia natura generica ſupponitur completa: ergo non includit differentias contractiuas.

QVÆST. VI.

Vtrùm natura generica poſsit cōſeruari in vnica ſpecie?

1 NOn eſt quæſt. de natura generica formaliter: quia cum genus formaliter ſit reſpectus ad plures ſpecies: ſi non ſit niſi vna poſſibilis, patet, quod nō poteſt habere eſſentiam, neque conſeruari. Procedit, quæſtio de natura materialiter, quæ denominatur genus: & ſic quæſtio eſt metaphyſ. Vlterius notandum, quod natura poteſt conſiderari, vt totum metaph. vel vt pars. Et ſi vt pars, dupliciter, vel vt pars actualis, vel potentialis: His ſuppoſitis dicamus ea, in quibus non eſt diſcordia.

2 Dico primō, natura generica, vt eſt totum actuale, poteſt conſervari in vnica ſpecie. Probatur, quia dum conſervantur partes componentes totum, conſervatur illud totum compoſitū. Sed in homine v.g. exiſtente cōſervantur partes componentes hominem, qui eſt totum compoſitum: ergo conſervatur animal, quod eſt natura generica. Minor patet, quia in homine exiſtente conſervatur viuens ſenſibile: ergo & animal.

3 Dico ſecundò: natura generica, vt eſt pars actualis, conſeruatur in vnica ſpecie. Probatur, quia quando conſeruatur

cum compositum', conservatur pars. Sed natura generica actualis est pars speciei: ergo conservata vna specie composita, conservatur natura generica, vt pars actualis. Vndè conservato homine, conseruatur animal identificatiu cũ illo, quod est pars hominis.

4 Sed accipiẽdo naturam genericam, vt pars potentialis contrahibilis per suas differentias essentiales, est dissensio inter Auctores. Thomistæ dicunt, quod non potest conservari in vnica specie. Sic Cursus Carmelitarum disput. 6. de Specie, q. 2. qui pro se plures citant. Et allegant pro se Arist. 4. Topic. cap. 3. & 5. Metaph. textu 10. sed in merito, quia ibi loquitur Arist. de natura generica, vt est totum potentiale, vt visum est quæstione antecedẽte §. *Tandem.* num. 10.

5 Præterea â priori, quia natura generica non habet completam perfectionem essentialem, quoadusque sit contracta, & actuata per differentias essentiales: sed quælibet differentia essentialis seorsim, non est adæquata perfectio naturæ genericæ: ergo, vt sit adæquatè perfecta, requiritur simpliciter, quod sint plures differentiæ essentiales: & plures species. ¶ Præterea, quia nullum datur in rerum natura genus, quod non habeat plures species: ergo signum est, quod petit illas, vt salvetur eius perfectio essentialis.

6 Sed contra istam opinionem sic arguo. Materia prima est pars physica totius physici, & formæ sunt partes essentiales totius: & materia dicit exigentiam essentialem ad omnes formas, & tamen materia prima conservatur in vnico individuo cum vnica forma: Ergo similiter natura generica, quæ est pars essentialis totius, potest conservari in vnica specie cũ vnica differentia. Item, quia nulla apparet implicatio, vt natura generica possit conservari in vnica specie cum vnica differentia: ergo potest sic conservari.

7 Respondeo ergo, quod natura generica, vt est pars metaphysica potentialis, potest conservari in vnica specie. Probatur, quia sicut se habet materia prima ad suas formas, se habet natura generica, vt pars, ad suas differentias. Sed materia prima potest conservari cum vnica forma in vno individuo: ergo natura generica, vt pars, potest conservari in vnica specie. Minor probatur, quia nulla apparet contradictio.

8 Dices esse implicationem, quod natura generica sit sine differentijs essentialibus; quia ipsa in se est quid incompletum, & perit essentialiter compleri, & perfici per ipsas differentias. Et sic si esset sine illis, esset sine aliquo essentiali.

9 Sed contra, quia forma, licet sit de essentia totius physici, non est de essentia materiæ: quia

materia est potentia, & forma actus. Præterea, quia exigentia essentialis, quam vnum extremum dicit ad aliud, est dupliciter; vna, quæ funditur in essentia, vt exigẽtia, quã dicit albedo ad essendum in subiecto: altera est talis conditionis, vt id, in quo est talis exigentia, vel dependentia, non potest existere sine termino: vt exigentia, vel dependẽtia, quam dicit creatura ad creatorẽ. Exigẽtia, quam habet natura generica ad differentias, non est essentialis isto secundo modo: quia absolutè & simpliciter pars generica est prius differentijs: ergo est primo modo: sed exigentiæ albedinis ad subiectum, & materiæ ad formas, immò, & materia cum suis exigẽtijs salvatur cum vnica forma: ergo, & natura generica partialis salvatur cum vnica differentia.

10 Ad fundamentũ aduersariorum resp. quod aliud est, quod natura generica, vt pars, absolutè conservetur in vnica specie cum vnica differentia: & aliud, quod conseruetur, cũ omni perfectione: vt autem saluetur, & conservetur cũ omnimoda perfectione, requirũtur omnes differentiæ, & species: sed, vt conseruetur absolutè, sufficit vna species, & coniunctio cum vnica differentia, simul cum habitu ordinẽ ad alias; sicut contingere potest in materia prima. Quod, si de facto natura generica est cum multis differentijs; ideò est, quia Deus vult, quod habeat illas, quæ requisitæ sunt ad perfectionem vniversi.

QVÆST. VII.

Vtrùm natura generica prædicetur immediatè de individuis?

1 AD resolutionem aduertẽdum est, quod possunt esse duo individua, vnum specificum & completum naturæ completæ, vt Petrus: aliud genericum, & incompletum, vt hoc animal respectu animalis: & hoc individuum dicitur incompletum, quia animal in comparatione ad speciem est natura incompleta. Secundo notandum, quod individuum generis non est à parte rei; quia nõ datur hoc animal in rerum natura, sicut non datur natura generica existens sine specie. Ideoque illud individuum est per rationẽ.

2 Loquendo de natura generica secundum capacitatem innatam, & de individuis completis, natura generica non est capax prædicari immediatè de individuis completis. Ratio est, quia natura generica ex natura sua habet pro subiecto immediato speciẽ, & nõ individuũ cõpletũ: ergo.

3 Loquẽdo de prædicatione, non secundum exigentiam naturalẽ, dico, quod natura generica potest immediatè prædicari de individuis cõpletis. Probo, quia potest logicus apprehendere naturã animalis, & apprehẽdere individua, nempè Petrum, & Paulũ:

sine eo, quod apprehendat specificas naturas; & tunc non mediât species: ergo in isto casu istæ prædicationes *Petrus est animal. Paulus est animal*, sunt actualiter immediatæ.

4 At loquendo de individuis incompletis generica natura, prædicatur immediatè de illis. Vnde ista, *hoc animal est animal*, est immediata. Quia illa prædicatio est immediata, quando inter subiectum, & prædicatum nihil mediat: sed inter animal, & hoc animal nihil mediat: ergo.

5 Dices inter animal, & hoc animal mediat homo, quia animal etiam prædicatur de homine. ¶ Respondeo negando antecedens, quia cum hoc animal sit fictum per intellectum, sic per rationem actualiter, & immediatè conungitur animal cum hac singularitate; licet ex natura sua, natũ sit prius conjungi cum differentia metaphysica.

6 Dices, hoc animal, sumptum pro individuo generico, & incompleto, nõ est rationale, neque irrationale: ergo indifferens, vt contrahatur per rationalitatem, & irrationalitatem: ergo est genus; ergo datur aliquod, quod sit genus, & individuum. ¶ Respondeo negando primam consequentiã, quia animal, quod est indifferens ad differentias, est nudum ab omni singularitate; at hoc animal iam est determinatum singularitate relationis.

7 Quæres primò, Vtrùm hæc prædicatio, *hoc animal est animal*, sit speciei? Noster Merinero cap. 2. de genere dub. 3. num. 1. & Didacus à Iesu disp. 7. q. 1. cum alijs dicunt, quod sic. Quia illa prædicatio, in qua, prædicatum est tota essentia subiecti, est speciei de individuo: sed in ista, *hoc animal est animal*, est huiusmodi: ergo.

8 Sed contra, quia prædicatio speciei requirit, quod totum subiectum, & prædicatum, sint eiusdem ordinis: sed in illa propositione totum subiectum, non est eiusdem ordinis cum prædicato: ergo. Probatur minor, quia hoc animal, quod est totum subiectum, est cõpositum ex prima, & secunda intentione: nam animal est primæ intentionis, & singularitas est secundæ intentionis rationis.

Dicẽdũ, est illam prædicationem essa speciei mixtæ: quia subiectum est mixtũ ex prima, & secunda intentione.

QVÆST. VIII.

Vtrùm genus eadem relatione prædicabilitatis respiciat species, & individua specierum?

1 QVidam dicunt: quod sic, quia natura generica non prædicatur de individuis diuersarum specierum immediatè; sed mediantibus speciebus: ergo natura

tura generica eadẽ relatione numero, qua reſpicit indiuidua, reſpicit etiam ſpecies.

2 Ego autem claritatis gratia reſpondeo per iſtas concluſiones. Prima eſt, natura generica, vt genus eſt, reſpicit immediatè, & per ſe ſpecies tantum. Ratio mihi eſt iſta, quia illa relatio eſt vniuerſalitatis genericæ: ſed iſta petit pro fundamento naturã generica m, & pro termino ſpecies, in quibus terminatur: ergo per ſe ſolum reſpicit ſpecies.

3 Secunda eſt. Natura, quæ dicitur genus, poteſt reſpicere indiuidua, ſine eo, quod reſpiciat ſpecies illa relatione. Probatur, quia intellectus poteſt concipere naturam animalis, & ſingularia ſpecierum tantum, ſine eo, quod percipiat ſpecies; & tunc cauſare relationes rationis ad illa ſingularia, & per iſtam relationẽ reſpicit tantum ſingularia. Et ratio eſt, quia tunc nõ ſunt ſpecies conceptæ, quæ reſpiciantur eadem relatione, & ſunt indiuidua terminantia illam relationem: ergo.

4 Reſpondeo tertiò, quod aliquando natura animalis, v. g. reſpicit naturam ſpecificam, & indiuiduum vnica relatione; ita tamen, quod natura ſpecifica non ſit terminus; ſed indiuiduum. Hoc contingit in concluſione iſtius ſyllogiſmi, & ſimilium, *homo eſt animal, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal*; in quo ſyllogiſmo maior eſt generis de ſpecie tantum; minor eſt ſpeciei de indiuiduo tantum: & in concluſione relatio tertia, quaſi penetrat naturam ſpecificam, & terminatur ad indiuiduum. Quia cum iſti gradus ſint directi, videtur illam relationem (ſuppoſita ſpecie) non poſſe terminari ad indiuiduum, niſi penetret ſpeciem.

5 Et in hoc caſu vnica relatione reſpicit ſpecjem, & indiuiduum. Et in illo caſu eſt vera illa prima opinio: ſed abſolute eſt falſa, quia natura, quæ dicitur genus poteſt reſpicere indiuidua, ſine eo, quod ſint ſpecies abſtractæ, quæ ab illa relatione reſpiciãtur.

CAP. II.

De Specie.

QVamquam natura generica, & ratio differentialis ſint prius, quam natura ſpecifica conſtituta: & ſic ordine naturæ prius tractandũ erat de differentia, quã de ſpecie: tamẽ, quia Porphyrius tractauit de illis Logice, vt ſunt ſuperiora, & inferiora, relatiue, & relatiua, non percipiuntur perfecte, niſi habita notitia correlatiui, ideò poſtquam Porphyrius egit de genere, recte tractauit de ſpecie correlatiua, prius quam de differentia.

QVÆ-

QVÆST. I.

De specie, & diuisionibus eius?

1 TErminus, seu vox *species* prima sui impositione institutus fuit à politica ad significandum pulchritudinẽ, iuxta illud Psalmi 44. vers. 3. *speciosus forma præ filijs hominum* Et vers. 5. *specie tua, & pulchritudine tua.* Sed quia natura generica est incomposita, & carens forma, & ratio differentialis dat illi formam, complet illam, & illi tribuit pulchritudinem; ideo Logici communi consensu, & placito extenderunt istam vocem *species* ad significandum naturam completam, & pulchram.

2 Vlterius Logici considerantes naturam specificam ex sui conditione esse subiectam entitatiue naturæ generi cæ, & quod per actum collatiuum ordinabatur ad genus, vbi erant duo, vnum natura specifica, alterum, illa relatio, qua formaliter subijciebatur generi, vocarunt illud totum per accidens *speciem subijcibilẽ.* Præterea considerando naturam specificam entitatiue esse superiorem indiuiduis, & quod intellectus per actum collatiuum ordinat illã ad sua indiuidua, & quod per relationem rationis facit illã superiorem formaliter, & aptam, vt prædicetur de illis: ad significandum illud totum, & præcipue rationem formalem vniuersalitatis, & prædicabilitatis, instituerunt hunc terminum cõplexum *species prædicabilis.* Itaque nomen *species*, aliquando significat naturam specificam, & aliquando accipitur pro specie prædicabili, supponendo pro illa; sed iste terminus *species subijcibilis* semper significat naturam specificam, vt subiectam generi, & *species prædicabilis*, semper significat naturam specificam vniuersalem, & aptam prædicari de pluribus differentibus numero.

3 Diuiditur species in subijcibilem, & prædicabilem, & ista diuisio est subiecti in accidentia: nam natura hominis, v.g. recipit in se relationem rationis, & terminatur ad naturam genericam, qua relatione dicitur subijcibilis. Et recipit aliam relationem rationis, quę terminatur ad indiuidua, qua dicitur prædicabilis. Istæ relationes rationis sunt accidentia rationis subiectata, & fundata in ipsa natura specifica. Et diuisio, in qua subiectum diuiditur in accidentia, est subiecti in accidentia. Sed sic est ista speciei in subijcibilẽ, & prędicabilẽ; ergo est subiecti in accidentia.

4 Facta diuisione speciei in subijcibilem, & prædicabilem, restat scire naturas earum, quid sit species subijcibilis, & quid sit species prædicabilis? Porphyrius cap. de specie, speciem subijcibilem sic definiuit: *Est id, quod subijci-*

itur generi, & de quo genus in eo, quod quid prædicatur. Et speciem prædicabilē definivit sic: *Est quæ prædicatur de pluribus differētibus numero in eo, quod quid.*

QVÆST. II.

Vtrùm definitio speciei subijcibilis sit bona?

1 ET videtur quod sic. Primo, ab auctoritate, quia data fuit à Porphyrio, qui fuit auctor prædicabilium. Secundò, quia accipitur ab omnibus. Tertiò per rationem, quia benè explicat rationem speciei subijcibilis, in qua sunt duæ conditiones, vna est, quod subijciatur generi, & altera est, facere naturam specificam aptam, vt de ea genus in eo, quod quid prædicetur: Per primam differt à prædicabilibus, & per secundam ab indiuiduo: ergo est bona.

2 Sed contra bonitatē eius est hoc argumentum: bona definitio debet non competere alijs à definito: sed ista conuenit indiuiduo subijcibili: ergo non est bona. Patet minor, quia indiuiduum subijcitur generi, & de eo genus, in eo quod quid prædicatur, vt patet in ista *Petrus est animal*, in qua Petrus subijcitur animali, & de eo animal, quod est genus, in eo, quod quid prædicatur.

3 Propter hoc argumentum, Authores dicunt, illam definitionem speciei subijcibilis, vt iacet, non esse perfectam; ideò aliquid supplendum esse, & subaudiēdum. Louanienses dicunt subaudiendā esse particulam *vniuersale*, ita vt dicamus: *Species est vniuersale, quod subijcitur generi, & de quo genus in eo, quod quid prædicatur.* Et per ly *vniuersale* ex parte subiecti, differt ab indiuiduo materiali, quod non est vniuersale entitatiuè, & fundamentaliter.

4 Didacus à Iesu disput. 7. q. 1. §. *Solutio ergo*, cum alijs, ait subaudiendam esse particulam *immediate*, ita vt dicamus: *Species est, quæ immediatè subijcitur generi, & de qua genus immediatè, in eo quod quid prædicatur.* Per quā particulam clarè differt species subijcibilis ab indiuiduo subijcibili.

5 His tamen non obstantibus dico, quod si corde tenùs haberemus, quod dixerat Porphyrius cap. de genere, cognosceremus diffinitionem suam de specie subijcibili, esse bonam, & adæquatam. Dixerat enim, quod habitudo rationis fundata in natura, quæ dicitur genus, & terminata ad naturas specificas, erat ratio formalis generis Logici. Et sic genus Logicum constituitur per illam. Vnde genus non est genus nisi per ordinem ad species tantùm, cumque species subijcibilis sit relata ad genus, hinc fit, quod per vnum genus intelligendū est, quod respicit tantum species, non

quod

quod respicit individua, quia per ordinem ad individua non est genus, & sic è conuerso genus est terminus speciei subijcibilis, & correlativum eius, & non est terminus relationis individui subijcibilis, in quantum est genus, neque correlativum individui.

6 Ex his apparet bonitas illius definitionis, quia illa definitio, quæ conuenit omni definito, & soli, est bona; sed illa conuenit omni speciei subijcibili, & soli: ergo ex se est bona, & adæquata. Probatur minor, quia habet differentiam, per quam distinguitur ab individuo subijcibili: nam licet conueniant species subijcibilis, & individuum subijcibile in hoc, quod est subijci, differunt tamē in hoc, quod correlatiuum, & terminus relationis subijcibilitatis speciei, est genus, & quod est aptum prædicari de illa est genus: at correlativum individui nō est genus, quia licet super naturam, quæ alias est genus, causet intellectus relationem prædicabilitatis ad individua, per illam relationem, & per capacitatem ad illam non est genus, vt dictum est.

7 Ad argumentum positum num. 2. Nego, quod illa definitio conueniat individuo. Ad probationem, cum dicitur, quod individuum subijcitur generi, & de eo genus in eo quodquid prædicatur, nego, quod genus sit correlativū eius, & nego, quod subijciatur generi, vt genus est, licet subijciatur naturæ, quæ aliàs sit genus respectu speciorum. Neque vt genus est aptū prædicari in eo quod quid de individuis, sed per aliam relationem, qua non est genus, sit illa natura apta prædicari in eo quod quid de individuis. Itaque fundamentum speciei subijcibilis debet esse species, & terminus, relationis subijcibilitatis speciei debet esse genus, vt correlatiuum eius; & distinguitur à subijcibilitate individui, tam ex parte fundamēti, quàm ex parte termini, & per habitudinem ad fundamentū, & terminum: & eo ipso, quod Porphyrius posuit in diffinitione, *species*, & *quæ*, ly *quæ* refertur ad speciē, quæ est subiectum commune subijcibili, & prædicabili. Et ly *generi* in definitione, se habet per se, at respectu individui se habet per accidens.

QVÆST. III.

An subijcibilitas sit eiusdem rationis in specie infima, & subalterna? NON

1 ET videtur, quod sic, quia subijcibilitas, & prædicabilitas sunt relationes constituentes correlata: ergo diuersa subijcibilitas probatur per diuersam prædicabilitatem; sed prædicabilitas speciei infimæ est diuersa à prædicabilitate speciei subalternæ: ergo. Probatur ista minor, quia species subalterna, seu genus intermediū, prædicatur vt genus: species autem infima, vt species prædica-

tur; sed prædicabilitas generis, & speciei sunt diuersæ: ergo & subijcibilitas.

2 Respondeo, quod subijcibilitas speciei infimæ, & subalternæ sunt eiusdē rationis. Primò, quia ratio formalis generica in genere supremo, est eiusdem rationis cum ratione formali generica generis infimi; & solùm differunt penès maiorem, & minorem extensionē et parte naturæ denominatæ: ergo similiter subijcibilitas speciei infimæ, & subalternæ sunt eiusdem rationis. Secundò probatur ex parte fundamenti, & termini: nam species infima, quæ est fundamentum subijcibilitatis, est quodam totum essentiale constans genere, & differentia, & terminus subijcibilitatis est genus. Similiter fundamentum subijcibilitatis speciei subalternæ, est quodā totum essentiale constans genere, & differētia; & terminus est genus: ergo relationes vtriusque subijcibilitatis sunt eiusdem rationis.

3 Ad rationem dubitandi respondetur, quod subijcibilitas non sumitur in ordine ad prædicabilitatem, quam alias haberes, quæ est subijcibilis, respectu inferiorū: Hæc enim per accidens se habet ad subijcibilitatem vt sic: sed in ordine ad prædicabilitatem eius, cui subijcitur; vnde cum vniuersalitas, & prędicabilitas generis, cui vtraque species subijcitur, sit eiusdē rationis, subijcibilitas vtriusq; speciei, quæ respectu illius prædicabilitatis est attendenda, debet esse eiusdem rationis.

QVÆST. IIII

Vtrùm species subijcibilis, & genus sint relata?

1 ET videtur, quod non, quia vnum relativum non prędicatur in recto de alio, sed genus prædicatur in recto de specie subijcibili: ergo non sunt relata. Minor probatur, quia in ista prędicatiōne *homo est animal*, genus prædicatur in recto de homine, qui est species subijcibilis. Item, quia relatiua secundum Arist. cap. de ad aliquid, sunt simul tempore cognitione, & natura; sed genus, & species non sunt simul natura: ergo. Probatur minor, quia omnis pars est prius toto, eo quod est causa partialis totius: & genus est pars speciei subijcibilis: ergo.

2 Vera sententia est, genus, & speciem subijcibilē, esse relatiua rationis. Sic Porphyrius in hoc cap. & Scotus q. 21. vniuersalium: & est cōmunis. Probatur sic, omne superius, & inferius formaliter sunt relatiua; sed genus formaliter est superius formaliter, & species subijcibilis formaliter est inferior formaliter: ergo. Secundo, quia genus formaliter relatione rationis respicit speciem subijcibilem, & terminatur ad illam: & species subijcibilis formaliter per relationem rationis respicit genus, & terminatur ad illud; sed il-

la,

ta, quæ se respiciunt formaliter; sunt relata: ergo genus, & species subijcibilis sunt relata.

3 Ad primum respondeo distinguẽdo maiorẽ, vnum relativũ formale, non prædicatur de alio formali in recto, cõcedo maiorẽ: vnum relativum materialiter non prædicatur de alio materiali in recto, nego maiorẽ. Itẽ distinguo minorẽ, genus materialiter prędicatur de specie materialiter cõcedo, formaliter nego, & nego cõsequentiam. Ideò ista, *homo est animal*, est vera; & ista, *homo est genus*, est falsa. Ad secundũ respondeo, quod relatiua formaliter sunt simul tẽpore, cognitione, & natura, sed nõ relatiua materialiter: nã Pater materialiter prius est filio, siquidem est causa eius: ita animal prius est entitatiue, quã homo, at formaliter, vt relata formaliter sunt simul natura, & cognitione.

4 Dices, intellectus potest causare prioritate temporis relationem, qua genus est genus, quam causet relationẽ rationis subijcibilitatis in specie: ergo formaliter sumptis, genus, & species, nõ sunt simul, natura, immò neq; tempore. ¶ Respondeo, quod quando relatio subijcibilitatis nõ est causata, non est species subijcibilis, & sic nõ habet locum quæstio in illo casu: at quæstio supponit speciem subijcibilẽ formaliter, & genus; & data subijcibilitate sunt relata simul natura, & cognitione; sicut Pater, & Filius.

QVÆST. V.

An species, vt subijcibilis generi, sit vniuersalis?

1 TOletus in hoc cap. q. 1. dicit; quod sic. Primo, quia vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, sicut animal ad hominem, & leonẽ: ergo quodlibet prædicabile respicit illud tanquã propriũ genus, cuius rationẽ participant: sed species respectu generis habet rationẽ subijcibilis: ergo species subijcibilis participat rationẽ vniuersalis. Ergo vt subijcibilis est prædicabilis. Secundò, quia genus immediatè refertur ad speciẽ subijcibilẽ, sed id, ad quod genus immediatè refertur, non est singulare: ergo vniuersale. Tertiò relata debent esse sub eodẽ genere: sed genus, & species subijcibilis sunt relata: ergo sunt sub eodẽ genere. Ergo sicut genus continetur, tanquã sub genere, sub vniuersali; ita species subijcibilis. Quartò, species subijcibilis potest prædicari de hac, & illa specie subijcibili, vt si dicamus: *hæc species subijcibilis est species subijcibilis*: ergo vt sic erit vniuersalis.

2 Didacus à Iesu disp. 7. q. 2. §. *His tamen non obstantibus*, dicit, quod non. Et adducit profe Albertũ Magnũ tract. 4. in Porphyriũ, & Oña, cap. de specie q. 2. & probat primo, quia vniuersale est vnum in multis: sed species vt

ſubijcibilis, non eſt vnũ in multis; ergo vt ſubijcibilis non eſt vniuerſalis, minor probatur, quia ſpecies vt ſubijcibilis nõreſpicit multa inferiora, ſed vnũ gen°: ergo vt ſic nõ eſt vna in multis, neque vniuerſalis. Secundò, quia ſubijcibilitas eſt relatio inferioris ad ſuperius: prædicabilitas eſt relatio ſuperioris ad inferiora: ergo ſubijcibilitas non eſt relatio prædicabilitatis: ergo neque ſpecies vniuerſalis. Tertiò, quia rationes, oppoſitæ formaliter, non ſe habent, ita quod vna ſit de quidditate alterius; ſed ſubijcibilitas, & prædicabilitas ſunt rationes oppoſitę formaliter, ſicut relationes Paternitatis, & Filiationis: ergo.

3 Hæc quæſtio eſt ſubtilis ſatis, ideò ad reſolutionẽ indiget claritate. Primo nota, quod quæſtio eſt de ſpecie ſubijcibili reduplicatiuè, vt ſubijcibilis eſt, & inconcretò. Secundò nota, quod relatio ſubijcibilitatis connotat naturam, v. g. humanã reſpectu generis, & vt connotat naturã materialem, ſe habet *vt quo*, quia eſt ratio qua natura conſtituitur, vt ſubijcibilis. Vlterius, ſi iſta relatio ſubijcibilitatis abſtrahatur à ſubiecto, manet cum connotatione ad ſua ſingularia, quia ſic eſt natura, vel eſſentia in ſua linea, & in iſta abſtractione ſe habet vt *quod*. Præterea in iſta abſtractione ex ſe eſt prædicabilis remotè: & per relationem ad ſua inferiora, eſt prædicabilis proximè: & per relationem ſubijcibilitatis ad ſuum genus rationis, conſtituitur in ratione ſubijcibilis formaliter. Itaque eadẽ eſſentia relationis ſubijcibilitatis reſpectu ſubiecti ſe habet vt *quo*; reſpectu verò ſuorũ indiuiduorum ſe habet *vt quod*; & reſpectu alterius relationis ſubijcibilitatis, etiam ſe habet *vt quod*, quod refertur, & denominatur.

4 Nunc reſpondeo; Primò ſpecies, vt ſubijcibilis, & *vt quo* non eſt prædicabilis entitatiuè, quia quod eſt prædicabile entitatiuè, vel materialitèr, debet eſſe *vt quod*, & vt quodam potentiale: ſed ſpecies ſubijcibilis formaliter, vt ſubijcibilis, & *vt quo*, connotans naturam, quam denominat ſubijcibilem, non ſe habet *vt quod*: ergo *vt quo* non eſt vniuerſalis, neque prædicabilis.

5 Reſpondeo ſecundò; ſpecies ſubijcibilis formaliter, & *vt quo*, non eſt prędicabilis, neque vniuerſalis *vt quo*, ideſt, non eſt ratio conſtituendi ſpeciem vniuerſalẽ. Probo, quia ratio cõſtituendi vniuerſale eſt relatio ad inferiora: ſed relatio ſubijcibilitatis *vt quo*, non refert ad inferiora; ſed ad ſuperius: ergo non eſt ratio conſtituendi vniuerſale.

6 Reſpondeo tertiò; relatio ſubijcibilitatis abſtracta à ſubiecto, eſt prædicabilis *vt quod* entitatiuè de ſuis indiuiduis. Probo; quia ſic eſt natura ſpecifica, & tota quidditas eorum, ſed

sed omnis tota quidditas est prædicabilis entitativè, & in quid de suis individuis: ergo, & ista.

7 Respondeo quartò: quòd prædicta essentia relationis subijcibilitatis, est capax relationis prædicabilitatis. Quia omnis natura, quæ immediatè connotat sua individua, est capax relationis prædicabilitatis: sic est ista essentia: ergo.

8 Respondeo quintò: quod ista essentia relationis subijcibilitatis est capax alterius relationis subijcibilitatis; qua *vt quo* constituatur, & denominetur subijcibilis. Probatur, quia sicut natura relationis speciei prædicabilis, potest denominari species prædicabilis, per aliam relationem prædicabilitatis; ita natura speciei subijcibilis potest denominari species subijcibilis alia relatione subijcibilitatis *vt quo*.

9 Ad argumenta Toleti respondeo, solum probare naturam relationis subijcibilitatis *vt quod*, habere prædicabilitatem entitatiuam. Ad primum cõcedo, quod vniuersale est genus ad quinque prædicabilia. Ad istam consequẽtiam, ergo quodlibet prædicabile respicit illud, tanquam proprium genus. Respondeo, quod cum quodlibet prædicabile *vt quod*, sit species entitativa vniuersalis, nulla species entitativa respicit genus suum nisi per relationem subijcibilitatis. Vnde species subijcibilis, *vt quod*, & entitativè, neque est subijcibilis formaliter generi, neque prædicabilis formaliter de suis individuis. Ad illam subsumptam, nempè, sed species respectu sui generis habet rationem subijcibilis. Respondeo, quod species in sensu diuisso à subijcibilitate formali, non est subijcibilis formaliter; cõposita autẽ cũ alia relatione subijcibilitatis, est subijcibilis; tamen vt est subijcibilis, *vt quo*, non est prædicabilis, quia sub illa ratione formali non respicit inferiora; sed superius.

10 Ad secundum concedo, quod species subijcibilis immediatè refertur ad genus. Sed id, quod immediatè refertur ad genus, neque est singulare, neque vniuersale formaliter, sed solum entitativè, & materialiter. Et sic essentia relationis subijcibilitatis præcisa à singularibus suis, neque est singularis actu, neque vniuersalis formaliter, neque subijcibilis actu, & formaliter respectu vniuersalis; sed solum est quidditas rationis entitativa indifferens, & præcisa ab istis rationibus.

11 Ad tertium respondeo, quòd genus materialiter, & species materialiter sunt relata, cõcedo etiam, quod sicut genùs continetur, sub vniuersali, sic continetur species. Et dico, quod genus *vt quod*, continetur entitatiuè, & materialitèr, sub vniuersali, & *vt quod* est prædicabile fundamẽtalitèr de suis individuis, nẽpe

de

de hoc, & illo genere. Sed genus *vt quo*, non est species vniuersalis; sic species, seu natura speciei subijcibilis formaliter, & abstracta à subiecto, & *vt quod* continetur entitative, sub vniuersali, & vt *quod* est prædicabilis entitative, & fundamentaliter de suis indiuiduis: sed non quando est *vt quo*. ¶ Ad quartum respondeo, quod confirmat meam sententiã: nam si species subijcibilis prædicatur de hac, & de illa specie subijcibili, tunc species subijcibilis se habet *vt quod*, & vt totum potentiale, & connotat sua singularia, & sic species subijcibilis *vt quod* est prædicabilis; sed non quãdo se habet *vt quo*. Vt in meis resolutionibus dixi.

12 Ad argumenta Didaci à Iesu respõdeo, solum probare speciem subijcibilem, vt *quo*, & vt connotat naturam, quam constituit, & denominat subijcibilem, non esse prædicabilem, quod etiã statui in meis resolutionibus prima, & secunda: Nam, *vt quo* non est vna in multis, vt dicit primum argumentum: & est relatio, *vt quo* inferioris ad superius; vt dicit secundum argumentum. Et vt *quo* etiam est opposita relationi prædicabilitatis, *vt quo*; vt dicit tertium argumentum. Tamen, vniuersale, *vt quod*, & species subijcibilis *vt quod*, non sunt opposita. Potius relatio subijcibilitatis, vt *quod*, includit *in quid* vniuersale *vt quod*: quia est species entitativa vniuersalis.

QVÆST. VI.

Quo modo se habeant in specie ratio subijcibilitatis, & prædicabilitatis?

1 CAietanus cap. de Specie, dubio illo, quænam sit habitudo speciei ad indiuidua? §. *Circa hanc partem*, sic inquit: habitudo autem speciei, & habitudo ad indiuidua, licet inter se discrepent, ita tamen inter se coæunt in vnius denominationẽ, vt altera ex altera oriatur. Ex hoc namque, quod aliquid est sub genere positum, positione superius declarata, scilicet, quæ tota originatur à genere, necessario in illo pullulat habitudo ad indiuidua. Quoniam impossibile est aliquid ita generis participare nostram, & indiuiduis carere saltem in esse obiectiuo apud naturam cognitionem, super quam huiusmodi secundæ intentiones fundantur. Quia ergo relatio speciei ad indiuidua proprietas quædam emanans ex speciei relatione est; consequenter non omnino extranea est ab ea. Hæc Caietanus.

2 Vbi clare loquendo dicit: quod relatio ad inferiora, non est extranea neque distincta à relatione subijcibilitatis. Et probat, quia est proprietas relationis speciei subijcibilis: Et hanc probat, quia ex eo quod aliquid est sub genere debet participare naturã gene-

generis, quæ est respicere inferiora, sed species subijcibilis, vt subijcibilis est sub genere: ergo subijcibilitas speciei intrinsecè habet relationem ad individua.

3 P. Didacus à Iesu disp. 7. q. 2. male sentit de hac opinione Caietani; ideô §. *Ex quibus* sic inquit: ex quibus, ad id, quod secundo loco inquirebatur, cõstat erraſe Caietanum, qui in hoc cap. de Specie, censet speciem subijcibilem, & prædicabilem esse necessario connexas: & prædicabilem esse passionem subijcibilis, contra quem cum Louanienſibus 1. p. huius capitis de specie, & Oña, q. 2. de Specie cap. 2. & illico inquit ipse Didacus à Iesu, dico tertio in hac quæstione: species prædicabilis non est passio subijcibilis, neque ê contra. Patet, fundamenta harum relationum subijcibilitatis, & prædicabilitatis, sunt comparatio naturæ ad superiora, & inferiora, ita, vt vna non oriatur ex alia: immò formaliſſime loquendo, vna alteri contrarietur: Ergo, & ipsæ relationes sunt disparatæ. Probatur secundò breuiter, separari possunt species subijcibilis, & prædicabilis: ergo neutra est passio alterius: antecedens constat: quia si loquamur de prędicabilitate speciei infimæ, constat hanc prædicabilitatem separari ab specie subalterna, quæ subijcibilis est, non tamẽ prædicabilis, prędicabilitate hac speciei. Similiter si sermo sit de prædicabilitate subalterna, certum est separari à subijcibilitate speciei infimæ. Quod autem species prædicabilis sit, quæ non sit subijcibilis, patet, quia substantia, quæ est summum genus, prædicatur de hac, & de illa substantia prædicatione speciei: at genus supremum nulli alteri est subijcibile: ergo habet prædicabilitatẽ speciei sine subijcibilitate: hæc Didacus à Iesu.

4 Sed, vt opinio Caietani directè impugnari possit, præmittendum est clare, id, quod determinate dicit: primo inquit, quod in specie subalterna, v. g. in animali, relatio subijcibilitatis ad suum genus, & relatio prædicabilitatis ad suas species sunt relationes extraneæ, id est inter se, nõ connexæ; sed contingenter coniunguntur in vno subiecto. Secundò dicit: quod in specie infima habitudo speciei subijcibilis, est ratio formalis constituens speciem, & quod ex ipsa pullulat, tanquam propria passio, relatio prædicabilitatis. Tertiò, in ratione sua dicit: quod est impossibile, quod aliquod sit sub genere, vel quod sit species, & quod non habeat individua saltem ficta. Vt hoc animal, & illud animal respectu animalis. Ad hoc coactus fuit Caietanus, quia Porphyrius hoc capite de specie dixit, quod habitudo speciei ad individua, non est diuersa ab habitudine speciei. Vbi existimat Caietanus, quod iste ter-

terminus *species*, supponit pro subijcibilitate.

5 Nunc contra Caietanum dico, quod in specie specialissima relatio subijcibilitatis ad suum genus, & relatio prædicabilitatis ad indiuidua, non sunt connexæ; neque prædicabilitas *vt quo*, est propria passio subijcibilitatis relativæ *vt quo*. Quod probo sic. Quando vnum datur sine altero, nec sunt essentialitèr connexa, neque vnum est proprietas alterius: Sed datur relatio prædicabilitatis specificæ ad individua, sine relatione subijcibilitatis ad genus: ergo. Minorem probo ex doctrina ipsius Caietani, fingamus indiuidua substantiæ, nempe hanc substantiam, & illam substãtiam, tunc substantia habet individua ficta, quæ concedit Caietanus: fingat intellectus relationem vniversalitatis, & prædicabilitatis super substantiam ad illa individua: tunc illa substantia est species formalitèr, & infima, quia respicit indiuidua: & tamen non est tũc speciei subijcibilitas, quia non est genus, ad quod terminetur: quia substantia est genus supremum: ergo datur relatio prædicabilitatis ad indiuidua sine relatione subijcibilitatis speciei ad genus.

6 Si dicas pro Caietano, se non loqui de speciebus in completis; sed de completis: Et quod in istis relatio prædicabilitatis ad indiuidua, quæ constituit speciem prædicabilem, est proprietas subijcibilitatis ad suum genus, *Contra sic arguo*. Potest dari relatio prædicabilitatis specificæ completè ad indiuidua sine relatione subijcibilitatis speciei ad suum genus: ergo non sunt connexæ, &c. Probo antecedens, quia cognito Petro, & Paulo, & cognita natura humana, potest intellectus fingere in homine relationẽ prædicabilitatis specificæ completæ: & tunc non est relatio subijcibilitatis specificæ ad suum genus: ergo. Probo minorem: quia omnis relatio, sive realis, sive rationis essentialitèr præsupponit extrema: sed in casu dicto potest ille, qui cognoscit indiuidua, & hominem, non cognoscere expressè, & præcisè animal, quod est genus: ergo tunc non sunt extrema expressa relationis subijcibilitatis: ergo neque est relatio subijcibilitatis.

7 Prætereà dico: quod relatio subijcibilitatis specificæ potest dari sine relatione prædicabilitatis specificæ completæ: ergo non sunt connexæ, neque prædicabilitas specifica completa, est propria passio subijcibilitatis specificæ. Probatur antecedens: quia possum concipere naturam animalis, & naturas hominis, & leonis, & fingere relationem generis *vt quo*: & fingere super naturas hominis, & leonis relationes subijcibilitatis, *vt quo*, quibus referuntur ad animal. Tunc

sunt

sunt relationes subijcibilitatis specificæ completæ: & non est relatio prædicabilitatis ad individua: ergo datur relatio subijcibilitatis sine relatione prædicabilitatis speciei completę. Probatur secunda pars minoris illo principio firmo, nempè, quod omnis relatio tàm realis, quàm rationis prærequirit simplicitèr extrema in re, vel in cognitione sicut fuerit relatio. Sed tunc, qui cognoscit animal, hominem, & leonem, potest non cognoscere sua individua, quia hoc pendet ex voluntate logici: ergo si, non sunt individua cognita non potest esse relatio prædicationis speciei cõpletæ.

8 *Respondeo ergo ad quæstionem*; quod relatio subijcibilitatis speciei athomæ, & relatio prædicabilitatis eiusdem speciei ad individua, non sunt connexæ, neque vna est proprietas alterius, sed potius sunt omnino contingentes inter se: quia vt probatum est, potest vna dari sine altera, ad libitum logici.

9 Ad fundamentum Caietani dico abundare æquivocatione, & variatione suppositionis: Quod est istud, impossibile est aliquod participare naturam generis, & individuis carere; sed species subijcibilis participat naturam generis: ergo impossibile est individuis carere. Nunc quæro, vel loquitur de specie subijcibili fundamentali, & materialiter, & sic non est ad propositum: quia fundamentum subijcibilitatis formalis, non est ipsa relatio subijcibilitatis. Si loquitur de relatione subijcibilitatis, debet loqui de illa, *vt quo*, & vt est ratio, & forma constituens speciem formaliter subijcibilem: & sic non est posita sub genere, *vt quod*, quia tunc ponitur sub genere, *vt quod*, quando est abstracta à natura, quam denominat species subijcibilis, & sic participat rationem generis, *vt quod*, sicut relatio Paternitatis, *vt quod*, participat relationem, vt sic: At vt *quo* illa relatio subijcibilitatis, neque participat rationem generis speciei, quam denominat, neque rationem generis proprij, & prædicabilis, quia ad istam participationem Logicam, requiritur simplicitèr, quod sit abstracta à subiecto; sicut pluries declaratum est.

10 Obijcies Porphyrium in hoc capite dicentem: *specialissimum autem vnam habet habitudinem, eam, quæ est ad superiora, quorum est species: eam vero, quæ est ad posteriora, non diuersam habet habitudinem, sed eandem, & individuorum species dicitur: species quidem individuorum, velut ea continens: species vero superiorum velut ea, quæ ab illis continentur.* Vbi Porphyrius dicit, quod relatio subijcibilitatis in specie infima, & relatio ad individua est eadem. ¶ Respondeo, quod

quòd relatio subijcibilitatis, & prædicabilitatis sunt eadem relatio secundum rationem generica in qua conveniunt; sicut relatio Paternitatis, & Filiationis sunt vna relatio secundum rationem generică in qua conveniunt.

11 Dices, quòd actio, & passio sunt habitu lines oppositæ ad oppositos terminos, & tamen sunt idem realitèr in motu: ergo, quod relatio subijcibilitatis, & prædicabilitatis habeant oppositos terminos, non tollit, quod sint idem realitèr. Respondeo, quòd ratio quare subijcibilitas, & prædicabilitas, non sunt idem realitèr, nõ est oppositio terminorum; sed, quia relationes petunt terminos præsupposítos. Et possunt præsupponi extrema ad subijcibilitatem, & non cognosci ad prædicabilitatem in ordine ad individua, & è conuerso, vt dictum est. Actio autem, & passio, in motu non sunt relationes in esse, vt dicetur suo loco.

12 Objcit quidam modernus quæst. 20. de Specie § 2. n. 8. id, quod conuenit alicui in quantum tale, per se convenit, ex Arist. 1. Posteriorum; sed subijcibilitas, & vniuersalitas conueniunt speciei in quantum talis: ergo per se illi conueniunt. Probat minorem, quia relatiuo, vt relatiuum est convenit respicere suum relativum: sed species in quantum species, est correlativũ generis: ergo species in quantum species respicit gen'. Sed est per se notũ, quod species in quantum species est vniuersalis, quia vniuersale est genus ad quinq; prædicabilia, & ita omnia sunt sub vniuersali tanquã sub genere: ergo species est subijcibilitas, & prædicabilitas.

13 Respondeo, quòd nomen *species*, vt est primæ intẽtionis significat naturam denominabilem à relationibus speciei, item nomẽ *species* secundæ intentionalitèr præcisè significat prædicatũ cõmune, in quo conueniunt species subijcibilitatis, & prædicabilitatis: At species prædicabilis significat concretum aptum ad prædicari de pluribus differẽtibus numero, & species subijcibilis cum illo addito *subijcibilis* significat concretũ relatũ, & subiectũ formalitèr generi. Nunc cõcedo maiorem, & nego minorẽ, quia speciei præcisè, vt species est primæ intẽtionaliter, neque cõvenit per se respectus subijcibilitatis, neq; prædicabilitatis, sicut animali, vt animal est, nõ cõpetunt per se rationalitas, & irrationalitas: quia nullum superius includit per se rationes inferiores. Item ad probationẽ minoris nego, quod species in quantũ species, sit relatio specialis directe oppositа generi.

¶ Quãdo dicit, quod est manifestum, quòd species in quantũ species est prædicabilis. Dico, quod non est adhuc probabile, quia in quãtũ species præscindit à subijcibilitate, & prædicabilitate determinatis.

Quæ-

14 *Quæres*, vtrùm illa definitio speciei subijcibilis, quã dedit Porphyrius, nempè, *species est, quæ subijcitur generi, & de qua genus in eo, quodquid prædicatur.* Sit vna, vel duplex? Merin. cap. 3. de specie n. 17. dicit, quod est duplex. Et Scot. q. 21. vniuers. in solutione ad 3. dicit: *Hoc potest cõcedi, & dici, quod tantum ponit vnam definitionem in comparatione ad genus.*

15 Respondeo, quod formaliter est vna, & multiplex virtualiter: sicut ista *animal rationale, & risibile.* Quia duplex definitio formalis requirit, quod in vnaquaque ponatur genus, cum sua differentia. Et in ista ponitur genus, non cum vna differentia, sed cum duplici: ergo non est duplex formaliter. Quod autem sit duplex virtualiter: probo sic. Nam vnum genus cum duplici differentia æquivalet duplici definitioni: in illa definitione est vnum genus cum duplici differentia: ergo.

QVÆST. VII.

Per quam habitudinem constituatur species subijcibilis, in ratione essentiali speciei subijcibilis?

1 ISta quæstio supponit, quod sicut in vniuersali est duplex habitudo ad inferiora, vna, qua est vnũ in multis per rationẽ, altera, qua est proxime aptum, vt dicatur de multis. Et sicut in relatione generis est etiam duplex habitudo, vna, qua est vnum in multis, differentibus specie, & altera, qua est proximè aptum prædicari de multis specie differentibus. Ita in speciei subijcibilis relatione est duplex habitudo, vna, vt genus sit in natura specifica, & altera, qua fit proximè apta, vt genus dicatur in eo quod quid de ea; & quærit per quam istarum constituatur species subijcibilis, vt talis.

2 Merinero, qui existimat, aptitudinem ad prædicari esse essentiam prædicabilis, & aptitudinẽ ad essendum in multis, esse proprietatem: Cum species subijcibilis sit correlatiua generi, & prædicabili, inquit; quod aptitudo speciei, vt genus in eo quod quid prædicetur de ea, est ratio formalis, & essentialis, & aptitudo, vt genus sit in ea, est propria passio. Ideò quæst. illa, 2. capitis 3. num. 17. inquit: quod illa posterior definitio Porphyrij, nempè, *& de qua genus in eo quodquid prædicatur*: est quidditatiua, quia explicat respectum substãdi generi in prædicatione, qui est essentialis speciei subijcibili. Posterior autem est descriptiua, quia explicat respectum substandi generi in inhæsione per intellectum: qui est propria passio speciei subijcibilis.

3 Vt autem procedatur consequenter, reuocandum est ad me-

moriã, quod dictũ eſt cap. de vniuerſali, q. 4. n. 6. nẽpè, quod natura metaphyſica abſtracta, & præciſa, eſt in potentia, vt ſit vna in multis, & quòd per relationem vniuerſalitatis eſt vna actualiter in multis, vnitate rationis. Et, quod ex iſta vnitate, vel identitate rationis pullulabat tanquam propria paſſio aptitudo ad prædicari de multis. Itèm, quòd natura non erat in multis per actualem prædicationem: quia actualis prædicatio non eſt niſi affirmatio illius, quod eſt. Itèm, quod vniuerſale conſtituebatur eſſentialitèr per actualitèr eſſe vnum in multis, ſecundum Scotum ibi citatũ. Et etiam diximus, quod ſi hæc ſententia non erat placita: poterat dici: quod eſſe in multis erat prærequiſitum, & aptitudo ad prædicari de multis erat ratio formalis, & proxima, & vltima conſtituens vniuerſale.

4 Ita in ſpecie ſubijcibili dicendum eſt, quòd relatio, & habitudo ſubijcibilitatis, qua fit vna cum vniuerſali mutuè vnitate rationis, eſt ratio formalis, & quidditativa, ſeu eſſentialis, quæ cõſtituitur ſpecies in ratione ſubijcibilis: & quod aptitudo paſſiva, vt de illa prædicetur genus in eo, quod quid eſt proprietas, loquendo correſpondenter ad vniuerſale. Hæc doctrina fundatur in hoc, quod habitudo ſubijcibilitatis eſt prior, & qua fit vna paſſiue cum vniuerſali: Sicut vniuerſale eſt vnum in multis illa vnitate rationis. Et ſi hæc doctrina nõ placuerit, poſſunt dicere, quod relatio ſubijcibilitatis eſt prærequiſita, & quod aptitudo paſſiua, vt genus in eo, quòd quid prædicetur de ea, eſt ratio formalis vltimo conſtitutiva: quia ſicut vniuerſale in prædicando conſtituitur vltimo per aptitudinem ad prædicari: ſic ſpecies correlativa debet vltimo conſtitui per aptitudinem paſſivam, vt genus poſſit de ea prædicari.

QVÆST. VIII.

Quid ſit ſpecies prædicabilis, & vtrùm definitio ſit bona?

1 IAm dictum eſt, quod ſpecies prima impoſitione ſignificat pulchritudinem: Et quia natura compoſita ex genere, & differentia, vt *homo*, eſt perfectio, vel pulchritudo animalis, & Petri, ideò nomen *ſpecies* extenſum eſt ad ſignificandum, hanc pulchritudinem. Sed vlterius à Logicis extenſum eſt ad ſignificandum relationes rationis, quibus hæc pulchritudo denominatur. Vna relatio rationis eſt ad genus, quæ dicitur ſubijcibilitas, de qua actum eſt. Altera eſt prædicabilitas connotans naturam ſpecificam. De qua modo agemus.

¶ Suppono, quòd natura ſpecifica abſtracta, vel præciſè concepta

cepta, hoc statu non est vniuersalis actu, neque species formaliter Logica, quia vniuersale actu Logicum, est vnum aptum, &c.

2 Postea intellectus fingit relationem quandam rationis fundatam in ipsa natura metaphysica, & terminatam ad sua indiuidua: qua relatione est vna, & idem cum illis vnitate, & identitate rationis: in ista relatione rationis sunt tres habitudines, vel tres respectus in natura specifica ad sua indiuidua. Vnus est habitudo, qua fit vna ad illa, alius quo est apta prędicari de illis, & tertius, quo est aptae esse in illis per prędicationē.

3 Et secundum doctrinam datam de vniuersali q. 4. vbi diximus cum Arist. & Scoto, *quod est vnum in multis*, potest dici, quod ratio essentialis speciei prædicabilis consistit in relatione rationis secundum habitudinem, qua species est vna vnitate rationis cum suis indiuiduis, vel ad sua indiuidua: & iuxta hanc sententiam sic potest definiri: *Species in quātum vniuersalis, & prædicabilis est vna in multis numero distinctis.* Vbi relatio vnitatis cōnotans naturā pro subiecto, est genus, quia est cōmunis generi, & speciei prædicabili, & per habitudinem ad indiuidua differt ab vnitate generica. Natura specifica ponitur pro fundamento, & indiuidua pro termino, tanquam additamenta propria, quia teste subtili Doctore in 4. dist. 1. q. 2. §. *De tertio*, relatiua non possunt perfectè definiri nisi positis fundamēto, & termino. Et sic ista relatio habet habitudinem ad suum fundamentum, & ad suum terminum.

4 Etsi obijcias, quod hæc definitio etiā conuenit generi: quia est vnum in multis indiuiduis, & potest prædicari de illis: ergo est necesse ponere in diffinitione *immediate*, vt differat distinctè à definitione generis. Respondeo, quod licet ponendo in illa definitione *immediatè*, clarè, & adæquatè conficitur definitio, tamen videtur superfluè poni, quia eo, ipso, quod in definitione ponitur terminus *species* significat relationē supra naturam pulchram. Et ly *vna* refertur ad speciem pulchrā tanquam pro fundamento, cuius terminus correlatiuus proprius, sunt differentia numero, in quibus differt à relatione generis: tamen si clarius explicatur, ponendo in definitione *immediatè*, ponatur, & dicatur, *quod est vna immediatè in multis.*

5 Præterea, si hæc opinio non placet, quia agitur hic de specie, non vtcumque, sed vt prædicabili. Potest dici, quod relatio vnitatis, licet sit prius, quam aptitudo ad prædicari de pluribus differentibus numero, se habet tātum, vt conditio, & quod aptitudo ad prædicari de pluribus differentibus numero, est vltima, & formalis ratio constituens speciem in ratione prædicabilis. Et ratio est,

est, quia quidquid constituit formaliter aliquod in ratione prædicabilis, est prædicabilitas, seu aptitudo ad prædicari, & non alia formalitas: ergo quod constituit formaliter speciem prædicabilẽ, est habitudo ad prædicari de suis indiuiduis.

6 Speciem prædicabilem definiuit Porphyrius hoc cap. sic: *Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.* De hac definitione quęritur V. sit bona, & videtur quod non: quia nullũ vniuersale consistit in actuali prædicatione: sed hęc definitio datur per actualem prædicationem: ergo. Respondetur, quod verba in definitione non significant actum, sed aptitudinem. Et sic ly *Prædicatur*, idem est quam aptum ad prædicari.

7 Secundò obijcitur, quia hæc definitio conuenit generi: ergo nõ explicat perfectè, & determinatè essentiã speciei prædicabilis. Probatur antecedens, quia etiam genus prædicatur de pluribꝰ differẽtibus num. in eo quod quid, vt Petrus est animal, Paulus est animal: ergo vt distinguat speciem à genere, necesse est addere definitioni *immediatè*, ita vt dicat: *Species est quæ prædicatur immediatè de pluribus differentibus numero in eo quod quid.*

8 Respondeo, quod eo ipso, quod diffinitum est species prædicabilis, & definitio sit ratio exprimens distinctè, quod nomẽ dicit confusè iuxta Arist. 4. Metap. tex. 28. & secundum Scotum 4 d. 1. q. 2. §. *De tertio* eo ipso, quod dicitur species prædicabilis, significat aptitudinẽ prædicabilitatis connotantẽ naturam specificam, tanquam fundamentum. Et quod ly *Quæ* positum in definitione fit relatiuum, quod refertur ad naturam specificam, hinc fit, quod in definitione exprimuntur, natura specifica tanquam fundamentum, & indiuidua, tanquam terminus, ex quibus significatur, & declaratur natura prædicabilitatis specificę satis distincta à generica, quę habet pro fundamento genus vt *quod*, & pro termino species.

9 Quod si hæ differentiæ non *exprimunt satis* essentiã istius prædicabilitatis specificę, addatur aduerbium *immediatè*, & dicatur: *Species prædicabilis est, quæ immediatè prædicatur de pluribus differẽtibus numero in eo quod quid.* Et per ly *immediatè* differt à genere, quod mediatè prædicatur de differentibus numero: & nõ vt genus.

10 Obijcies, prædicabilia non differunt essentialiter ex eo, quod ea, de quibus prædicantur immediatè, sint numero, vel specie diuersa; sed ex diuersis modis prædicandi de suis inferioribus: ergo illa differentia *immediatè* non est bona. Respondeo, quod specifica natura immediatè abstrahitur ab indiuiduis, & ita indiuidua sunt termini immediati, & eo ipso, quod

quod est immediatum abstractum ab indiuiduis, est quidditas completa, & per relationem prædicabilitatis natura completa fit immediatè prædicabilis de indiuiduis. Vnde prædicabilitas immediata de indiuiduis videtur esse vltimam rationem complentiam speciei prædicabilis.

QVÆST. IX.

Vtrùm natura Angelica sit species prædicabilis?

1 HÆc quæstio in sententia Scoti nullam habet difficultatem, quia sentit naturam Angelicam metaphysicè esse communem negatiuè, & quod physicè de facto habet plura indiuidua, à quibus potest abstrahi: sed tunc abstracta potest recipere relationem prædicabilitatis de suis indiuiduis: ergo potest esse species Logica.

2 In sententia autem S. Thomæ tenentis repugnare esse plura indiuidua, est difficultas, quia cũ species sit vniuersale, & de ratione vniuersalis sit, quod respiciat plura, si estque impossibile ab intrinseco, quod sint plura indiuidua Angelica, videtur repugnare naturam Angelicam esse posse speciem.

3 Didacus à Iesu disp.7.q.5. §.*Tertius dicendi modus* dicit: Caietanum hoc cap. diuisse naturam Angelicã esse vniuersalẽ, vniuersalitate, non quidẽ secundũ rem, & rationẽ simul; sed secundũ rationẽ tãtũ. Pro cuius intelligentia (inquit Didacus à Iesu) notandũ est ex eodẽ Caiet. duplex esse vniuersale, aliud secundũ rem, & rationẽ simul, aliud vero secundũ rationẽ tantum: vniuersale secundũ rem, & rationẽ simul, est illud, quod à parte rei actualiter saltẽ, vel posibiliter habet plura singularia, & per intellectũ ad illa refertur, tam quã vnũ in illis: vt *homo* respectu Petri, & Pauli, & natura solis. Vniuersale secundũ rationẽ tãtum, est illud, quod à parte rei, nec habet, neque habere potest plura singularia: potest tamen intellectus fingere plura singularia illius naturæ, & naturã illam realẽ ad hæc singularia referre, vt sic autẽ illa natura vniuersalis erit, non quidẽ secũdũ rem: ergo secũdũ rationẽ.

4 Occasiõné dedit Caietanus, vt Didacus à Iesu hæc diceret, quia cap. de Specie 4.p.cap. in fine §. *Ad hoc dubiũ*, sic inquit: denominari namque speciẽ non conuenit rei secundum se sumptæ, neque secundum esse, quod habet in singularibus; sed secũndum esse, quod habet in intellectu: ita quod proximum fundamentum talis denominationis nõ est res absolutè, neque vt est in singularibus, sed res sic obiecta intellectui nostro. Et quia hoc conuenit omni naturæ, siue cœlesti, siue Angelicæ: ideo nihil prohibet, eas species denominari, & prædicabiles esse

eſſe de pluribus, & vniuerſales, quemadmodũ nihil prohibet eas intellectui noſtro offerri. Non ergo exigitur ad ſpeciẽ, quod actu, vel aptitudine phyſica natura illa ſit in pluribus, ideſt, quod poſsint eſſe plura indiuidua illius ſpeciei in rerum natura ſimul, vel ſucceſsiuè; ſed ſufficit, vt in intellectu eſt, plura reſpiciat, de quibus vt ſic prædicabilis intelligatur inquid, aptitudine Logica. Hęc Caietanus.

5 Nota illa verba: *Sed ſufficit vt in intellectu eſt, plura reſpiciat, de quibus, vt ſic prædicabilis intelligatur inquid aptitudine Logica.* Ex quibus, & ex ratione vniuerſalis, & ſpeciei prędicabilis videtur concludi, quod natura Angelica ſit ſpecies, non ſecundum rem, & rationem; ſed ſecundum rationem. Nam natura prout eſt in intellectu, & actu reſpiciens plura, de quibus vt ſit prædicabilis intelligatur, inquid aptitudine Logica; ſi eſt abſtracta ab indiuiduo, eſt ſpecies. Iſto modo eſt natura Angelica ſecundum Caietanum: ergo eſt ſpecies: non ſecundum rem, quia in re plura indiuidua repugnant ſecundum eum: ergo eſt ſpecies ſecundum rationem.

6 Sed ſi Caietanus non ſe explicaſſet, hoc videtur dixiſſe: tamen immediatè ſe explicauit, dicens: *Quæ nihil aliud eſt, quam indifferentia naturæ ineſſe cognito ad vnum, & plura: & eſt aptitudo hæc negatiuè exponenda: ita quod ſenſus eſt, ſpecies eſt prædicabilis de pluribus, ideſt, ſpecies, vt ſic non magis de vno, quam de pluribus habet, vt dici poſsit, vt de ſubiecto inferiori. Quia æqualiter abſtrahit ab vno, & infinitis ineſſe obiectiuo reſpectu intellectus noſtri, cui res ſic obijciuntur, vt diximus.*

7 Et ſecundum iſtam expoſitionem has habet propoſitiones Caietanus, ſpecies Angelica inadæquatè concepta, ideſt, natura Angelica concepta vt natura, non magis de vno, quàm de pluribus habet, vt dici poſsit. Et eſt vera, quia natura de ſe, neque eſt vnum numericè, nec plura pluralitate illi vnitati numericæ oppoſita: vt tenet Scotus 2. diſt. 3. q. 2. §. *Ad quæſtionem* verſ. *Qualiter*. Secunda, natura Angelica ſic abſtracta ab intellectu, denominabilis eſt ſpecies, non à relatione poſitiua ad inferiora, ſed nomine tantum: quia dici poteſt ſpecies metaphyſica, & ſpecies ſignificans pulchritudinem. Tertia, natura Angelica abſtracta dici poteſt vniuerſalis, & prædicabilis negativè, quia ſic præcisè abſtracta nulla inferiora reſpicit poſitiuè, de quibus prędicari poſsit. Quæ propoſitio etiã eſt vera, quia ſic præciſa non habet relationem rationis, qua reſpiciat inferiora: ſed in hac litera, vt ex ipſa apparet, non dixit Caietanus naturam Angelicam eſſe ſpeciem, prædicabilem, vel vniuer-

uersalè positiuè potius dixit; has propositiones explicandas esse negatiuè.

8 Sed siquis dixerit, naturam Angelicam esse speciem Logicam positiuè, non secundum rem, & rationem: sed secundum rationem tantum: vt dixerunt Louanienses, & Canterus, & plures Iuniores, impugnandus est sic. Omnis species prædicari debet vere de suis indiuiduis. Hæc patet, quia natura specifica est quidditas indiuiduis: sed natura Angelica, non prædicatur vere de indiuiduo rationis: ergo. Item secundo: quia omnis natura specifica est vniuoca, & ratio formalis indiuiduis; sed natura Angelica neque est vniuoca, neque ratio formalis indiuidui rationis, & indiuiduo proprio: ergo non est species positiua. 3. Quia natura specifica, quæ sit species positiue per relationem rationis, debet esse quidditas cõpleta indiuidui; sed natura Gabrielis non est quidditas completa indiuidui repugnantis in re, & ficti per intellectum: ergo non potest esse species positiua.

9 Dices, hæc argumenta concludere de specie secundum rem, & rationem, & de specie secundũ rationem tantum, vt sunt species generica secundæ intentionis respectu huius, & illius generis secundæ intentionis: & species prædicabilis secundæ intentionis respectu huius, & illius speciei secundæ intentionis; sed non concludere de specie mixta respectu indiuiduũ proprij, & repugnantis ficti, quia hæc nullam illarum conditionum habere debet. ¶ Sed contra, & quæro, quare istę conditiones speciei mixtæ cõpetere non possunt? Certè nulla alia est ratio, nisi quia est chimerica; sed species chimerica non est propriè species, & chimeræ relegandæ sunt ab omni doctrina, & intellectu: ergo, & ista.

CAP. III.

De Indiuiduo.

POstquam Porphyrius egit de specie subijcibili, & de specie prædicabili; illico egit de indiuiduo correlatiuo speciei prædicabili, quia relativum non potest perfecte cognosci, nisi aliud correlativum cognoscatur. Ideo merito post speciem sermonem de indiuiduo composuit.

QVÆST. I.

An, & quomodo indiuiduum definiri possit?

1 AD intelligentiã istius termini *indiuiduũ* nota, quod in præsenti, idem significat indiuiduum, quod *singulare*: nam licet singulare significet positivum per se, & indiuiduum videatur significare

care

ficare per ſe negationem, tamen quando præpoſitio *in* præponitur termino poſitiuo, aliquando ſignificat per ſe negatiuum, aliquando poſitiuum, vt patet in iſto termino *iniuſtitia*.

2 Præterea aduertendum eſt, quod indiuiduum eſt concretum dicens vnum de formali, & alterũ de materiali. Præterea aduertendum, quod dupliciter accipitur, vno modo prime intentionaliter, alio modo ſecunde intentionaliter. Primo tractabo de indiuiduo prime intentionaliter, & poſtea de indiuiduo ſecunde intentionaliter ſumpto.

3 Loquendo ergo de indiuiduo primæ intentionis, omnes dicunt, dicere de materiali, & cõnotato naturam ſpecificam, quæ denominatur indiuidua, & de formali illam entitatem, à qua illa natura indiuidua denominatur.

4 Circa primum. An indiuiduum, prime intentionaliter ſumptum poſsit definiri? Scotus hoc cogit. q. vnica ait, quod non, quia definibile debet eſſe aliquid commune abſtractũ, ſed ab indiuiduis primę intentionis, vt indiuidua ſunt, non poteſt abſtrahi aliqua ratio cõmunis: ergo. Minorem probat, quia ſi ab indiuiduis, vt indiuidua ſunt, abſtraheretur ratio indiuidui communis, ſequeretur, differentias indiuiduales non eſſe primo diuerſas, quia primo diuerſa in nullo conueniunt; item ſequeretur, differentias indiuiduales, non differre ſe ipſis, ſed alijs differentijs, & ſic infinitum.

5 Quantum ad ſecundum quæſitum, Didacus à Ieſu diſp. 7. quæſt. vltima §. *His poſitis*, dicit, quod ab indiuiduis determinatis, v.g. à Petro, & Paulo, poteſt abſtrahi ratio indiuidui, & tunc habet duas concluſiones: Prima eſt, indiuiduum abſtractum ab indiuiduis determinatis, poteſt quidditatiue definiri. Secunda eſt, indiuiduum determinatum, v.g. Petrus poteſt etiam quidditatiue definiri.

6 Primam concluſionem probat, quia indiuiduum, vt ſic, eſt quid commune in quid ad omnia indiuidua, habet etiam ſua prædicata quidditativa, & incorruptibilia, licet indiuidua omnino determinata, vt Petrus, & Paulus corruptibilia ſint: ſed quod eſt commune in quid, poteſt quidditatiue definiri: ergo indiuiduum vt ſic primę intentionis poteſt definiri quidditatiue.

7 Secundam concluſionem probat, quia ſicut ſpecies componitur intrinſecè, ex genere, & differentia, ita Petrus componitur intrinſece, ex natura ſpecifica, & Petreitate: ergo ſicut ſpecies definitur eſſentialiter per genus, & differentiam; ita Petrus definitur eſſentialiter, quid Petrus ſit, per naturam ſpecificã, & Petreitatẽ.

8 Ad reſolutionem aduertendum eſt cum Scoto 4. diſt. 1. q. 2. §. *Hic primo*, quod definibile aliud

liud est propriè, & quidditatiuè definibile; aliud est impropriè, & descriptiue definibile: & consequenter definitionem, aliam esse propriam, vel quidditatiuam, aliam esse impropriam, & descriptiuam: quidditatiua *est oratio verum quid esse significans*, descriptiua, quæ aliquod proprium exprimit distinctè, vel quæ explicat distinctè, quod nomen importat confuse. Verba Scoti sunt: *Cuiuscumque siue entis, siue non entis, quod potest concipi, & significari, potest esse aliqua ratio nominis, quæ scilicet explicet explicitè, & distinctè illud, quod nomen importat implicite, & confuse; & quælibet ratio talis potest dici definitio, extendendo nomen definitionis: sed definitio proprie dicta, non est nisi oratio verum esse significans, secundum Philosoph. 1, Topic. cap. 4.*

9 Nunc dico primo, quod tàm indiuiduum abstractum à Petro, & Paulo, quàm indiuiduum omnino determinatum, vt Petrus, possunt definiri impropriè, & descriptiue. Probo, quia secundum subtilẽ Doctorẽ illud potest definiri descriptiue, quod potest exprimi per orationem significantem distincte, quod nomen significat confuse. Sed de indiuiduo, vt sic abstracto, & de indiuiduo omnino determinato possunt formari orationes significantes distincte, quod nomen indiuiduum vt sic, & nomen Petrus significant: ergo possunt definiri descriptiue.

10 Dico secundo, contra Didacum à Iesu, quod indiuiduum primæ intentionis abstractum à Petro, & Paulo non potest definiri quidditatiue. Quia solum potest definiri quidditatiue, quod est quidditas, vel essentia; sed indiuiduũ abstractũ à Petro, & Paulo nõ est quidditas, neq; essẽtia: ergo. Probo minorẽ primo ex Scoto in primo dist. 2. in fine dicente: *Potest dici, quod ab indiuiduis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit, quidditatem indiuiduorum; sed etiam aliquid quasi proprium.* Secundo ratione, quia nulla est quidditas, vel essentia, nisi sit natura in recta linea prædicamentali composita ex genere, & differentia. Sed ratio indiuidui abstracta à rationibus indiuidualibus non est natura in recta linea prædicamentali composita ex genere, & differentia: ergo ratio indiuidui abstracta non est quidditas. Probatur minor, quia in recta linea non sunt nisi species & genera. Item, quia ab vltimis differentijs non potest abstrahi aliqua ratio in quid, quia iam non essent vltimæ differentiæ, si quid conuenirent in aliquo in quid; & essent compositæ ex genere, & differentia.

11 Dico tertiò, quod indiuiduum omnino determinatum, vt Petrus, non potest quidditatiuè definiri. Quia solum po-

est definiri quidditativè, quod est quidditas, vel essentia: sed Petrus non est quidditas, neque essentia: ergo. Minorē probo, quia quidditas est perpetua, invariabilis, & incorruptibilis; sed Petrus, neque est perpetuus, neque invariabilis, neque incorruptibilis: ergo non est quidditas. Secundò, quia secundum omnes essentia est sola illa, quæ componitur ex natura generica, & differentia in quale quid: Sed Petrus, vt Petrus non est compositus, nisi ex natura specifica, & differentia materiali: ergo. Tertiò, quia omnes dicunt speciem esse naturam, vel essentiam athomam, vel infimam: ergo Petrus non est essentia.

12 Ad fundamentum Soti, in quantum milita contra primam conclusionem, respondeo, solum probare, quod indiuiduum vt sic abstractū nō potest definiri quidditatiue; nō quidem probat: quod non possit definiri descriptiue.

13 Ad primum Didaci à Iesu, nego, quod ratio indiuidui abstracta ab hoc, & illo indiuiduo sit cōmunis in quid, quia vt probatū est, nec est specifica natura huius indiuidui, neque generica. ¶ Ad secundum etiam nego, quod indiuidua omnino determinata, vt Petrus possint quidditatiue definiri. Ad probationem dico paritatem esse in hoc, quod natura generica est determinabilis, & differēgia proprijssima, est determinatiua: & natura specifica est determinabilis, & Petreitas determinatiua; disparitatē verò esse in hoc, quod differentia proprijssima est formalis, & ideo constituit essentiam: at differentia indiuidualis est materialis; ideo non constituit quidditatem.

QVÆST. II.

In qua aliqua dubia de indiuiduo determinantur?

1 QVæres primò, Vtrùm ratio indiuidui primæ intentionis abstracta ab hoc, & illo indiuiduo, sit proprietas? Et videtur, quod non: quia proprietas cōmunis habet originem à natura communi; sed non est natura communis, cuius ratio indiuiduandi sit proprietas: ergo ratio indiuiduandi, vel indiuiduum formaliter non est proprietas. Maior patet inductione, quia ideo risibilitas est proprietas cōmunis, quia originatur à natura communi hominis, & sic de reliquis.

2 Respondeo, quod etiā sunt aliquæ proprietates communes, quæ originantur à singularibus, & singularitatibus, & sic conueniunt singularibus per se, non naturis communibus, quia ab ipsis non originantur per se. Probo, quia subsistentia Petri habet potestatem constituendi hanc personam, & reddendi illam incommunicabilem alteri suppositissimi-

similitèr subsistentia Pauli: ergo ab hac, & illa subsistentia potest abstrahi potestas constituēdi personam. Hæc est proprietas communis: ergo à singularibus personis, potest abstrahi proprietas communis. Similitèr ab hoc indiuiduo, & ab illo potest abstrahi potestas faciendi indiuisum. Sed hæc ratio faciendi indivisum, non est natura, neque essentia, neque differentia proprijssima; & convenit omni indiuiduo, & soli, & semper: ergo est proprietas communis indiuiduorum. Hoc est quod dixit Scotus in 1. distinctione 23. in fine; *potest dici; quod ab individuis, non solum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem individuorum, sed etiam aliquod quasi proprium.*

3 Ad argumentum nego maiorem: ad probationem nego illā causalem, nempè, quia proprietas est communis, ideò originatur à natura communi; quia vt visum est, datur proprietas communis, quæ originatur per se à singularibus.

4 Quæres secundò: vtrùm ratio individui primæ intentionis abstracta ab hoc, & illo individuo possit denominari vniuersalis? Et videtur, quod non, quia secundum Porphyrium indiuiduum est, quod de vno tantū prædicatur: sed quod potest esse vniuersale potest de pluribus prædicari: ergo individuum non potest denominari vniuersale. Secundò, quia iam essent plusquam quinque vniuersalia: quia non esset genus, neque species, neque differentia, neque proprium, neque accidens.

5 Respondeo, quod indiuiduum vt sic, potest denominari vniuersale: quia quod est commune pluribus, potest denominari vniuersale: sed indiuiduum vt sic est commune Petro, & Paulo: ergo. Probatur minor, quia de se neque dicit Petrum, neque Paulum: ergo de se est commune Petro, & Paulo. Probatur secundò: quia, quod prædicatur vere de pluribus, potest esse, & denominari vniuersale: Sed indiuiduum vt sic prædicatur vere de Petro, & Paulo: ergo. Probatur minor, quia istæ prædicationes, Petrus est indiuiduum, Paulus est individuum sunt veræ: ergo prædicatur vere de hoc, & illo individuo.

6 Ad primum respōdeo, quod Porphyrius definivit, non indiuiduum vt sic primæ intentionis; sed individuum omnino singulare, & secundæ intentionis, vt postea videbitur. Ad secundum respondeo, quod reduceretur ad vnum ex quinque prædicabilibus.

7 Quæres, ad quod prædicabile reducatur indiuiduū? aliqui dicūt quod ad speciem; quia in ista prædicatione *hoc indiuiduū, est indiuiduū*, ratio indiuidui prędicatur in quid de hoc singulari omnino singulare: ergo assimilatur huic

hic

hic homo eſt homo: ergo reducitur ad illam.

8 Sed qui tenuerint, quod vltimæ differentiæ indiuiduales in nullo in quid conueniunt, poſſunt dicere, quod reducitur ad proprium, & eis multum fauet auctoritas Scoti num. 2. in fine poſſita. Et ratio, quia ſi includunt illæ rationes indiuiduales aliquid commune in quid: ergo in illa cõueniunt, & differunt per aliquid, & quærendo de illo aliquo per quod differunt, vtrum, includat aliquid in quid, dabitur proceſſus in infinitum: & ne hoc ſequatur eſt dicendum, quod conueniunt in proprietate communi, ſicut dicitur de differentijs, quod conueniunt in munere faciendi differre.

QVÆST. III.

Vtrùm definitio indiuidui primæ intentionis ſit bona?

1 POrphyrius in hoc capit. definiuit indiuiduũ primæ intentionis ſic. *Indiuiduum eſt cuius collectio proprietatum in alio eſſe non poteſt.* Collectio proprietatum indiuidui his carminibus continetur: *forma, figura, locus, tempus, cum nomine, ſanguis, Patria ſunt ſeptem, quæ non habet vnus, & alter.* Quorum intelligẽtia eſt iſta *Forma* ſignificat temperiem qualitatum, quæ vocatur complexio. *Figura*, quantitatem, & diſpoſitionem membrorum; *locus, & tempus*, locum, & inſtans natiuitatis. *Nomen*, appellationẽ vniuſcuiuſque. *Sanguis*, proſapiã, & cognationem. *Patria*, prouintiam, & regnum, in quo natus eſt.

2 In primis ſupponendum eſt hanc definitionem non eſſe quidditativam. Primò, quia indiuiduum, vt indiuiduũ, non eſt quidditas, neque eſſentia ſpecifica in recta linea. Secundò, quia ratio exiſtendi indiuiſibiliter eſt in qua conſiſtit formalitas indiuidui, vt indiuiduum eſt, & hæc numero explicatur per illam definitionẽ: ergo. Quare ſolum eſt quæſtio de bonitate definitionis deſcriptiuæ.

3 Multi dicunt, quòd eſt bona deſcriptio, quia collectio illarum proprietatum eſt vna proprietas integralis indiuidui: ſed iſta proprietas integralis explicatur per illam definitionem: ergo eſt bona deſcriptiuè.

4 Sed contra, quia bona definitio indiuidui, debet conuenire omni indiuiduo: ſed iſta non conuenit omni indiuiduo: ergo. Minorem probo, quia hic calor eſt indiuiduum. Et hoc frigus eſt indiuiduum: & illis non conuenit illa definitio: quia non habent figuram, neque formam: ergo.

5 Reſpondeo, quod Porphyrius definiuit indiuiduum de prædicamento ſubſtantiæ: & reſpectu illius, eſt bona deſcriptiuè: quia ſufficienter exponit id, per quod

quod vnum indiuiduum substantiæ materialis differt ab alio, & hanc conclusionem probat prima ratio.

6 Dico secundò, quod respectu indiuidui, vt sic abstracti ab indiuiduis omnium prædicamentorum, non est bona descriptive; quia non explicat rationem.

QVÆST. IIII.

De individuo secundæ intentionis.

1 INdiuiduum secundè intentionaliter sumptum dicit de formali, secundam intentionem, hoc est relationem rationis, & de connotato id, quod denominatur indiuiduum. In præsenti non loquimur de indiuiduo, vt sic abstracto ab hoc, & illo indiuiduo, de quo actum est quæstione tertia, & dictum: quod erat capax relationis vniuersalitatis, vt posset prædicari de multis, dicendo, hoc indiuiduum est indiuiduum, sed loquimur de individuo, quod subest immediatè speciei.

2 Hoc indiuiduum secundè intentionaliter acceptum habet duplicem rationem formalem, vna est subijcibilitatis ad speciem, secundum quam dicitur individuũ subijcibile: altera est ad prædicari, de alio, secundum quam dicitur indiuiduum prædicabile: hac distinctione suppositа.

3 Primo quæro, quid sit indiuiduum, *quod* subijcibile secundè intentionaliter sumptum? Respondeo, *est, quod immediatè subijcitur speciei, & de quo species immediatè in eo, quod quid prædicatur.* Hæc definitio est bona eo modo, quo secundæ intentiones possunt benè definiri. Relatio subijcibilitatis inconcreto, est genus, nam est communis in quid respectu relationis, qua species subijcitur generi, & respectu relationis, qua indiuiduum speciei subijcitur. Et per habitudinem ad speciem tanquam ad terminum, differt à relatione subijcibilitatis speciei, quę terminatur ad genus. Ponuntur in ea indiuiduum, & species, quæ sunt fundamentum, & terminus, quia relatiua non possunt perfectè explicari, nisi ponantur fundamentum, & terminus tanquam additamenta.

4 Secundò quæro: vtrùm definitio, quam dedit Porphyrius de indiuiduo, vt prædicabili, nempè, *indiuiduum est prædicabile de vno tantum*; sit bona? Et videtur, quod non sit bona. Primò, quia est contra Arist. dicentem: primam substantiam esse illam, *quæ neque in subiecto aliquo est, neque de subiecto aliquo dicitur.* Sed prima substãtia est indiuiduum: ergo contra Aristot. 2. quia individuum vagum de multis prædicatur, vt patet in istis, *Petrus est quidam homo. Paulus est quidam homo.* Tertiò, quia indi-

diuiduum, vt ſic prædicatur verè de multis, vt patet in iſtis, hoc indiuiduum eſt indiuiduum, & hoc indiuiduum eſt indiuiduum: ergo non conuenit omni individuo.

5 Reſpondeo cum Doctiſſimo noſtro Merinero cap. 3. de Specie, diſp. 2. quæſt. 2. n. 6. quod iſta definitio de indiuiduo omnino determinato, & prædicabili, non ſolum eſt bona; ſed etiam quidditatiua, eo modo, quo ſecundæ intentiones poſſunt habere quidditatem. Quia aptitudo ad prædicari eſt genus in quid reſpectu aptitudinis ad prædicari de multis, & de vno: & per habitudinem ad vnum differt ab illis predicabilib⁹, quorum aptitudines ſunt ad prædicari de multis: ergo conſtat genere, & differentia intrinſecè, & eſſentialiter componẽtibus illam relationem prædicabilitatis.

6 Ad primum reſpondeo cum noſtro Merinero, quod Ariſt. ſolum intendebat negare á primis ſubſtantijs prędicationem formalem, qualis eſt ſuperioris de inferiori. Sed non negauit prædicationem identicam primis ſubſtantijs. De qua prædicatione intelligenda eſt definitio indiuidui, cum dicitur eſſe prædicabile de vno.

¶ Ad ſecundum reſpondeo, cum eodem Merinero, vt notaui in principio quæſtionis. Quod Porphyrius, non intendebat definire omne indiuiduum; ſed ſolum indiuiduum determinatum, & ex demonſtratione. Et per idem reſpondetur ad tertium. Et addit Merinero, quod prædicari de vno competit per ſe indiuiduo, prædicari vero de multis competit illi per accidens.

CAP. IV.

De differentia primæ intentionis.

QVÆST. I.

Quid ſit differentia, & quotuplex?

1 POrphyrius in hoc cap. has quinque definitiones dedit de differentia. Prima, *differentia eſt, qua ſpecies excedit genus.* Secunda, *differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid.* Tertia, *differentia eſt, quæ ſuapte natura ſeparat ea, quæ ſub eodẽ genere collocantur.* Quarta, *differentia eſt, qua differunt ſingula.* Quinta, *differentia eſt pars intrinſeca conſtitutiua ſpeciei, & illa ſeparans ab his, quæ ſub eodem genere collocantur.*

2 Ad determinandum ſubiectum quæſtionis oportet primo ſcire, quod differentia dupliciter ſumitur, vno modo primè intentionaliter, alio modo ſecundè intẽ-

ēntionalitèr, in hoc capite agimus de differentia primè intentionalitèr sumpta; & in sequenti agemus de differentia accepta secundò intentionalitèr, prout est apta proximè ad prædicari de suis inferioribus. Quæstio ista procedit de differentia primè intentionalitèr sumpta in omni sua latitudine. Et quærit, quid sit.

3 Et respondeo, *quòd est illa, qua differunt singula*. Quæ definitio est quarta tradita à Porphyrio. Quasi dicat, est realitas, qua differunt singula. Hæc definitio est bona descriptivè, quia realitas differentiæ, & realitas illius, quod per illam differt conveniunt in habere esse reale, & differunt; quia esse reale differentiæ ex se natum est facere differre, illud autem, quod per differentiam differt, non est natum facere differre, vt est differibile: vt patet in animali, & rationalitate, nam rationalitas nata est dividere animal, constituere hominem, & facere illum differre à bruto, quæ non competunt animali, nisi quasi passivè.

4 Quantum ad secundum respondeo, quòd differentia primè intentionalitèr sumpta, est triplex, vna proprijssima, alia propria, alia communis. Sic Porphyrius in hoc capite, & cum eo omnes Logici. *Differentia proprijssima est, quæ suapte natura separat ea, quæ sub eodem genere collocantur*. Quæ est tertia definitio tradita à Porphyrio. Vt rationalitas sub genere animalis separat essentialitèr hominem à bruto. *Vel est pars intrinseca constitutiua speciei, & illam separans ab his, quæ sub eodem genere collocantur*. Quæ est quinta definitio Porphyrij.

5 Differentia autem propria est, *quæ facit alterum per aliquid inseparabile*: Vt risibilitas in homine. Et tandem differentia communis est, *quæ facit alterum per accidens commune, & separabile*: vt albedo, & nigredo.

QVÆST. II.

Vtrùm divisio differentiæ communem, propriam, & proprijssimam sit vniuoca?

1 § Ensus quæstionis est, an divisio differentiæ primæ intentionis in communem, propriam, & proprijssimam prime intentionis sit vniuoca, vel æquiuoca, vel analoga?

2 Petrus niger quæst. 52. cliplei, & alij dicunt, esse æquivoci in æquivocata: quia nil est commune significatum per nomen *differentia*: ergo significat æqualitèr plura: ergo est æquiuocum. Sed contrà, quia albedo vere facit Petrum album differre à Paulo non albo. Et risibilitas verè facit risibile differre, à non risibile, & rationalitas vere facit hominem differre ab equo: Ergo

ab eis bene potest abstrahi ratio faciendi differre verè; sed ista ratio abstracta est communis illis: ergo differentiæ nomen significat per se vnum commune multis: ergo illa diuisio non est nominis tãtum in res, sed rei in res: ergo non æquiuoci in æquiuocata. Per quod negatur antecedens.

3 Caietanus in hoc cap. Rubius hic quæst. 2. Didacus à Iesu disp. 8. quæst. 2. § *His suppositis*, Merinero cap. 4. de differentia q. 1. num. 15. dicunt esse diuisionem analogi in analogata. Fundamẽtũ Thomistarum est, quia istæ differentiæ sunt in diuersis prædicamentis, sicut naturę, à quibus differentiæ non distinguuntur realiter; sed res diuersorum prædicamentorum nil habent vniuocum: ergo ratio differentiæ primæ intentionis vt sic, non est vniuoca ad differentiam communem propriam, & proprijssimam.

4 Merinero probat, quia tunc diuisio dicitur analoga, quando ratio significata per nomen commune, non est simpliciter in membris dividentibus, sed solum secũdum quid, & per attributionem. Sed sic est in præsenti: ergo. Probat minorem, quia differentia in rigore significat differentiam, quę facit aliud, nõ differẽtiam, quę facit alterum. Sed facere aliud solum competit differentiæ proprijssimæ: ergo ratio propria differentiæ solum reperitur formaliter in proprijssima, & in aliis per similitudinem, & attributionem: & confirmat suam sententiã, quia Scotus quæst. 28. vniuersaliũ ad secundũ dixit: Ad secundũ dico: *quod differentia est qualitas secundum quod dicitur 5. metaph. text. 20. sed non vt qualitas est vnum generalissimum: sed æquiuoci, vt forma, qualitas, & actus, sunt eadem transcendentia.*

5 Respondeo, quòd illa diuisio est vniuoci in vniuocata. Sic Conimbricẽses hoc cap. quæst. 1. art. 2. Cãberus disp. 4. dub. 2. nam indiuiduum hominis, & indiuidua albedinis sunt diversorum prædicamentorum, & tamen ratio indiuidui ab eis abstracta est vniuoca: ergo similiter ratio differentię primè intentionaliter sumptæ: item risibilitas verè facit differre risibile à non risibile, & albedo vere facit differre album à non albo, & non fictitiè: ergo conveniunt in ratione vere faciendi differre. Tertiò: quia vniuoca sunt illa, quorum nomen est commune, & ratio propriè significata per nomen reperitur propriè in inferioribus. Sic est in præsenti: ergo. Probatur minor, quia nomen differentia significat, quod facit differre vere; sed risibilitas facit differre vere, & albedo facit differre vere: ergo ratio faciendi differre vere, reperitur verè, & propriè, in istis differentijs.

6 Ad primum Merineri, nego minorem, ad probationem nego, quod terminus differen-

ferentia significet in rigore, nisi virtutem faciendi differre. Quod si vna facit aliud, & alia alterum, est propter rationes, & virtutes speciales. Nam si vna facit aliud, ideò est, quia est differentia proprissima constituens quidditatis. Et si alia facit alterum eo est, quia ex natura supponit essentiam in esse completo.

7 Ad illud Scoti dico, quod in verbis eius non est terminus significans analogiam, solum est adverbium *æquivocè*: & sic potius debebat Merinerus dicere esse illam divisionem æquivocam. Respondeo, quòd Subtilis Doctor dicit, quòd qualitas accipitur dupliciter, vno modo, vt est genus generalissimum. Alio modo vt accipitur 5. Metaphys. vbi differentia proprissima dicitur qualitas, quia determinat, & est extra rationem naturæ genericæ. Et ita terminus *qualitas* acceptus ad significandum istas qualitates. Determino autem differentia non dixit, nisi *differentia prædicatur in quale: ergo est qualitas*, ad hoc argumentum respondeo, quod est qualitas, vt accipitur 5. Metaphys. sed non, vt qualitas est vnum generalissimum.

QVÆST. III.

Verum hæc divisio sit bona?

1 ET videtur, quod nō; quia bona divisio debet habere duo tantum membra opposita; sed hæc divisio incommunē, propriā, & proprijssimam est trimembris: ergo. Secundò, quia in bona divisione vnum membrum debet non includere aliud. In ista vnum membrum includit aliud: ergo. Probatur minor, quia eadem differētia est proprijssima, propria, & communis; nam ratio disgregandi visum, est differentia proprijssima, respectu albedinis, & propria respectu cigni, & communis respectu hominis: ergo vnum membrū includit aliud. 2. Probatur min. quia, quę differūt proprijssime differūt propriè, & cōmunitèr: ergo vnū membrū includit aliud. 3. Præterea ista divisio est diminuta, quia sunt aliæ differētiæ, quæ hic non numerantur. Nam duæ differentiæ differunt, & non per aliquam istarum; quia si per alias differentias differrent, illæ per alias, & sic in infinitum. Item Deus differt à creaturis, non per differentiam communem, neq; per propriam, neq; per proprijssimā: ergo est alia. Item, forma physica est differētia, quia facit differre, & nō est vna ex prædictis. Item, est differētia individualis, quæ nō est cōmunis, propria, neq; proprijssima, vt patet ex definitionib⁹ earū.

3 Item, per proprias passiones verè differt vna species ab alia

lia, & tamen non proprijssima, quia non constituit speciem, neque communis, quia non est accidens separabile: neque propria: quia differentia propria secundum Porphyrium hoc cap. suscepit magis, & minus, propria vero passio non suscipit magis, & minus, quia est substantia, vel ad minus idem realiter cum substantia: & substantia non suscipit magis, & minus.

4 Sententia communis est, prædictam divisionem esse bonam, & adæquatam: Ad cuius meliorem intelligentiam, & solutionem aliquorum argumentorum, nota quod Porphyrius divisit differentiam metaphysicam in differentias prædicabiles, quæ erant materia illius capitis. Bonitas istius divisionis apparet ex diuisione formata ab Scoto, nam ea, quæ differunt, vel differunt per differentias essentiales? vel per accidentales? Si differentia est essentialis, est proprijssima: si differunt per differentias accidentales, vel per accidens inseparabile, & est differentia propria. Vel per accidens cõmune: vel separabile: & est differentia communis. Sed præter ista membra, non est aliud, quod sit differentia prædicabilis: ergo est adæquata, & bona.

5 Ad primum respondeo cum Scoto q. 27. vniuersalium, quod illa tria membra reducuntur ad duo, ponendo prius vnum membrum commune differentiæ propriæ, & communi, sicut factum est in nostra divisione, dicendo: differentia alia essentialis, alia accidentalis. Excedunt membra, & postea sub diuidendo, accidentalis, alia propria alia communis.

6 Ad secundum respondet Scotus, quod membra sunt accipienda cum præcisione & formaliter: & sic vnum membrum non includit aliud. Quia proprijssima, vt proprijssima, non est formaliter propria, neque communis. Instantiæ adductæ solum probant, quod sint coniunctæ in aliqua re, sed non probant, quod præcisse, & reduplicatiuè, quod vna formaliter includit aliam. Nam neque propria, vt propria, præcisiuè, & formaliter, est communis.

7 Ad tertium, de differentijs, dico; quod differentiæ, vt differentiæ se ipsis differunt, habent tamen munus faciendi differre, quo differentiæ dicuntur. Sed differentia, quæ est ratio differendi aliis inter se, est, quæ diuiditur in differentias prædicabiles, quæ sunt tantum tres dictæ. Ad alias instantias dico, quod Porphyrius loquebatur de membris prædicabilibus. Et sic non mirũ, quod nõ faceret mentionem de differentia Dei à creaturis, neque de differentia physica, seu formâ physica, neque de differentia indiuiduali; & propter hoc nõ fecit mentionẽ de differentijs suppositorum, seu personarum in singulari, quia prædicabilia non sunt.

Ad

8 Ad illud de propria passione, dico, quod fecit mentionem de ea, quia illa est differentia propria, & inseparabilis. Quando arguis, quod secundum Porphyrium differentia propria suscipit magis, & minus, quod non competit propriæ passioni: dico, quod possuit exemplum in albedine cigni, & alijs: non quia sint propriæ passiones, sed quia ex natura sua propria, & inseparabilia, & nobis manifesta: & suppositis exemplis improprijs, dixit de eis verum, nempè, quod suscipiebant magis, & minus.

QVÆST. IIII.

Vtrùm differentia proprijssima contineatur in genere?

1 VIso de differentia vt sic, & de diuisione eius, nunc videndum est de membris dividentibus illam. Et primo de differentia proprijssima, quia ordine generationis est prior differentia propria, & nobilior, quia constituit speciem, à qua differentia propria dimanat. Sed quia differentia proprijssima prius respicit genus, quod contrahit, quam inferiora, via generationis, & compositionis, ideo prius agemus de illa in ordine ad naturam genericam, quam in ordine ad inferiora.

2 Circa præsentem quæstionem fuit olim magna contentio inter Platonicos, & Peripateticos, vt refert Amonius in commentario huius capitis. Platonici dicebant; differentiam proprijssimam actu, & formaliter in natura generica contineri. Fundamentum Platonicorum erat, quia si natura generica non contineret actu, & formaliter differentias proprijssimas sequeretur, quod species essent perfectiores genere, quia actu continent aliquam perfectionem, nempè differentiã, quam non continet genus. Consequens est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Probatur minor, quia omne principium est perfectius eo, quod ab ipso originatur; sed genus est principium speciei, ex Porphyr. cap. de Genere, & ex ratione: ergo. Cõfirmatur, quia à parte rei datur animal rationale, & à parte rei datur animal irrationale; sed rationale, & irrationale sunt differentiæ generis: ergo genus actualiter continet differẽtias essentiales, & ipsę actu continẽtur in genere.

3 Peripatetici autem dicebant; differentias proprijssimas non contineri in natura generica actu, & formaliter, hoc est per modum inclusionis. Hæc sententia est certa, quam tenet Scotus passim, estque communis in Scholis. Probatur ex Arist. 7. Metaph. capit. 12. dicẽte: *Genus differentiarum non videtur esse particeps.* Idem dicit Porphyrius in hoc cap. Probatur ratione: opposita essentialiter non possunt esse inclusa simul in eodem. Testibus

Arist.

Arist. 7. Metaph. t. c. 42. Sed differentiæ animalis, nempè rationale, & irrationale, sunt oppositæ essentialiter, quia causant diuersas essentias: ergo differentiæ essentiales non possunt includi simul in natura generica.

4 Præterea, quia quidquid est de essentia superioris, est de essentia inferioris: sed homo est inferior animali: ergo si de essentia animalis essent differentiæ proprijssimæ, homo esset simul rationalis, & irrationalis.

5 Dico vlterius, quod natura generis non continet per modum inclusionis vnam, aut alteram differentiam proprijssimam. Secundum, quia si de se includeret rationalitatem: ergo quando contrahitur per irrationalitatem, & constituitur asinus; sequeretur, quod asinus esset simul rationalis, & irrationalis: si autem animal includeret irrationalitatem actu, & formaliter: ergo quãdo animal cõtraheretur per irrationalitatem, esset homo constitutus, rationalis, & irrationalis. Propter hoc dicit Scotus, quod natura Metaphys. est communis negativè differentijs, quia de se neutram includit. Videatur 2. d. 3. q. 2. à §. *Ad quæstionem.*

6 Rursus dico, propter maiorem claritatem, & distinctionem, quod natura generica potest considerari in statu Metaphysico, & sic non continet inclusiuè differentias essentiales, vt probatum est. Continet autem illas continentia superioritatis, quia natura generica est superior, & differentiæ essentiales sunt inferiores, ideo valet est rationale: ergo animal, & non valet est animal: ergo rationale; sed omne superius continet potestatiue, vel vt totum potentiale sua inferiora, & inferiora sunt contenta sub potestate superioris: ergo differentiæ essentiales continẽtur potestatiuè sub natura generica, & natura generica continet illas potestatiuè. Hæc doctrina est Porphyrij, & Scoti, & ex veritate.

7 Et potest natura generica cõsiderari in statu contractionis, & existentiæ. Et in isto statu natura generica, non includit in suo conceptu obiectiuo formali, differentiam, qua cõtrahitur, quia si includeret differentiam essentialem formaliter, non esset quod est determinatum; determinans nunquam includitur indeterminato, quia determinatum est potentia, & ratio determinans est actus. Tamen in hoc statu contractionis, & existentiæ natura generica continet differentiam essentialem continẽtia identitatis, quod nil aliud est; nisi quod est idem realiter cum differentia essentiali ratione tertij existentis.

8 Ad argumenta Platonicorum facilis est solutio ex dictis. Ad primum concedo sequelã, nempè, quod species excedit genus perfectione, quod statuit Porphyrius,

tius, in illa definitione differentiæ dicens: *Differentia est quia species excedit genus.* Et Scotus in reportatis dist. 33. q. 1. dicunt, quod omnis causa est perfectior suo effectu, intelligitur de causa totali, & æquiuoca, nō de partiali, sicut est natura generica respectu speciei. Ad confirmationem, quando dicūt, quod datur animal rationale à parte rei: ergo animal continet rationalitatem. Respond. continentia identitatis, concedo consequentiam, continentia inclusionis, nego consequentiam.

QVÆST. V.

Vtrùm differentia proprijssima includat, genus, quod contrahit?

AD intelligentiā status istius quæstionis notandū est primò: quod differētia proprijssima, potest accipi in cōcreto, vt rationale, vel in abstracto, vt rationalitas. Secundò notandū est quantum ad illum terminum *includat*, quod inclusio vnius in alio, alia est materialis, vel identica, quod nil aliud est, quam esse idem realiter: alia est formalis, vt quando vnum includit aliud in visceribus suis essentialibus, vt partem, quidditatiuam sui, vt homo includit rationem animalis, & rationem rationalis. Quæstio non procedit de differentia inconcreto, quia rationale incōcreto idem est, quod homo, vt sicut est sine dubio, quod homo includit formaliter animal; ita sine dubio est, quod rationale inconcreto includit animal formaliter. Et sic. Quæstio est de differētia in abstracto, & de inclusione formali. Quare determinando subiectum, quæstio sub istis terminis continetur. V. rationalitas includat formaliter animal, quod contrahit?

2 Canterus in explicatione huius capitis dicit: *quod* sic: & hanc opinionem, vt probabilē defendit Soncinas 7. Metap. q. 37. hæc opinio probatur 1. ex Arist. 7. Metap. c. 12. vbi tria dicit: Primum, quod nihil refert, vt in definitione ponantur omnes differentiæ subalternæ, & superiores, siue quod ponatur sola differentia vltima, eo quod in differētia infima omnes differentiæ subalternæ, & superiores includuntur: ergo melius natura generica includitur in differentia infima. Secundū dictū Arist. est, quod posita in definitione differentia infima, nō licet ponere differentias subalternas, & reddit rationē; quia cum differentia vltima sit tota substātia, si posita definitione vltima, ponerētur differentiæ superiores, cōmitteretur nugatio, & innanis repetitio eiusdē rei. Tertium dictū est, quod ad inueniendum differentiā vltimā procedendū est per diuisionē differētiæ superioris in inferiores, quæ sint differentiæ per se, & non per accidens; sed omne diuisum includitur in membris diuidentibus formaliter: ergo differentiæ

supe-

superiores includ[illegible]atur formaliter in inferioribus: ergo melius includetur natura generica in differentia vltima inclusione formali, quam differentia superior, vel æqualiter, quia natura generica includit formaliter differentiâ superiorẽ, qua cõstituitur, v.g. animal includit formaliter, & viuens, & sensibile: sensibile quidẽ est differentia, qua animal constituitur.

3 Præterea probatur duabus rationibus. Prima est, quia rationalitas in abstracto, est substantia non in corporea, ergo corporea. Atque adeo corpus: non animatum: ergo animatum atque adeo viuens: non insensibile: ergo sensibile: atque adeo animal: ergo rationalitas in abstracto includit formaliter, & quidditatiuè tam genera, quam differentias superiores.

4 Secunda ratiò est, quia hæc est bona consequentia in *darapti*: omnis homo est formaliter, & quidditatiue sensibilis: omnis homo est formaliter, & quidditatiue rationalis: ergo aliquod rationale est formaliter, & quidditatiue sensibile. Sed sensibile est differentia superior; ergo differentia infima includit formaliter, & quidditatiuè superiorem: ergo includit formaliter animal, quod includit formaliter sensibile.

5 His tamen non obstantibus, vera sententia est, differentiam proprijssimam in abstracto, non includere formaliter, & quidditatiuè naturam genericam, neque differentias superiores, quæ in natura generica includuntur. Sic Scotus 1. Poster. q. 24. vbi expresse hanc disputat quæstionem & 7. Metap. q. 17. & in 4. dist. 11. q. 2. estque communis inter Scotistas, & Thomistas, videatur Masius hic sect. 2. q. 3. & Sanchez lib. 3. q. 28.

6 Probatur primò, authoritate expressa Arist. 4. topic. cap. 2. dicentis: *Omne quod participat genus, vel species, vel individuum est: differentia autem, neque individuum, neque species. Manifestum igitur, quod non participat genus differentia.* Idem docuit 3. Metaph. textu 10. Secundo probo illam ratione, nullus actus vt actus includit formaliter, & quidditatiuè potentiam; sed rationalitas, v.g. est actus, vt actus, & animal, vt contrahibile, est potentia: ergo rationalitas, vt rationalitas, non includit formaliter, & quidditatiuè naturam genericã. Minor patet, quia rationalitas actuat, & determinat, & animal actuatur, & determinatur. Tertiò, quod contrahit aliud, non habet illud inclusum formaliter in se, quia, si haberet illud inclusum formaliter, in sua formalitate, non contraheret, & determinaret illud; sed rationalitas contrahit animal: ergo. 3. Quia vel rationalitas includit formaliter, & quidditatiuè animal, vel non? Si non: habeo intentum. Si sic, ergo rationalitas,

& hinibilitas conueniunt in ratione animalis formaliter inclusi, & differunt per aliquid. De illo aliquo, per quod differunt, iterum quæro, an includat formaliter, & quidditatiuè animal, vel non? Et sic erit processus in infinitum.

7 Ad illud Aristot. respondetur, quod Arist. loquutus fuit de differentia in concreto, & sic verum dicit; sed nó loquutus fuit de differétia in abstracto, de qua est quæstio, & difficultas. In concreto autem nulla difficultas appareret. Aliter ego respondeo, quod præter inclusionem formalem, & identicam, est alia æquialentiæ, & virtualitatis: nam anima rationalis ex proprijs visceribus æquialet vegetatiuę, & sensitiuæ, quia facit, quæ facerent illæ formæ. Ideò sunt superfluæ, vbi informat anima. Sic Metaph. rationalitas æquialet pro differentijs superioribus. Et sic in differétia infima includuntur superiores, non formaliter, sed equialenter, vel virtualiter. Et differentia infima est tota substantia superiorum, per æquialentiam. Ad tertium Arist. quod diuisiones non fiunt in differentias in abstracto, sed in concreto, nam animal non diuiditur in rationalitatem, & irrationalitatem, sed in rationale, & irrationale.

8 Ad primam rationem dico, quod rationalitas est substantia identice, non per inclusionem formalem, & quidditatiuam. Et sic includit naturam genericam, & differentias superiores, non inclusione formali, sed materiali, & identica. Ad syllogismũ in oppositi dico, quod medium, & extremitates ponuntur in eo inconcreto. Si autem minor extremitas accipiatur in abstracto, de quo statu est quæstio, illa minor, *omnis homo formaliter, & quidditatiuè est rationalitas*, est falsa. Et etiam ista consequentia: ergo aliqua rationalitas includit formaliter, & quidditatiuè sensibilitatem.

Deducuntur aliqua corolaria.

9 EX doctrina istius quæstionis aliqua deducit corolaria noster Merinero. Primũ est, genus non diuiditur in differétias formaliter, & in abstracto sumptas, quia membra diuidentia debent participare, & habere in se rationem diuisi; sed differentiæ in abstracto non habent formaliter rationem generis, vt probatũ est: ergo genus non diuiditur in differentias formaliter, & in abstracto sumptas.

10 Secundum est. Differentiã formaliter, & in abstracto sumptam esse quid simplex, quia si esset composita esset ex genere, quod includeret, & alia realitate, sed non includit genus formaliter, vt probatum est: ergo in abstracto est simplex.

11 Tertium est, omnem differentiam proprijssimam reddere naturæ genericæ aliquam perfectio-

fectioné. Quia omnis actus addit potentiæ aliquam perfectionem; sed ratio differentiæ est actu respectu generis: ergo. Itē, quia species dicitur talis, vel pulchra, quia habet aliquam pulchritudinem, vel perfectionem, quam non habet genus, quod est perfectibile; sed hæc pulchritudo, vel perfectio prouenit generi à differentia: ergo. Hæc sententia est Arist. 8. Metaph. tex. 10. vbi essentias rerum comparat numeris, & numerus ternarius perfectior est, quam binarius. Essentia hominis perfectior est, quam essentia leonis, & ratio generica ex se, est æqualis in vtraque specie: ergo ista maior perfectio prouenit ex differentia. Addit ergo generi aliquam perfectionem, propter quam constituit speciem. Et secundum maiorem perfectionem differentiæ species constituta erit perfectior. Tandem ista conclusio est Porphyrij hoc cap. non diffiuiendo differentiam per ordinē ad genus inquit: *Differentia est, quæ species excedit genus.*

12 Quartum est, naturam genericam non prædicari formaliter, & quidditatiuè, de differentijs proprijssimis sumptis formaliter, & in abstracto, quia illa prædicatio est formalis, & quidditatiua, quando prædicatum est formaliter in subiecto, & de quidditate subiecti; sed genus non est formaliter, neque de quidditate differentiæ proprijssimæ, formaliter, & in abstracto sumptæ, vt probatum est: ergo genus non prædicatur de differentia proprijssima, formaliter, & in abstracto sumpta prędicatione formali quidditatiua. Vnde ista, *rationalitas est animal*; neque est formalis, neque quidditatiua.

13 Dices, quod ista *rationale est animal*, est formalis, quia est forma, & quidditatiua, quia est de essentia rationalis. Respondeo, quod rationale potest sumi, vel materialiter, hoc est pro specie denominata, ideſt, pro homine, & potest sumi formaliter, ideſt, pro rationalitate, adhuc connotante hominem: si accipiatur materialiter, ideſt, pro homine denominato, est formalis, & quidditatiua, quia animal est de forma, & de essentia hominis; sed de hoc non est quæstio. Si autem rationale accipiatur formaliter, & reduplicatiuè, vt rationale, neque est formalis, neque quidditatiua: quia neque est de forma, neque de quidditate rationalitatis, & ita ista, *rationale, vt rationale est animal*, nō est de prædicationibus per se, sed de prædicationibus per accidēs, sicut ista risibile est animal sumpto risibili formaliter, & ratio est, quia sunt subiecta adlatus prædicamenti: ideo non sunt in aliquo modo dicendi per se: ergo per accidens.

QVÆ

QVÆST. VI.

Vnde sumatur ratio generis, & ratio differentiæ?

1 POterat quis dicere, quod ratio generis sumitur à materia, & ratio differentiæ à forma. Ad quod sunt ista fundamẽta. Primũ, quia iste est modus loquendi Logicorum. Secundũ, quia Arist. 8. Metaph. tex. 9. dicit genus esse vt materiam, differẽtiam vero esse vt formam, & idem dixerat 7. Metaph. tex. 43. Tertiũ, quia Porphyrius in hoc cap. dixit speciẽ constare genere, & differentia, vt ex materia, & forma. Quarrũ, quia sicut in cõpositione physica materia est quid potẽtiale, & perfectibile, & forma est actus, & perfectium: sic in compositione Metaph. genus est quid potentiale, & contrahibile, & perfectibile, & differentia est actus, contrahens, & perficiens.

2 Sententia opposita est Cõmunis, sed claritatis gratia illam explico per istas conclusiones: sit prima. Ista conclusio absolute sumpta genus sumitur à materia, & differẽtia à forma, est falsa, quia in aliquibus speciebus datur genus, & differentia, & non habent materiã, neq; formã: ergo illa propositio absolute est falsa. Antecedens patet, quia intellectiones, & solutiones sunt naturæ specificæ, constantes genere, & differentia, & non est materia, neque forma à qua oriantur.

3 Sit secunda cõclusio: adhuc in his, quæ constant materia, & forma; genus non desumitur à materia, neque differentia à forma. Probo, quod conuenit alicui per se, & ab intrinseco, non potest illi deficere: ergo si naturæ genericæ, vt generica est competeret per se desumi à materia, numquam esset aliqua natura generica, quæ non desumeretur à materia; sed datur natura generica, quæ non originatur à materia, vt in intellectionib. Angelorum patet, quæ constãt genere, & Angeli non sunt compositi ex materia, & forma: ergo genus non petit per se desumi à materia, quasi inuenitur in subiecto composito ex materia, & forma, erit illi generi per accidens. Idẽ & eodemmodo dicendum, & probandum est de differentia, nempè, quod non desumitur à forma.

4 Quæres à quo desumuntur, genus, & differentia? Respondet Scotus in 1. dist. 3. q. 3. §. *Contra istam*, & distinct. 8. q. 3. §. *Teneo*, quod genus, & differentia desumũtur à toto cõposito secundũ diuersas rationes formales, quæ incõposito Metaph. sunt, quia ab ipso abstrahitur ratio potẽtialis, & contrahibilis, quę est cõmunis multis speciebus; & ab ipso abstrahitur ratio differẽtię per quã illud cõpositũ differt ab alijs speciebus. Est enim cõpositũ radix, & fundamẽtũ immediatũ à quo abstrahuntur.

5 Hic solet quæri, qualis sit compositio ex genere, & differentia? An realis? An rationis, ad quam quæstionem breuiter respondet N. Doctissimus Merineto cap. 4. de differentia, q. 4. num. 7. dicens: Thomistæ, qui intra genus, & differentiam solum distinctionem rationis cognoscunt, dicunt consequenter esse compositionem rationis. Nos autem, qui cum Scoto docuimus cap. 2. p. 1. super primum cap. Porphyrij inter genus, & differentiam, per quã contrahitur, esse distinctionem ex natura rei formalem: consequenter dicimus esse compositionem ex natura rei formalem, qualis est quæ versatur inter duas formalitates, eiusdem rei.

QVÆST. VII.

Vtrùm definitio de differentia secundæ intentionis, quam dedit Porphyrius sit bona?

1 POstquam disputauimus de differentia primè intentionaliter sumpta, quæ est fundamentum differentiæ Logicæ, vel secundæ intentionis; nunc restat tractare de differentia Logica, quam Porphyrius definit hoc capite dicendo: *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*, id est, *differentia est, quæ est apta prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid*. Quia nullum prædicabile consistit in actuali prædicatione, sed in aptitudine ad prædicari. De qua inquirimus, vtrum sit bona?

2 Multi dicunt esse nobis bonam hanc definitionẽ de differentia vt sic. Sed si illis obijcias hoc argumentum: definitio est bona, quando competit omnibus definitis: sed ista non competit differentiæ infimæ: ergo. Minor patet, quia differentia infima nõ potest prædicari de pluribus differentibus specie, quia sub se nullã speciem habet. Conantur illi satisfacere; sed non possunt.

3 Quidam respondent sub intelligendam esse, particulam istam, vel *numero*, ita vt sensus sit, *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie, vel numero*. ¶ Sed contra: ergo hæc definitio differentiæ, vt sic est defectuosa, quia indiget supplemento, & additione: ergo non est bona, quia bonę definitioni nihil addendum, vel diminuendum est. Præterea, quia si ad bonam definitionem sufficit, quod differentia subintelligitur: ergo ista ratio, *homo est animal*, est bona definitio hominis: quia sic definiens potest dicere, quod in illa subintelligitur rationale.

4 Alij dixerunt, quod ly *De pluribus differentibus specie*, sic intelligendum est, de pluribus differentibus specie, vel inter se, vel

vel ab alijs. Quia Petrus, & Ioannes licet inter se non differant specie, differunt tamen specie ab alijs, nempè ab equo, & leone. Vndè differentia infima etiam prædicatur de pluribus differentibus specie ab alijs; quia Petrus, & Ioannes differunt specie à leone.

¶ Sed contra, quia in primis necesse est addere illi definitioni *ly inter se, vel ab alijs*: ergo defectuosa est, & non bona. Secundò: quia hæc expositio, & additio est violenta, nam debet intelligi, & dari sicut definitio generis, de pluribus differentibus specie inter se. Et non ab alijs, de quibus genus non prædicatur.

5 Caietanus, & Sotus super hoc cap. dicunt, hanc diffinitionē non esse intelligendam positivè, sed negativè per non repugnantiam: ita vt sensus sit, *differentia est illa, cui quantum est de se, non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid*, & hoc pacto, dicunt, competit etiam differentijs vltimis; nam licet in quantum infimis eis repugnet, non vero in quantum differētiæ sunt. Sed còntra, quia definitio bona est illa, quæ simplicitèr, & sine addito competit omnibus contentis sub definito. Sed ista nō competit simplicitèr, & sine addito, differentiæ infimæ: ergo. Probatur minor, quia quod cōuenit alicui per non repugnantiā, non conuenit ei simplicitèr, sed cum hoc addito *per non repugnantiam*. Itêm, quia hæc expositio est extorta; quia hæc differentia definienda est, positivè, & vt prędicabilis positivè, sicut alia prædicabilia logica. Tandem, quia si definitio, quæ solum competit definito per non repugnantiam esset bona; ergo ista definitio equi esset bona, nempè *equus est viuēs sensibile rationale*: quia etiam si equo, quatenus equus est, repugnet esse rationalem, id tamen ei non repugnat in quantum est animal.

6 Respondeo: cum Scoto q. 27. vniuersalium non esse bonam definitionem differentiæ, vt sic: quia non convenit differentiæ infimæ. Et si quæras, quid sit differentia, vt sic logica? Respondeo *quod est illa, quæ est apta prædicari de pluribus in quale*: ista est bona definitio, quia aptitudo ad prædicari de pluribus, est ratio rationis communis, aptitudini ad prædicari in quid, & ad prædicari in quale. Et ly *in quale* est differentia per quam differentia vt sic, differt ab aptitudine ad prædicari de multis in quid.

7 Respondeo secundò: quòd illa definitio Porphyrij; *differentia est quæ prædicatur in quale de pluribus differentibus specie*, est definitio vera differentiæ, sub alternæ tantum. Ita Scotus loco citato. *Prædicari de pluribus in quale* est genus rationis respectu aptitudinis ad differentiam subalternam, & infimam; & *per habitu-*

dinem

dinem ad plura ſpecie differentia, differt ab infima, quæ non habet ſpecies inferiores. Bonitas iſtius definitionis ſpeciei ſubalternæ apparet ex his; quia convenit omnibus ſpecibus ſubalternis, & non alijs. Et quia convertitur cum ſuo definito: & quia neque eſt defectuoſa, neque ſuperflua; ſed adæquata.

8 Dico tertiò: quòd *differentia propriſſima logica eſt illa, quæ eſt apta ad prædicari in quale quid de pluribus differentibus numero*, in qua *aptitudo ad prædicari in quale quid*, commune eſt differentiæ ſubalternæ, & infimæ. Et per *habitudinem ad plura numero differẽtia*, differt a ſubalterna. Bonitas iſtius diffinitionis apparet ex hoc, quod eſt conformis regulis bonæ definitionis: nam conuenit omnibus contentis ſub ſuo diffinito, eſt clarior ſuo definito, conuertitur que cum illo, & tandem, neque eſt defectuoſa, neque ſuperflua.

9 Obijcies, differentia non poteſt definiri: ergo, neque diffinitio eius eſt bona. Probatur antecedens, quia ſi differentia eſt definibilis: ergo conſtat genere, & differentia. Et de illa quæro iterũ an ſit definibilis? Si ſic: ergo conſtare debet genere, & differentia: & ſic in infinitum: ergo ne detur proceſſus in infinitum, dicendum eſt, quod non eſt definibilis. Reſpondeo, quod nunc definitur per ſe ſecunda intentio, quæ conſtituit differentiam prædicabilem proximè, & accepta *vt quod*. Et ſic eſt ſpecies prædicabilis ſicut, genus pro formali, & conſtat genere, & differentia rationis. Et ſic poteſt definiri ſicut aliæ ſecundæ intentiones. Tamen hæc definitio non eſt propria, quia vt pluries dictum eſt, definitio propria ex Ariſt. & Scoto citatis toties habet pro definito verum, quid rei. Vlterius dico; quod differentia materialitèr ſumpta non poſſit definiri per verum genus, & verã differentiam, vt probat argumentum, poteſt tamen impropriè definiri per aliquid commune, & aliquid differentiale; vt viſſum eſt hoc capite.

QVÆST. VIII.

Vtrùm differentia infima, & ſubalterna ſecundæ intentionis differant ſpecie?

1 EX dictis quæſtione præcedenti conſurgit non contemnenda difficultas, quam tetigit Subtilis Doctor, q. 27. vniuerſalium, quæ difficultas eſt propoſita. Nam hæ differentiæ logicæ ſumptæ, differunt definitione, vt dictum eſt; ſed quæ differunt definitione differunt ſpecie: ergo iſtæ duæ differentiæ formales differunt ſpecie. Et vlterius ſequitur, quod ſint plus, quam quinque prædicabilia. Rurſus à paritate, quia non alia ratione genus, & ſpecies differunt eſſentialitèr,

&

& ſpecificè, & conſtituunt diuerſa prædicabilia, niſi quia genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & ſpecies de pluribus differentibus numero, nam genus, & ſpecies conueniunt in prædicari in quid; ſed ſpecies infima, & ſubalterna conueniunt in prædicari *in quale quid*, & differunt in prædicari de pluribus differentibus numero, & differentibus ſpecie: ergo differunt ſpecie inter ſe ſicut genus, & ſpecies: ergo eſt aliud prædicabile præter quinque.

2 Ex alia parte omnes logici tenent eſſe tantum quinque prædicabilia ſpecie differentia: ergo non differunt ſpecie.

3 Reſpondeo cum Scoto (& communi ſententia) quæſt. 27. vniuerſalium, quod ſpecies infima, & ſubalterna, vt prædicabiles, & ſecundè intentionaliter non differunt ſpecie. Ad cuius intelligentiam nota, quod intellectus cauſat ſecundas intentiones iuxta modum, quē habent primæ intentiones, quæ dicuntur prædicabiles, eo, quod primæ intentiones ſecundum illum modum, ſunt fundamenta, & occaſiones, vt intellectus cauſet ſecundas intentiones. Vnde quamvis genus, & ſpecies conueniant in modo *prædicari in quid*, differunt tamen alio modo, quia natura generica metaphyſicè nata eſt prædicari vt pars, de ſuis immediatis ſubiectis: at natura ſpecifica metaphyſicè nata eſt prædicari per modum totius eſſentię de ſuis ſubiectis immediatis: Et ſic relationes, quæ in iſtis modis fundantur, differunt ſpecie. Etenim differentia infima, & ſuprema habent metaphyſicè eundem modum prædicari, qui eſt *in quale quid*. Et ſic relationes fundatæ in vtraque, ſunt eiuſdem ſpeciei, quia prædicabilia magis differunt per modum prædicandi, qui competit prædicabili, quam per ſubiecta differentia de quibus prædicantur.

4 Ex quibus poteſt formari iſta probatio: tunc relationes prędicabilitatis differūt ſpecie, quādo fundamenta prædicabilia habent modum diuerſum prædicādi: ſed differentiæ propriſſimæ, infimæ, & ſubalternæ, metaphyſicè, & fundamentaliter, non habent diuerſum modum prædicandi de ſuis ſubiectis, quia vtraque de ſuis ſubiectis prædicatur *in quale quid*: ergo non differūt ſpecie; ſed ſolum penes maiorem, & minorem latitudinem, quia vna eſt vniverſalior alia. Sicut genus ſupremum, intermedium, & infimum.

5 Ad argumenta, ad primum reſpondeo, quòd differunt definitione ſecundum partem accidentalem, & quantitatiuam, non ſecūdum partem eſſentialem. *Nam prædicari de pluribus in quale quid*, eſt diffinitio eſſentialis: & in hac non differunt: particulæ illæ *differentibus ſpecie, & numero*

ſunt

ſunt accidentales, & quantitativæ, quia pertinent ad maiorem, & minorem extenſionem. Ad ſecundum nego, quòd genus, & ſpecies non differant alia ratione, per prædicari de pluribus differentibus numero, & ſpecie. Hoc quidem etiam pertinet ad maiorem, vel minorem quantitatem, loquendo formaliter. Sed differũt eſſentialiter illæ relationes, quia prædicabilia metaphyſica habẽt diverſum modum, nam genus prædicabile eſt per modum partis metaphyſicæ, quamuis logicè ſit totum potentiale. Et ſpecies habet prædicari per modum totius eſſentiæ.

QVÆST. IX.

Per ordinem ad quæ differentia ſit tertium prædicabile?

1 AD ſtatum quæſtionis nota, quod differentia proprijſſima in concreto v.g. *rationale*, prædicatur de ſpecie, quam conſtituit, vt homo eſt rationalis: & prædicatur etiam de individuis ſpeciei, quam conſtituit, vt Petrus eſt rationalis, Paulus eſt rationalis. Quæſtio eſt an ſit tertium prædicabile per ordinem ad ſpeciem, quam conſtituit? An per ordinem ad individua ſpeciei.

2 Toletus in hoc cap. dub. 4. videtur dicere, differentiam eſſe tertium prædicabile per ordinẽ ad ſpeciem, quam conſtituit: & ratio poteſt eſſe iſta: Nam prædicabilia cõſtituuntur per ordinem ad ſubiectum immediatum, vt genus per ordinem ad ſpeciem, non per ordinem ad ſubiectum mediatum, nempè individua; ſed ſpecies eſt ſubiectum immediatũ rationalis, & indiuidua ſubiectum mediatum: ergo. Probatur minor, quia differentia proprijſſima immediatè conſtituit ſpeciem, & ſpecies deſcendit ad indiuidua; ergo ſpecies eſt ſubiectum immediatum differentiæ proprijſſimæ, & indiuidua ſunt ſubiecta mediata.

3 Vera, & communis ſententia eſt, quod differentia proprijſſima non conſtituitur vniuerſale per ordinem ad ſpeciem, quam conſtituit: ſed per ordinem ad inferiora ſpeciei: Quia vniuerſale duo habet, & rationem ſuperioritatis, vel continentiam potentialem inferiorum, & rationem prædicabilitatis de pluribus inferioribus: ſed differentia proprijſſima reſpectu ſpeciei, quam conſtituit, non habet rationes ſuperioritatis, nec potentialitatis, neque prædicabilitatis de multis: ergo, non eſt vniuerſalis in ordine ad ſpeciem, quam conſtituit. Minor patet, quia nullum ſuperius conuertitur cum inferiori: Species conuertitur cum differentia proprijſſima, qua conſtituitur: ergo, differentia nõ eſt ſuperior ad ſpeciem. Item, quia nullum prædicabile

bile est in ordine ad vnum, sed species constituta est vnum respectu differentiæ proprijssimæ; ergo.

4 Præterea ad probandum secundam partem conclusionis, accipio istam minorem: sed differentia proprijssima respectu individuorum, vel inferiorum speciei, quam constituit habet superioritatem, & rationem prædicabilitatis de multis: ergo differentia proprijssima est prædicabilis per ordinem ad inferiora speciei, quã constituit.

5 Ad argumentum respondeo, quod prædicabilia constituuntur in ordine ad subiectum immediatius, non quodcumque, sed quod est subijcibile, inferius, & determinatius, vt constat ex exemplo posito in argumento. Non per ordinem ad subiectum vt sic, vel æquale: species quidem est subiectum, æquale, & si determinatius ipsa differentia; ideò respectu speciei, non est vniuersale, neque tertium prædicabile. At inferiora sunt determinatiora ipsa differentia, quæ est æqualis cum specie. Ideò respectu speciei, non est tertium prædicabile.

6 Quæres, quæ prædicatio est illa differentiæ proprijssimæ de specie. v.g. *homo est rationalis.* Respondetur esse topicam: quia topica est subiecti, & prædicati, convertibilis. Sed homo, & rationalis sunt termini cõvertibiles: ergo prædicatio ex illis formata est topica.

P. Villaverde.

CAP. V.

De proprio quarto prædicabili.

1 POstquam Porphyrius tractavit de differentia proprijssima rectè egit de differentia propria, prius quam de differentia communi, seu de accidenti, quia proprium, maximè proprium, non est de quidditate speciei, est tamen identificatum, cum illa, & ab specie inseparabile: proprium vero commune, seu differentia communis, accidens est, quod potest adesse, & ab esse à subiecto, absque subiecti corruptione. Itaque maxime proprium est quasi medium, inter differentiam proprijssimam, & communem, ideò rectè tractavit de proprio Porphyrius post differẽtiam proprijssimam, & ante differentiã communem. Sed quia proprium est, & primæ, & secundæ intentionis. Prius videbimus de proprio primæ intentionis, & postea de proprio secundæ intentionis.

QVÆSTIO I.

De proprio primè intentionaliter sumpto.

1 QVadrupliciter accipitur proprium, quas acceptiones posuit Porphyrius in

hoc capite, vt ablata æquivocatione ſtatuatur ſubiectum de quo agendum eſt. *Primo modo dicitur proprium, quod accidit ſoli alicui ſpeciei, ſed nõ omnibus indiuiduis eius.* Vt eſſe medicum; nam medicina ſcientia ſoli ſpeciei hominis conuenit, non tamen omnibus individuis eius defacto; quia non omnes ſunt medici. *Secundo modo, proprium eſt illud, quòd conuenit omnibus indiuiduis alicuius ſpeciei, non tamen illis ſolis.* Vt eſſe bipedem conuenit omnibus individuis naturæ humanæ, ſed non ſolis illis; quia etiam conuenit ciconiæ, & columbæ. *Tertio modo proprium eſt illud, quod conuenit indiuiduo omni alicuius ſpeciei, & ſolis illis; ſed non ſemper.* Vt canities reſpectu hominis, quæ conuenit omnibus hominibus, & illis ſolis: ſed non ſemper, ſed in ſenectute. *Quarto modo propriũ eſt illud, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper:* vt eſſe hominem riſibilem; nam riſibilitas conuenit omni indiuiduo hominis, & ſolis illis, & ſemper. Vnde proprium quarto modo complectitur omnes illas conuenientias.

2 Proprium quarto modo acceptum, eſt ſubiectum huius capitis, quòd à Porphyrio dictum fuit, maximè proprium, ad diſtinctionem aliorum trium iam dictorum. Ab Ariſt. autem 1. topicorum cap. 4. dictum fuit *propriũ ſimpliciter.* Quod has proprietates habet; vna eſt, quod eſt extra quidditatem rei, cuius eſt proprium. Secunda eſt, quod ſoli illi ineſt. Et tertia, quod conuertitur cum eſſentia cuius eſt proprium. Ideò Ariſt. 1. topicorum cap. 4. ſic definivit proprium ſimpliciter, dicens: *Proprium eſt, quod non indicat, quid eſſe rei, ſoli autẽ ineſt & conuerſim prædicatur.* Porphyrius vero hoc capite eius hãc dedit diffinitionem. *Quarto modo dicitur proprium, quod accidit ſoli alicui ſpeciei, & omni, ac ſemper.*

QVÆST. II.

Quid definiatur per hanc definitionem Porphirij?

1 DVo ſunt de quibus poteſt dubitari, quod eorum definiantur hac definitione Porphyrij. Vnum eſt an definiatur proprium quod dicitur quartum prædicabile, an proprium, quod dicitur quintum prædicabile. Alterum eſt proprium quartum prædicabile formaliter.

2 Ideo primò quæritur 1. per hãc definitionem definiatur proprium maximè proprium, quod denominatur quartum prædicabile: & videtur, quod ſic: Quia Porphyrius proponit illud, vt diffiniendum, dum inquit: *Quarto modo proprium.* Itẽ, quia illæ particulæ *ſoli alicui, ſpeciei, & omni, & ſemper,* ſignificant differentiã proprij, quod dicitur quartũ prædicabile, per quas differt ab accidenti,

denti, quod est quintum prædicabile: ergo definitum hac definitione est proprium, quod dicitur quartum prædicabile. ¶ Ex alia parte videtur, quod non definitur propriũ, quod denominatur quartum prædicabile: quia ratio, quæ ponitur pro genere est *accidens*, quia in illa definitione dicitur *quod accidit*, sed esse accidens solum competit proprio, quod est quintum prædicabile. Et non cõvenit proprio, quod dicitur quartum prædicabile, quia istud est idem cum specie cuius est proprium: ergo non definitur per hãc definitionem, proprium quartum prædicabile: sed illud, quod dicitur quintum prædicabile.

3 Respondeo, quòd per istam definitionem diffinitur proprium, quod dicitur, quartum prædicabile. Ad cuius intelligentiam nota, quod verbũ *accido*, & nomen *accidens*, significant æquivocè; nã nomen *accidens* aliquando significat id, quod est extra essentiam rei tantum, aliquando illud, quod non solum est extra essentiam rei, sed etiam contingentèr illi inest. In præsenti accepit Porphyrius *accidere* pro esse extra quidditatem speciei. Quasi dicat; *quarto modo proprium est illud, quod est extra quidditatẽ speciei, conuenit tamẽ soli, omni, & semper.* Ex quo patet, quod solum propriũ, quod dicitur quartũ prædicabile definitur hac definitione: quia in re est extra quidditatem speciei, in quo cõvenit cum accidente separabili, & differt ab illo, quia convenit speciei, & omni contento, sub illa, & semper; hoc est inseparabiliter: sed isti conceptus explicãtur per istã definitionẽ, qui sunt soli proprij, quod dicitur quartũ prædicabile: ergo istud solùm est quod definitur hac definitione. ¶. Et per hanc distinctionẽ patet ad argumentum.

4 *Quæres* 2. vtrùm definitio Porphyrij conveniat soli proprio infimo. Ad intelligẽtiã istius quæsiti nota, quod proprium cum sit proprietas inseparabilis naturæ, & idem realitèr cum illa, & naturæ aliæ sunt supremæ in prædicamento, aliæ inter mediæ, aliæ infimæ. Hinc fit, quod propriũ aliud est supremum, aliud mediũ, aliud infimum: propter hoc quæritur vtrùm hæc definitio cõveniat soli proprio infimo? vel etiã supremo, vel intermedio: vel propriovt sic?

5 Noster Merinero cap. 5. de proprio q. 1. n. 11. dicit, quòd per illam diffinitionem solum definitur proprium infimum. Sed cõtra, quia illa definitio convenit propriovt sic. Quod patet per partes, nam corpus habet proprietates, (loquor de corpore deprędicamẽto substantiæ;) nam data quacunque proprietate eius, accidit illi, hoc est, est extra quidditatẽ suã, vt aiebat Arist. 1. top. citatus in fine quæst. præced. Conuenit tamen illi semper, hoc est inseparabiliter: & convenit etiam omni

contẽto, ſub ſpecie corporis: quia illa diſtributio *omni*, nõ ſupponit pro natura ſecũdũ ſe, & confuſa: quod ſi proprietas convenit omni contento ſub ſpecie, nõ convenit ratione contrahentis ad illam inferioritatem, ſed ratione ſpeciei, cui' eſt propriũ. Sed hos cõcept' proprij, vt ſic exprimit illa diffinitio: ergo competit proprio vt ſic.

6 Quod autẽ ly *omni*, quod eſt terminus ſyncathegorematicus, diſtributivus, ſupponat pro inferioribus cuiuſvis ſpeciei metaphyſicæ, patet, quia terminus *omni*, eſt ex natura ſuę impoſitionis ordinatus ad ſignificãdũ diſtributionẽ, & cũ nulla diſtributio fiat niſi in inferiora ſequitur, quod propriũ naturæ debet convenire omne inferiori illius naturę, nõ ratione differentiæ contrahentis naturam, ſed ratione naturæ cõmunis. Sicut Petro v.g. convenit eſſe nutribile non ratione Petreitatis, ſed ratione animalis.

7 Cumque ſint propria conveniencia inſeparabilitèr alia, naturis ſupremis metaphyſicæ, alia naturis inter medijs, aliaque naturis ſpecificis, hinc eſt quod poſſunt dari aliæ tres definitiones. *Proprium naturæ ſupremæ metaphyſicæ eſt illud, quod convenit naturæ ſupremæ iam conſtitutæ, illique inſeparabile, & convertibile cum illa. Propriũ inter medium eſt illud, quod convenit naturæ intermediæ iam conſtitutæ, illi inſeparabile, & convertibile cũ illa. Propriũ infimum eſt illud, quod convenit ſpeciei infimæ illi inſeparabile, & convertibile cum illa.*

8 Sed ſtatim ex his definitionibus cõſurgit aliud dubiũ nõ cõtẽnendũ; nẽpè, vtrũ iſta propria, & diffinitiones eorũ differãt formalitèr, & eſſentialitèr? Ex vna parte videtur quod ſic: quia naturæ illę ſupremę, nempè, inter medię, & infimę differunt formalitèr, & eſſentialitèr, quia habent diuerſas differentias. Sed proprietates ſapiũt naturam illarum ſpecierũ, quarũ ſunt proprietates: ergo. Secundò, quia vel illæ definitiones ſunt diuerſæ? vel non? Si non: ergo ſunt ſuperfluæ. Si ſunt diuerſæ, habeo intentũ, & etiã proprietates definitæ ſunt diuerſæ. ¶ Ex alia parte videtur, quod nõ ſunt diverſæ nec differũt formalitèr quidditativè. Primò, quia nõ ſunt quidditates. Secũdò, quia ſi eſſent diverſa propria formalitèr, ſequeretur, quòd eſſent plura prædicabilia fundamentalitèr; quia quodlibet illorũ propriorum eſt prædicabile.

9 Reſp. primò, quod propria prędicta non differunt formalitèr in iſto ſenſu (licèt differãt formalitèr ex natura rei in Petro exiſtẽte, de qua diſtinctione non eſt ſermo, ſed de diſtinctione, in genere proprij. Ratio mihi eſt illa, quia nullã habent proprietatẽ, vel rationẽ per quã in ratione proprij, vel in linea proprij differant intrinſecè.

10 Reſp. ſecũdò, quod ſolũ diſ-

ferunt

ferũr, accidẽtaliter, & quãtitatiuè, penes maiorẽ, vel minorẽ quãtitatem, & extensionẽ, sicut dixi de differentis supremis, medijs, & infimis. Ratio mihi est ista, quia non habent, per quod differãt nisi per maiorem extensionem, & amplitudinem; sed ista est differentia quantitatiua: ergo.

11 Ad primum nego, quòd naturæ, quarum sunt propria differant essentialiter, potius inferiores includunt essentialiter superiores, sicut homo includit essentialiter animal, & corpus, &c. Ratio est, quia, vt naturæ differant essentialiter, debent constitui per differẽtias oppositas, non per differentias subordinatas. Homo, animal, viuens, &c. cum sint naturæ subordinatæ, non differunt per differentias oppositas, sed per subordinatas. Ad secundum respondeo, quod illæ definitiones non sunt diuersæ formaliter, quia habent pro definito eamdem rationem, sunt tamen distinctæ accidẽtaliter, & quantitatiuè; & sic non sunt in quinque prædicabilibus.

12 Sed contra, quia proprietas speciei infimæ conuertitur cum specie infima, sed species infima est distinctum prædicabile à natura superiori, nempè à genere: ergo proprium infimum est prædicabile fundamentale, & metaphysicè distinctum à proprio intermedio, & supremo. Respondeò, quod quamuis secundum rationem logicam conuertatur propriũ in infimum cum specie infima, tamen secundum prædicabilitatẽ fundamentalẽ differunt, quia natura infima prædicatur per modum totius naturæ: generica per modum partis, at proprium infimum prædicabile est tantum per modum proprij, quod etiam habet intermedium.

13 Quæro tertiò, Vtrùm illa definitio de proprio, quam dedit Porphyrius sit propria, vel essentialis? Respondeo, quod non: & defectus non stat ex parte definitionis; sed ex parte definibilis, quia definibile hoc, cum non sit quidditas rei, fit, vt non possit habere definitionem propriam, seu quidditatiuam. Est quidem illa definitio descriptiua, quia illud definibile solius definitionis est capax.

QVÆST. III.

Vtrùm per definitionem Porphyrij definiatur, etiam proprium vt prædicabile Logicè?

1 SVbtilis Doctor quæst. 13. Vniuersalium volens libe rare Porphyrium à defectu in hoc tractatu, quia agens de prædicabilibus debebat definire propriũ, vt prędicabile, sicut definiuit alia prædicabilia: Dixit; quod verba definitionis datæ à Porphyrio poterant sumi primè, & secundè intentionaliter: primè intentionaliter accipiuntur, quando ly *Accidit*, significat idem, quod extra quidditatem afficere, & ly *Soli*, sig-

significat inseparabiliter. At secunde intẽtionaliter accipiuntur, quando ly *Accidit*, idem significat, *ac prædicare in quale*, ita vt sensus sit. Proprium est, quo prædicatur in quale, *omni*, idest, de omnibus individuis, *soli*, idest, vnius speciei, & *semper*, idest, necessario.

2 Ego quidem concedo, quod policia statuere potest nomina, & verba æquiuoca, & quod statuere poterat, vt ly *Accidit*, idem significaret, quod *prædicatur*, & quod ly *Omni* idem significaret, quod de *omnibus individuis*. Tamen de facto non est hoc institutum, neque secundum vsum loquentium Grammatice, & Logicè, *accidit*, significat idem, quod *prædicari*. Propter quod de facto definitio illa, vt iacet non habet pro per se definito proprium secundè intẽtionaliter sumptum, sed tantum prime intentionaliter.

3 Quid ergo est proprium secundè intentionaliter? Dico: *quod est illud, quod est aptum prædicari de pluribus in quale proprium, vel in quale non quid, sed necessarium inseparabile.* Hæc definitio est bona, quia aptum prædicari de pluribus, quod est vniuersale. Genus est ad quinque prædicabilia, per ly *in quale* differt à genere, & ab specie, per ly *proprium* differt à differentia, quæ prædicatur in quale quid. Et differt etiam ab accidente prædicabili, quod non prædicatur, vt proprium, neque necessario, sed vt non proprium, & contingens.

4 Sed quia proprium Metaphysicè sumptum, aliud est, quod habet sub se species, aliud autem, quod sub se habet individua, & ista propria sint prædicabilia fundamentaliter, possunt ab intellectu causari super illa relationes rationis, & fieri vniuersalia Logica. Vnde *Proprium subalternum est illud, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quale necessario. Et Proprium infimum est illud, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quale necessario.*

5 Quæres vtrùm proprium infimum, & subalternum Logicè, & formaliter sumpta differant essentialiter. Et videtur, quod sic, quia ista propria, vt prædicabilia formaliter sumpta, sunt relationes prædicabilitatis: Sed quando relationes habent, vel diuersum subiectum, vel diuersum terminũ differunt essentialiter: ergo istæ differunt essentialiter. Patet consequentia, quia vna habet pro termino species, alia autem differentia numero. Secundo, quia ideo relatio generis differt à relatione speciei, quia relatio generis terminatur ad species differentes, & relatio speciei ad individua differentia: ergo similiter: nam relatio proprij subalterni terminatur ad species differentes, & relatio proprij infimi ad plura differentia

numero terminatur: ergo. Ex alia parte videtur, quod non, quia sequeretur esse plus, quam quinque prædicabilia, quia diuersæ relationes formales diuersa prædicabilia constituunt.

6 Respondeo, quod istæ relationes, non differunt essentialiter, sed accidentaliter, nempè quantitatiuè, penes respicere magis extensa, vel non extensa, ampla, & non ampla. Ad cuius claram intelligentiam nota, quod intellectus causat relationes prædicabilitatis iuxta modum, prædicabilitatis fundamentalis, quæ habent illa, quæ denominantur prædicabilia: nam prædicabilia metaphysica distinguuntur penes modum prædicabilitatis fundamentalis, non secundum distinctionem subiectorum de quibus prædicatur, alioquin genus infimum, & supremum, differunt essentialiter secundum relationes prædicabilitatis.

7 Nunc probo primam partem conclusionis, quando prædicabilia metaphysicè habent eundem modum prædicandi, relationes, quæ fundantur in illis. nõ differunt essentialiter; sed proprium infimum, & subalternum habent eundem modum prędicandi: ergo relationes, quę in ipsis fundantur, non differunt essentialiter. Minor patet, quia vtrumque proprium prædicatur per modum qualis inseparabilis proprij.

8 Secundam partem conclusionis probo, quia quando aliqua differunt solum secundũ terminum communem, & determinatũ: Differunt tantum quantitatiuè ex parte termini: Sed istę duę relationes, quæ sunt eiusdem speciei, solum differunt in hoc, quod terminus vnius sunt species communes, & terminus alterius, sunt indiuidua determinata: ergo tantum differunt quãtitatiue ex parte termini.

9 Ad primum argumentum respondeo, quod illa maior est vera de relationibus realibus, quæ consurgunt ex natura rei ex fundamento, & termino: non autem de relationibus rationis, quæ finguntur tantum iuxta exigentiam, vel modum prædicabilis. Ad secundum nego illam maiorem causalem, causa distinctionis essentialis inter genus, & speciem, non est ex parte termini, sed ex parte prædicabilis, quia cum relationes fingantur secundum modum prędicabilis, & genus, prædicetur per modum partis, & species per modum totius ex hac parte habent distinctionẽ essentialem. Ex parte verò speciei, vel indiuidui solũ est quãtitatiua. Nã istæ propositiones *homo est animal, & Petrus est animal*, etiã differunt quantitate sic in prædicabilitatis relationibus, & in prædicabilibus.

(.§.)

QVÆ-

QVÆST. IIII.

Per ordinem ad quæ proprium sit vniuersale?

1 TOletus in fine huius capitis, Albertus Magnus tractatu 5. de Proprio cap. 1. Caietanus, & Scotus hic q. 1. dicunt, proprium constitui vniuersale, vel quartum prædicabile, per ordinem ad speciem, cuius est propriũ. Fundamentum eorum est, quia secundum Aristot. 1. Topicorum cap. 4. *Proprium est, quod non indicat quid esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur.* Ex qua authoritate hoc conficiunt argumentum. Proprium est, quod cõuersim prædicatur, sed per ordinem ad speciem conuersim prædicatur cum illa tantum: ergo per ordinem tantum ad speciem fit quartum prædicabile, & non per ordinem ad indiuidua.

2 Noster Merinero cap. 5. de proprio q. 2. num. 2. dicit cum Scoto q. 30. vniuersalium, & cum communi sententia, quod propriũ vt quartum prædicabile cõstituitur per ordinem ad inferiora speciei cuius est proprium, non per ordinem ad speciem cuius est proprium.

3 Et claritatis gratia respondeo, per duas conclusiones communes. Prima est, proprium non constituitur quartum prædicabile per ordinem ad speciem, cuius est proprium. Probatur: quia relatio vniuersalitatis est vnius ad plura; sed species proprij, nõ est ad plura: ergo. Secunda, quia relatio vniuersalitatis, est superioris, ad inferiora, sed species proprij, non est inferior ad proprium illius speciei: ergo. Patet, quia ex Aristot. citato hic num. 1. proprium conuertitur cum specie cuius est proprium, & quod cõuertitur in prædicatione cum alio, non est superius ad illud. Tertia, quia *vniuersale est vnum in multis, & de multis*, secundum Philosop. sed proprium respectu suæ speciei non est vnum in multis, & de multis: ergo istæ probationes simul impugnant oppositam sententiam.

4 Secunda conclusio est, proprium fit quartum prædicabile per ordinem ad inferiora speciei, cuius est proprium. Probatur, quia relatio vniuersalitatis est superioris ad inferiora, sed respectu inferiorum speciei, proprium habet relationem superioris ad inferiora; ergo. Secundum, quia vniuersale est vnum in multis, & aptum dici de multis, sed solum respectu inferiorum speciei, cuius est proprium, est vnum in multis, & aptum dici de multis; ergo.

5 Ad argumentum respõdeo, quod aliud est loqui de prædicabilitate Logica, aliud de prædicabilitate vniuersalis. Arist. in 1. Topicorum loquebatur de prædicabilitate Topica, & sic proprium

prium cõuersim prædicatur cum specie, cuius est propriũ. At quando dixit: quod vniuersale est vnũ in multis, & de multis potestatiuè, loquebatur de proprio, vt est prædicabile de multis. Vnde in forma, proprium est, quod conuersim prædicatur. Distingo subiectum, proprium, vt topicum concedo, vt vniuersale, nego. Sic de minori, & consequentia negan da est.

6 Obijcies, proprium respicit immediatè speciem, & mediatè inferiora speciei: ergo fit vniuersale per ordinem ad speciem, & non per ordinẽ ad indiuidua cuius est proprium. Respondeo, pro prium respicit immediatè speciẽ respicientia topica, vel respicientia proprij, vt proprium est, concedo antecedens, vt prędicabile, nego antecedens, nam hac respicientia prædicabilitatis immedia tè respicit inferiora speciei, cuius est proprium, vt risibile Petrum, & Paulum.

7 Obijcit Pater Masius, qui est oppositæ sententiæ, quidquid prædicatur de subiecto vniuersali debet esse attributum vniuersale, sed proprium prædicatur de specie, quæ est vniuersalis: ergo proprium est vniuersale. ¶ Respondeo, hoc argumentum solum probare, quod supponimus, supponimus, proprium esse vniuersale, quod etiam probat Scotus quæst. 30. vniuersalium, quia conuertitur cum specie, est vniuersale

P. Villaverde.

metaphysicum. Et quæritur, an per ordinem ad speciem sit vniuersale Logicum? quod non probat argumentum.

CAP. VI.

De Accidente quinto prædicabili.

QVÆST. I.

Vtrùm definitiones accidentis sint accipiendæ primè, vel secundò intentionaliter?

1 POrphyrius in hoc cap. has tres definitiones dedit de accidente. Prima est, *accidens est, quod adest, atque abest sine subiecti corruptione.* Secùda est, *accidens est, quod ineſſe, & non ineſſe eidem potest.* Vbi notandum est, quod istæ definitiones non differunt, nam licet prima detur per actum, nempè per *adest, atque abest*, & secunda detur per potentiam; tamen secundum axioma Philosophorum, *verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.* Tertia definitio est, *accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium. semper tamen inest in subiecto.*

2 Supposito, quod prima, & secunda definitio sint vna, quæritur vtrùm illæ particulæ, quod

adeſt, atque abeſt, quod poteſt inesse, & non ineſſe ſint accipiendæ realiter, ſeu prime intentionaliter? An ſecundæ intentionaliter.

3 Torrejon hic, quæſt. 1. & Doctor Ioannes Martinez in illuſtratione huius capitis, dicunt: illas particulas eſſe ſumẽdas phyſice, & prime intentionaliter. Probant primo, quia poſt prædictam definitionem ſtatim diuiſit accidens inſeparabile, vt dormire, & in inſeparabile, vt nigredo in corvo. Sed iſta diuiſio non poteſt intelligi niſi de accidenti reali: ergo illa definitio non poteſt intelligi niſi de accidenti reali. Mirum enim eſſet, (dicunt iſti Authores) ſi in tam paucis verbis Porphyrius à ſeparatione per intellectum ad ſeparationem realem migraſſet.

4 Secundò probant, nam ſi *adeſſe*, & *abeſſe* à ſubiecto abſque corruptione ſubiecti intelligerentur, de ſeparatione per intellectum, ſequæretur, quod accidens commune non diſtingueretur à proprio. Patet ſequela, quia etiam accidens proprium poteſt per intellectum adeſſe, & abeſſe à ſubiecto abſque ſubiecti corruptione.

5 Vera, & communis ſententia eſt, prædictas particulas accipiendas eſſe Logice, & ſecunde intentionaliter. Sic Scotus q. 3. Vniuerſalium, & cum eo omnes Scotiſtæ. Metiſcus capit. 6. de accidenti, quæſt. 1. num. 4. Porphyrius diſp. 9. quæſt. vnica ex alijs, S. Thomas de ſpiritualibus creaturis art. vlt. ad 7. Caiet. Sotus ſuper hoc cap. Maſius ſect. vnica, & plures Recentiores. Probatur primò, quia intentio Porphyrij fuit definire prædicabilia Logica, ſed reliqua prædicabilia definiuit Logice: ergo etiam accidẽs definiuit Logice, & ſecũdẽ intẽtionaliter. Secũdo, quia ſi prædictæ particulæ acciperentur phyſice, definitio eſſet diminuta. Patet, quia non competeret accidentibus rationis, quæ non poſſunt adeſſe, & abeſſe realiter à ſubiecto. Tertiò, quia ſequerẽtur quod Porphyrius proceſſiſſet diminute, quia non definiuiſſet quintũ prædicabile, vt prædicabile, quando intendebat definire omnia prædicabilia Logicæ. Et quidem, quia coincidit cum iſta definitione *accidens* eſt, quod poteſt prædicarĩ de ſubiectis contingenter,

6 Ad primum nego minorem, & conſequentiam: nam poſtquam definiuit accidens, vt prædicabile, accepit ſubiectum illius & diuiſit illud, in ſeparabile, & in inſeparabile, & non eſt mirum, quod poſtquam Authores definiunt rationem formalem, tranſeant ad diuidendum ſubiectum materiale, quia ſubiectum, & forma ſunt coniuncta.

7 Ad ſecundum reſpondeo, cum Metiſcro, notando prius, quod

quod aliquid poteſt abeſſe per intellectum ab alio ſine corruptione illius, vno modo præciſiue, vt quando cognoſco præciſiue riſibilitatẽ hominis: Alio modo negando, vt quando nego Petrum eſſe album. Nunc nego ſequelam. Ad probationem dico, quod proprium poteſt ſeparari â re cuius eſt proprium cognitione præciſiua, quia iſta non deſtruit eſſentiã, ſed non poteſt ſeparari cognitione negatiua. Et ratio eſt, quia cum proprium ſequatur neceſſariò naturam cuius eſt proprium, qui negat proprium conuenire ſubiecto, cõſequenter negat, naturam cuius eſt proprium conuenire ſubiecto. Definitio autem accidentis accipienda eſt de ſeparatione, per cognitionem negatiuã, vt docet Scotus loco citato §. *Ad vltimum*.

2 Obijcies, ita falſa eſt iſta, corvus non eſt niger, ac iſta homo non eſt riſibilis: ergo male ponimus diſparitatem in cognitione negatiua. Reſpondetur, quod licet vtraque ſit falſa, tamen differunt, quia quæ negat corvum eſſe nigrum, non eſt contra eſſentiam corvi: at quæ negat hominem eſſe riſibilem, eſt contra eſſentiam hominis, & deſtruit illam. Ad rationem accidentis non requiritur, quod verè, vel falsè affirmetur, vel negetur de ſubiecto: ſed quod affirmatio, vel negatio non ſit contra eſſentiam ſubiecti, & contingentèr ſe habeat prædicatum; prædicatum verò propriè neceſſariò debet conuenire ſubiecto.

QVÆST. II.

Vtrùm definitiones traditæ à Porphyrio de accidenti ſint bonæ?

1 CIrca primam, & ſecundam definitionem, prima ratio dubitandi eſt iſta. Bona definitio debet conuenire omnibus contentis ſub definito, ſed illa *accidens eſt, quod adeſt, atque abeſt à ſubiecto ſine ſubiecti corruptione*, non conuenit omnibus contentis ſub definito: ergo. Probatur minor, quia exiſtentia, & mors ſunt prædicabilia, tamen neque exiſtentia abeſſe, per intellectum, neque mors abeſſe poſſunt, abſque ſubiecti corruptione: ergo non conuenit omnibus contentis ſub definito. Secunda, oppoſita non poſſunt eidem rei conuenire, ſed hæc definitio datur per oppoſita, vt ſunt *adeſt*, atque *abeſt*: ergo non poſſunt eidem rei conuenire: ergo mala eſt definitio, quæ datur per ea, quæ non poſſunt definito conuenire. Tertia, de eſſentia vniuerſalis non eſt, quod poſſit negari de multis; ſed quod poſſit prædicari de multis. Sed hæc definitio datur per negari: ergo non explicat eſſentiam iſtius vniuerſalis.

2 Communis tamen ſententia eſt, prædictas duas primas de-

definitiones esse bonas. Sic Scotus quæst. 35. vniuersal. & Merinero cap. 6. de accidenti quæst. 2. num. 3. Probatur nam prima, & secunda definitio sunt eadem, vt notatum est, q. 1. num. 1. sed secunda est bona, scilicet, *accidens est, quod ineſſe, & non ineſſe eidem potest: ergo.* Probatur minor, quia facit istum sensum accidens est, quod per intellectum potest prædicari contingenter: ergo est bona. Probatur antecedens, quia modus contingentiæ explicatur per posse ineſſe, & non ineſſe eidē: ergo definitio quæ datur, per posse ineſſe, & non ineſſe eidem, datur per contingentiam. Præterea, quia prædicabilia differunt per modum prædicabilitatis, sed modus prædicabilitatis proprij, est, quod sit in quale necessariò: ergo modus prædicabilitatis accidentis est, quod possit prædicari in quale contingenter; sed modus contingentiæ est posse ineſſe, & non ineſſe eidem: ergo idem significant posse ineſſe, & non ineſſe eidem, ac contingenter: ergo sufficienter explicatur istud prædicabile, per posse, & non ineſſe eidem.

3 Ad primum respondetur, quodcumque subiectum posse considerari in duplici statu, vnus est ineſſe possibili, quod solet dici esse essentiæ: alter est in esse actuali, qui dici solet esse existentiæ. Existentia non est accidens subiecti existentis, potius est de essentiali ratione illius, sed respectu subiecti in statu possibilitatis est accidentalis existentia. Nunc concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem nego, quod existentia sit accidens respectu existentis, & sic non mirum, quod non possit separari absque corruptione subiecti. Si autem sermo sit de esse possibili, existentia est accidens prædicabile subiecti, sed nego, quod subiectum, vel essentia, corrumpatur per absentiam existentiæ. Idem per oppositum dicendum est, de morte, quia mors nil aliud est, quam corruptio existentis, & sic non potest abesse absque corruptione existentis. Potest tamen adesse, & abesse absque corruptione quidditatis, vel essentiæ, quæ est perpetua, siue existat, siue non.

4 Ad secundum respondeo, quod opposita in actu non possunt eidem conuenire, opposita autem in potentia, idest, potentia ad opposita successiuè, vel disiunctiuè, nego. Potentia accidentis ad essendum, & non essendum, non est ad actus simul, sed disiunctiuè ad essendum, vel non essendum, vel successiuè. Et hæc potentia est, quæ competit accidenti, quia cōpetit omni contingenti.

5 Ad tertium concedo maiorem, & nego minorem, quia ly *quod potest adesse, & abesse*, non significat prædicationem pure negatiuam, sed significat contingentiam, per quam differe

hoc

hoc prædicabile à reliquis; quæ contingentia optime explicatur, per posse *ad esse*, & *ab esse*, quare idem est quod dicere; accidens *est*, quod potest prædicari contingenter.

6 Circa 3.definitionem dubitabis, an sit bona? & videtur quod nõ: quia definitio bona, nõ debet dari per negationes: hæc datur per negationes: ergo. Secũdò, quia in fine definitionis dicitur, *semper tamen ineſt*, hæc particula est contraria alijs aliarum definitionum, nempè his, *adest*, *atque ab est*, *potest ad esse*, & *ab esse*: ergo.

7 Respondeo tamen cum Scoto quæst.35.vniuersalium. Et cũ Merinero cap.6.de accidenti, q.2.num.3.quod est bona descriptivè. Nam ly *semper tamen ineſt*, secundò intentionalitèr acceptum, *idem significat, ac semper accidentaliter prædicatur*. Aliæ particulæ negatiuæ, licet non sint simpliciter necessariæ, quia per *prædicari*, vt genus, & per *accidentaliter*, vt differentia, sufficienter erat definitum accidens prædicabile; ponuntur ad maiorem explicationem.

8 Ad primam rationem, nego minorem, quia illæ partieulæ non ponuntur (loquor de negatiuis) vt differentia intrinseca, sed ad maiorem explicationem, vt modo diximus. Ad secundum negatur, hanc definitionem esse contrariam alijs, nam ly *semper tamẽ in est* non dicit in definitione actũ, sed aptitudinem: quare idem valet, ac dicere, semper potest accidentaliter prædicari de subiectis.

QVÆST. III.

Vtrùm accidens sit quintũ prædicabile in ordine ad subiecta, quibus ineſt?

1 TOrrejon cap. de accidenti disput.5.quæst.2. substinet, accidens respectu suorũ subiectorum, neque vniuersale, neque prædicabile esse. Primò, quia ad rationem vniversalis requiritur, quod nomen, & ratio significata per nomen possit prædicari de multis. Sed, quando accidens v.g. *album* prædicatur de subiectis, nempe de Petro, & Equo, tantum prædicatur nomen, & non ratio significata per nomen: ergo. Minorem, in qua nititur hæc singularis sententia, solũ probat ex Arist. cathegoriarum cap.5.dicente: *eorum vero, quæ in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto nihil prohibet prædicari, rationem vero impossibile est prædicari. Secundarum vero substantiarum de subiecto ratio prædicatur, & nomen: rationes enim hominis, & animalis de quodam homine prædicabis.*

2 Item, quia vniuersale est v.g. vnum in multis, vel vnum multa; sed accidẽs respectu suorum subiecto

iectorum non est vnum multa: ergo. Probatur minor, quia accidens, ita respicit subiecta, vt non sit ea: ergo non est vnum multa. Tertiò: quia ad rationem vniuersalis, necessario requiritur, vt naturæ denominatæ à secunda intētione habeant in actu exercito, quod prædictæ secundæ intentioni debet competere in actu signato, nempè prædicari de pluribus, & esse in illis: Sed natura, quæ denominatur accidens, non habet in actu exercito prædicari de multis, & esse in illis: ergo. Probatur minor, quia albedo, v.g. quæ est in subiecto, est singularis, & in vno subiecto: ergo non est in multis, nec potest dici de multis.

3 Tandem, nam ad hoc, quod aliquod denominetur vniuersale, non est necessarium quod actu, & realiter non sit in illis de quibus prædicatur. Quia sat est, quod existentia illis non repugnet: vt patet de rosa in hieme: sed ad hoc: quod accidens sit prædicabile de multis subiectis, est necesse, quod actu & realiter existat in illis: ergo accidens, non potest esse vniuersale, vel prædicabile per ordinem ad subiecta.

4 Vera, & communis sententia est accidens esse, vniuersale distinctum à reliquis per relationem prædicabilitatis ad subiecta, in quibus inheret. Ita Scotus q. 34. vniuersalium. Merin. cap. 6. de accidenti q. 2. n. 6. estque communissima inter Scotistas, & Thomistas videatur cursus Carmel. disp. 4. q. 6. hanc conclusionem probo sic. Primò, ex Arist. 1. Peryherm. dicente: *currit vero verbum consignificat enim nunc esse, & semper eorum, quæ de altero dicuntur nota est, vt eorum, quæ de subiecto, vel in subiecto sunt*: nota in subiecto sunt; Petrus albus, & equus albus conveniunt in ratione albi concretivè: ergo ab illis potest abstrahi ratio albi cōcretivè, in quo conveniunt, & super illam potest intellectus causare relationem rationis ad subiecta, in quibus sunt hæc albedo, & illa albedo: ergo nil deficit albo, vt sic, vt sit quintum prædicabile respectu suorum subiectorum. Quod patet, quia album, vt sic abstractum, est aliquid commune, & est aliqua ratio significata per nomen *album*. Et vniuoca, quia verè reperitur in inferioribus connotando illa: & habet relationem prædicabilitatis de subiectis: ergo nil deficit illi ad rationem vniuersalis. Tandem in tantum est quintum, in quantum prædicatum est accidens, quod potest adesse, & ab esse à subiecto absque subiecti corruptione.

5 Ad primum nego minorem, nam in istis prædicationibus *Petrus est albus, equus est albus*, non solum prædicatur nomen, sed etiam albedo connotans subiectū, vt constat ex Arist. citato num. 4. Ad auctoritatem Aristot. dicitur, quòd Philosophus prædictis

vera

verbis solum intendit concreta accidentalia non posse prædicari de subiectis essentialitèr, sed solũ accidentalitèr, & denominativè; & hanc prædicationem accidentaliter, & denominativê in comparatione ad essentialem vocat secundum nomen, quia id, quòd prædicatur, non est, de essentia subiecti.

6 Ad secundum respondeo, quod ad rationem vniuersalis requiritur, quod sit vnum in multis, vel per identitatem, vel per connotationem. Accidens abstractum est vnum in multis per connotationem, quod sufficit ad vniuersale, sed adhoc, quod sit quintum requiritur, quod sit non idem essentialitèr, & realitèr, sed per cõnotationem tantum, ad subiecta.

7 Ad tertium nego minorem. Ad probationem dico, quòd licet in subiecto singulari sit vnũ accidens numero, & in alio subiecto sit aliud, tamen ab hoc albo, & illo potest abstrahi ratio albi, in qua conueniunt, & ista ratio abstracta, est quæ denominatur vniuersale, non illæ singulares ex quibus abstrahitur.

8 Ad vltimum respondeo, cum Subtili Doctore 2. distinct. 3. q. 1. quod ad rationem vniuersalis, non solum requiritur, quod possit dici de pluribus, sed quod possit dici vere de illis à quibus abstrahitur; quare necesse est, quod vniuersale materiale reperiatur formaliter, vt vniuocum in inferioribus, de quibus prædicatur, vel per identitatem, vt in genere, specie, differentia, & proprio; vel per connotationem, & existentiam, vt in accidenti.

QVÆST. IV.

Vtrùm inhærentia sit de essentia accidentis prædicamentalis?

1 ILlud, quod denominatur accidens, quid commune est accidenti absoluto, & relatiuo, & absolutum ad quantitatem, & qualitatem; & quamvis hæc quæstio potest disputari post prædicamentum substantiæ, etiam hic satis conuenienter disputatur.

§. I. *Exponũtur termini quæstionis.*

2 IN ista quæstione, sunt isti termini *inhærentia, essentia, & accidẽs*: circa primum aduertendum est cum Scoto 4. dist. 12. q. 1. § *Ad quæstionem*. Inhærentiam esse in duplici differẽtia, vna est actualis, quæ consistit in vnione actuali accidentis ad subiectum: Alia aptitudinalis, quæ est aptitudo, & inclinatio illius, quod denominatur accidens ad inhærendum actualiter.

3 Quantum ad secundum aduertendum est cum Scoto 7. Me-

Metaph. q. 1. quod aliquid poteſt dici eſſentia alterius dupliciter, vno modo, quia eſt pars quidditatiua eius, vel tota quidditas, vt animal, & rationale reſpectu hominis. Alio modo, quia pullulat ab eſſentia: vt riſibilitas dicitur de eſſentia hominis, quia pullulat ab eſſentia.

4 Circa tertium eſt aduertendum cum Scoto 4. d. 12. quæſt. 1. § *Ad quæſtionem*: quod *accidens* eſt nomen concretum dicens vnũ de formali, & per ſe, & alterum de materiali, vel denominato. De materiali, & connotato dicit id, quod denominatur accidens. De formali vero, & per ſe, dicit accidentiam actualem, quæ conſiſtit in relatione actuali, qua denominatur accidens ad ſubiectum.

5 Ex explicatione terminorum apparet, quod ſenſus quæſtionis poteſt eſſe triplex, nam ſi accidens ſumitur pro per ſe ſignificato, primus ſenſus quæſtionis eſt, *vtrùm inhærentia actualis ſit de eſſentia, vel profluens ab eſſẽtia, illius, quod per ſe ſignificat hoc nomen accidens*? Et in hoc ſenſu nõ eſt dubium, quòd actualis inhærẽtia eſt de eſſentia accidẽtis pro per ſe, & formali ſignificato. Sic Scotus loco citato. Et Merinerus cap. 6. de accidenti q. 4. num 7. & ratio eſt, quia accidentia, & inherentia actualis ſignificant eãdem formalitatem, quia ſunt ſynonima nomina: ergo ſunt idem eſſentialiter.

6 Si autem accidens accipiatur pro denominato, & materiali, ſenſus ſecundus quæſtionis erit. *Vtrùm inhærentia actualis ſit de eſſentia, vel profluens ab eſſentia illius materialis, quæ denominatur accidens*? Et in iſto reſpondendum eſt, quod nõ: quia illud, quod denominatur accidens poteſt eſſe ſine actuali inhærentia ad ſubiectum, ſicut in Euchariſtia quantitas eſt ſine actuali inhærentia ad ſubiectum panis: ergo actualis inhærentia non eſt de eſſentia quantitatis, neque accidentis pro denominato: quia idem non poteſt eſſe ſine ſua eſſentia.

7 Si accidens accipiatur pro denominato, & inhærentia accipiatur aptitudinaliter. Tunc tertius ſenſus quæſtionis eſt, vtrùm inhærentia aptitudinalis ſit pars quidditatiua illius; quod denominatur accidens? vel dimanet, & profluat ab eſſentia accidentis? Circa, quod eſt controuerſia inter Angelicũ Doctorem, & Doctorem Subtilem.

§. II. *Proponitur ſententia Sancti Thomæ, & probatur.*

8 ANgelicus Doctor 4. ſ. d. 18. q. 1. & de ente, & eſſentia cap. 1. affirmat; quem ſequuntur ſui diſcipuli Capreolus in 4. d. 2. q. 1. ad 2. Caiet. de ente, & eſſentia cap. 7. q. 15. Iabellus 7. Metap. q. 1. & alij plures. Probatur primo, ex Ariſt. 7. Meraph. text.

text.2.dicente: *accidentia non esse entia, sed entis* (ideſt ſubſtantiæ) *entia*: quaſi dicat accidens non habet eſſe completum in ſe, niſi per ordinem ad ſubſtantiam. Et 4.Metaph. textu 2.ait: quod ens dicitur de ſubſtantia, & accidenti, ſicut ſanum de vrina, & ſanitate, quæ eſt in animali: Sed ſanum in vrina nil aliud eſt niſi habitudo ad veram ſanitatem; ergo accidēs nil aliud eſt eſſentialiter; niſi habitudo ad ſubſtantiam.

9 Item rationibus: Prima: eſſe per ſe eſt de eſſentia ſubſtantiæ: ergo eſſe in alio eſt de eſſentia accidentis. Probatur conſequentia, quia ſicut ens contrahitur ad eſſe ſubſtantiæ, per *per ſe*, ita contrahitur ad eſſe accidentis, per *in alio*. Secunda: quia ſi inhærentia aptitudinalis non eſt de eſſentia accidentis: ergo accidens poteſt definiri ſine ordine ad ſubſtantiā, ſeu ſubiectum: quod eſt contra Ariſt.7.Metaph. c.3.

10 Tertia, ſi inhærentia aptitudinalis non eſt de eſſentia accidentis: ergo ſequitur proceſſus in infinitum: probatur ſequela, nam ſi inhærentia non eſt de eſſentia accidentis: ergo eſt accidens illius, & conſequenter inhærebit in illa per aliam inhærentiam, & illa alia per aliam, & ſic in infinitum. Quarta, illud eſt de eſſentia alicuius, quod per intellectum, non poteſt ſeparari: ſed eſt impoſsibile inhærentiam aptitudinalem ſeparari poſſe ab accidenti adhuc per intellectum: ergo inhærentia aptitudinalis eſt de eſſentia accidentis. Minor probatur ex Ariſt.1. Phyſicorum dicente: *intellectus quærens ſe gregationem accidentis à ſubiecto, quærit impoſsibilia.*

§.III. *Proponitur ſententia Scoti, & probatur.*

11 SVbtilis Doctor in 4. diſt. 12.q.1.litt.F.num.23, dicit, aptitudinem ad inhærendum non eſſe de eſſentia accidentis, ſed eſſe proprietatem ſupponentem eſſentiam accidentis ſumpti pro cōnotato, à qua dimanat, & profluit. Hanc ſententiam etiam docuit 7.Metaph.q.1. ipſum ſequūtur ſui diſcipuli. Rada tom. 4. controverſia 10. Philippus Fabor in 4.diſp.47. cap.3. Merinero c. 6.de accidenti, q.4.n.12. & ex alijs Soncinas 7.Metaph.q.1.

12 Ad cuius intelligentiam advertendum eſt cum Scoto, loco citato §. *Ad argumenta* n.23. quod eſſe per ſe in ſubſtantia duos dicit conceptus obiectivos; vnus eſt poſitivus ſtantis per ſe, alter eſt negativus aptitudinis ad eſſendum in alio. Et eſſe in alio, dicit alios duos conceptus, vnus eſt aptitudo ad eſſendum in ſubiecto, oppoſitus contradictorie negationi eſſendi in alio, quæ eſt proprietas ſubſtantiæ, alter eſt radix à qua oritur aptitudo ad eſſendū in ſubiecto; & iſte conceptus op-

ponitur contrariè conceptui *per ſe* ſubſtantiæ in prima acceptione poſitiua, & radicali. Et ſic eſſe in alio radicaliter, eſt de eſſentia accidentis pro denominato: aptitudo vero eſt proprietas dimanans ab eſſentia accidentis pro denominato.

13 Nunc probatur concluſio primo *per ſe* ſumptum negatiuè pro negatione aptitudinis ad eſſendum in ſubiecto, eſt proprietas ſubſtantiæ, quia ſupponit radicè: ergo aptitudo ad eſſendum in ſubiecto oppoſita illi negationi eſt proprietas accidentis pro denominato, quia ſupponit radicè: ergo non eſt de eſſentia accidentis pro denominato.

14 Secundò, quia omnis aptitudo alicuius ſupponit illud obliquum, cuius eſt aptitudo: ergo iſta aptitudo accidentis ad inhærendum ſupponit accidens, cuius eſt hæc aptitudo. Tertiò, quia omnis inclinatio naturalis ſupponit illud, cuius eſt illa inclinatio: ſed aptitudo naturalis accidentis ad inhærendum eſt inclinatio naturalis ad ſubiectum: ergo ſupponit eſſe completum accidentis.

15 Quartò probant noſter Antonius Andreas, & Soncinas: quia illud eſt de eſſentia, & quidditate alicuius rei, ſine quo res illa intelligi non poteſt; ſed quantitas intelligi poteſt ſine aptitudine ad inhærendum: ergo non eſt de eſſentia quantitatis. Minor patet, quia Mathematicus conſiderat eſſentiam quantitatis ſine habitudine ad ſubiectum.

§. IIII. *Reſpondetur argumentis.*

16 Ad primum dico, quod illa auctoritas Ariſt. ſolum dicit, quod accidentia materialia dependent à ſubſtantia, quod concedo, ſed non dicit, quod dependentia actualis, & aptitudinalis ſunt de eſſentia accidentis.

17 Ad ſecundum dicit Scotus, quod ſecundum Damaſcenum ſimilitudo non debet currere ad quatuor pedes; nam, quod eſt ſimile in omnibus, eſt idem, & non ſimile: quarè exemplum in aliquo eſt ſimile, & in aliquo diſimile: in propoſito, ſimilitudo ſtat in hoc, quod ſicut vrina dicit ordinem ad ſanitatem veram, ita accidens dicit ordinem ad ſubſtantiam; diſſimilitudo autem ſtat in hoc, quod in vrina non eſt aliqua ſanitas abſoluta, quæ poſſit dici formaliter ſana. At in accidenti eſt aliquod, quod ſit formaliter ens: quia non eſt nihil. Vndè licet accidēs dicat habitudinem ad ſubſtantiam, non ſequitur, quod illa habitudo ſit pars quidditativa accidentis pro denominato.

18 Ad primam rationem reſpondeo, quod accipiendo *per ſe* prout eſt radix negationis eſſendi in alio, eſt de quidditate ſubſtantiæ, ſed vt dicit illam negationē, eſt proprietas. Sic ſimiliter accipiendo in alio radicaliter, &

contrariè concedo, quod est de essentia accidentis, sed accipiendo *in alio* pro aptitudine oppositæ negationi aptitudinis ad essendum in alio, dico, quòd est proprietas, vt ostensum est.

19 Ad secundam rationem respondeo, quod accidēs pro denominato potest definiri sine habitūdine ad subiectum, vt patet de quantitate, & qualitate, albedine, & nigrēdine. At accidens formaliter siuè actuale, siue aptitudinale sine ordine ad subiectū, vel substantiam complete definiri non potest, quia accidens formaliter est relativum. Ad probationem dico, quod Arist. loquitur de accidente formaliter accepto.

20 Ad tertiam respondeo primo, quòd non est ad rem, quia procedit de inhærentia actuali, de qua non est quæstio. Secundò, respondeo; negando sequelam, quia inhærentia actualis est inhærentia, vt *quo*. Et sic non indiget alia inhærentia, vt inhæreat; sicut existentia non indiget alia existentia, vt existat: quia est vt *quo*.

21 Ad quartam respondeo, quod est separatio præcisiva, & negativa; Argumentum procedere debet de separatione præcisiva, Concedo maiorem, & nego minorem, nam tota essentia quantitatis potest cognosci, cognitione præcisiua, sine aptitudine ad inhærendum, loquendo de accidenti pro denominato. Arist. loquitur de accidenti pro formali, secundum quam rationem dicit relationem accidentiæ actualis. Et est impossibile cognoscere relationem, sine termino, & esse relativum sine termino, quare est impossibile esse accidens formale, & actuale sine substantia terminante.

(?)

LIBER QVINTVS.

De ante Prædicamentis.

1 *Categoria* est nomen Græcum, quod licet prima sui impositione significet prædicatū: iam vsus logicorum illud extendit, ad significandum totam seriem, & coordinationem prædicatorū essentialium. Auctor istius libri fuit Arist. natione Macedo, & patria stagirites: constat esse Auctorem, quia in libris de demonstratione, & topicorū, ad hūc librū se refert.

P. Villaverde,

2 Finis Ariſt. fuit reducere omnes res mundi ad decẽ claſſes categoricas, vt ex eis poſſẽt facere propoſitiones. Aliqui dicunt, hunc librum non pertinere ad Logicum; ſed ad metaphyſicum. Sed in merito, quia ad vtrunque pertinet ſub diverſa ratione. Nã metaphyſicus agit de rebus contentis in prædicamentis, vt entia ſunt. Logicus autem, ſecundum quod ſunt prędicabilia de alijs inferioribus.

3 Obiectum iſtius libri adæquatum, eſt prædicamentum vt ſic. Quia habet duas conditiones requiſitas ad obiectum primum. Vna eſt quod cõtineat primo virtualiter ſuas proprietates. Altera eſt, quod continet ſub ſe omnia prædicamenta, de quibus hic agitur. Diuiditur iſte liber in tres partes. Prima eſt de ante prædicamentis. Secunda de prædicamentis. Et tertia, de poſt prædicamentis.

4 Intentio immediata Ariſt. in hac parte, eſt determinare, quæ ſunt ea, ex quibus componuntur prædicamenta; ad quod neceſſe eſt ſcire, quæ dicantur æquiuoca, quæ vniuoca, & quæ denominativa, & in quinque capita diuidi-tur.

CAP. I.

De æquiuocis.

1 Æ *Quiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ſecundũ vero nomen ſubſtantiæ ratio diuerſa, vt animal, homo, & quod pingitur. Horum enim nomẽ ſolum commune eſt; ſecundum vero nomen ſubſtantiæ ratio diuerſa. Si quis enim aſignet, quis ſit vtrumque eorum quo ſunt animalia, propriam aſignavit vtriuſque rationem ait Ariſt.*

2 Ad intelligentiam iſtius definitionis nota cum Boetio, & Tartareto ſuper hanc definitionem, quod Philoſophus nõ dixit *æquiuoca ſunt*, ſed *æquiuoca dicuntur*, quia res per ſe, neque ſunt vniuocæ, neque æquiuocæ, ſed per reſpectum ad vocem. Nota ſecundò, quod ly *ratio vero ſubſtantiæ*, ſignificat rationem, ſeu quidditatem ſignificatã per nomen, ſecundum ſignificationem inſtitutam primo à Politia. Tertiò, nota, quod ly *diuerſa*, non ſignificat diuerſitatẽ ſimpliciter in omnibus, ſed ſolum debet eſſe diuerſa ſecundũ, rationẽ ſignificarã per nomen, alioquin canis marinus, & domeſticus non eſſent æquiuoca, quia licet in ratione canis, ſignificata per vocem canis, ſint diverſi; ſed nõ in ratione animalis. Vndè in ratione canis ſunt æquiuoca, & æquivocata: & in ratione animalis ſignificata per vocem *animal* ſunt vniuoca, vniuocata.

Pro-

4 Probat Arist. suam definitionem esse bonam exemplo hominis veri, & hominis picti respectu animalis, nam respectu huius vocis *animal* conueniunt, sed in ratione significata per *animal* sunt diuersi, quod probat, quia si definiatur homo verus, ratio animalis significata per vocem *animal*, verè, & formaliter est in homine viuo. At si definiatur homo pictus, in eius definitione, neque in definito reperitur ratio animalis.

DVBIVM PRIMVM.

De æquiuocis.

1 VTrùm ad æquiuocationem sufficiat diuersitas in conceptu formali? An verò necessario requiratur in conceptu obiectiuo? Ferrara lib. 1. contra gentes cap. 34. dicit sufficere diuersitatem formalium conceptuum, ideſt, intellectionum. Probat, quia ly *Ratio* posita in definitione Arist. idem est, quod definitio, sed definitio est in mente: ergo sufficit diuersitas conceptionum mentalium. Secundo probat, quia ratio idem est, quod definitio significati per nomen, secundũ Sanctum Thomam 1. sententiarũ dist. 2. q. 3.

2 Sed hæc opinio non est sustinenda. Primò, quia contra Arist. in textu. Secundò, quia contra naturam entitatiuam eorum, quæ æquiuoca dicuntur. Primum patet, quia dicit Arist. in illa definitione *secundum vero nomen substantiæ ratio diuersa*. Quid est ratio substantiæ secundum quod significata per nomen? Non est conceptus formalis tãtum, sed etiam essentia: ergo. Item est contra rationem entitatiuam æquiuocatorum, quia in hoc distinguuntur æquiuocata, ab vniuocatis in re entitatiue, quod vniuocata conueniunt in re significata per nomen, quæ est eadem in illis. At æquiuocata non conueniunt in re significata per nomen, quia est diuersa in illis, sicuti vna in vniuocatis: ergo non sufficit diuersitas conceptuũ formalium actualium; sed requiritur simpliciter diuersitas in re obiectiua.

3 Respondeo dicendum, ad æquiuocationem requiri simpliciter diuersitatem in conceptibus formalibus intellectus, & in rebus æquiuocatis. Primo, quia vt dicit Arist. ratio substantiæ secundum nomen, hoc est significata per nomen, debet esse diuersa. Secundò, quia in re, vniuoca, & æquiuoca differunt penes hoc, quod ratio significata per nomen in vniuocis, est eadem: ergo in æquiuocis debet esse diuersa.

4 Ad fundamentum oppositę sententiæ. Respondeo, quod terminus *ratio* est indifferens, significat idem, quod forma; si illi addatur *nominis*, determinatur ad significandum definitionem, quia definitio est forma nominis con-

fusi

sus, eo quod significat distincte, quod nomen significat confuse. At quãdo illi additur *substantiæ*, tunc *ratio substantiæ*, significat rationem formalem obiectiuam, siue essentiam.

DVBIVM II.

De æquiuocis.

1 AN nomen æquiuocum dicendum sit vnum, vel plura? Huertos lib. 1. summularum, cap. 4. q. 8. art. 1. conclusione 1. dicit, non esse dicendum simpliciter vnum, quia licet vox materialis sit vna, secundum rationem formalem est plures, quia habet plures significationes, & attendẽdum est ad rationes formales.

2 Alij Thomistæ dicunt, *dicendum esse vnum nomen simpliciter, quia vnitas concretorum accidentalium desumitur ex vnitate subiecti, sed licet nomen æquiuocum formaliter habeat plures significationes, ex parte subiecti est vna vox: ergo. Maior probatur, nam licet Petrus habeat plures scientias, dicitur absolute vnus sciẽs. Hæc opinio est verior, & conformior Scoto in 3. d. 6. q. 2. vbi §. *Contra*, dicit, quod omnis prædicatio siue per se, siue per accidens, est respectu alicuius vnius. Et in ista vox *significat*, ly *vox* est subiectum, & quod dat vnitatem.

3 Ad argumentum respondeo, quod attendendum est ad rationes formales, quantum ad hoc, quod concreta accidentalia prius, & per se significant rationes formales; sed non quãtum ad numerationem, quia individua nõ sunt, vt individua, rationes formales, sed materiales, & faciunt vnum numero.

CAP. II.

De Vniuocis.

1 ISta est 2. pars primi capitis Arist. in qua definit vniuoca sic: *Vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & secundum illud nomen ratio substantiæ est eadem.* Vt homo, & bos, quod probat Arist. quia siquis diffiniat bobem, & hominem, in quantum sunt animalia assignabit eandem rationem vtrique, quia vterque est viuens sensibile: ergo nomen animal est vtrique commune, & ratio essentiæ significata per nomen animal est eadem in vtroque: ergo, &c.

2 Hæc definitio intelligenda est sicut illa æquiuocorum; nam nulla sunt vniuoca in se, sed per ordinem ad vocem, ideo non dixit Arist. vniuoca sunt, sed vniuoca *dicuntur*. Et *ratio substantiæ*, idem est, ac ratio essentiæ significatæ per nomen. Hic aduertes, quod æquiuoca, & vniuoca cõueniunt in hoc, quod habent nomen com-

commune, & in hoc differunt, quod ratio significata per nomen *æquiuocum*, nõ est eadem in æquiuocatis: At ratio significata per nomen vniuocum, debet esse omnino eadem in suis vniuocatis, & nota, quod dico omnino eadem, quia deficiente aliqua identitate, transiet ad æquiuoca, quia vniuocatio est perfectio, & æquiuocatio imperfectio, & pefectio secundum Dionysium 4. *de diuinis nominibus* ex integra causa est, & malum ex quocumque defectu.

CAP. III.

De Denominatiuis.

1 ISta est tertia pars primi capitis Aristot. in qua definit denominatiua dicens: *Denominatiua dicuntur quæcumque ab alio solo casu differunt, & secundum nomen habent appellationem. Vt grammaticus à grammatica; fortis à fortitudine.*

2 Ad intelligentiam istius definitionis, & definiti, nota, quod in denominatiuis sunt tria, vnum forma, aqua prouenit appellatio: secundum, res denominata: tertiũ, est ipsum denominatiuũ, vt in albo, est albedo, aqua paries denominatur albus: & est paries appellata; Et ipsum album, quod cum albedine habet conuenientiam in principio vocis, & differt ab albedine solo casu, vel cadentia. Præterea nota, quod hic definiuntur denominatiua, non pro materiali, & re denominata, sed pro formali, secundum quod conueniunt in forma, à qua habent appellationem, non in abstracto, sed in concreto. Et sic illa definitio æquivalet huic, *denominatiua dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio significata denominans, est eadem in illis.* Vt album assignando equum, & album assignando hominem. Et ratio est, quia si vtriusque assignes definitionem albi, in definitione vtriusque erit eadem ratio formalis definita.

3 Sed contra, si definitio Arist. est vera: ergo *homo* est denominatiuum, & prædicatur denominatiue. Probo consequentiam, quia *homo* solo casu differt ab humanitate, & ab ea sola accipit appellationem; sic sunt denominatiua: ergo. Respondeo negando consequentiam. Ad cuius solutionem nota, quod sunt denominatiua propria re, & nomine, & alia solo nomine: Ad denominatiua propriè requiritur simpliciter, quod forma, à qua denominãtur, & accipiunt appellationem sit per modum adiacentis; ad denominatiua in propriè, & solo nomine, sufficit, quod sit prima, & constitutũ, quamuis sit per modũ per se stantis. Humanitas est huiusmodi, propter quod homines sunt denominatiua nomine tenus, & impropriè.

4 Ad plenariam intelligentiam denominatiuorum, nota cum Tartareto ſuper hoc cap. §. *Secundum eſt tertio*, quod triplex eſt denominatio. Prima eſt ſecundum vocem tantum. Secunda eſt, ſecundum rem tantum. Et tertia ſecundum rem, & vocem ſimul. Denominatio ſecũdum vocem tantum, eſt cuius denominatiuum, ſeu concretum conuenit cum abſtracto in principio dictionis, & differt in fine: non tamen ſignificat idem cum eo in ſignificato principali, quemadmodum ſunt *ſtudioſus*, & *ſtudium*. Studioſus enim ſignificat virtuoſum, & ſtudium ſignificat exercitium, & laborem. Denominatio verò ſecundum rem tantum eſt, cuius denominatiuum conuenit in principali ſignificato cum abſtracto, ſed non in principio dictionis, vt ſtudioſus, & virtus. Sed denominatio ſecundũ rem, & vocem ſimul eſt, cuius concretum, & abſtractum conueniunt in principali ſignificato, & in principio vocis, ſed differunt in fine, *vt album*, & *albedo*. Et iſta definiuntur ab Ariſt. ad quæ requirũtur iſtæ conditiones. Prima, quod conueniant in ſignificato formali cum ſuis abſtractis. Secunda, quod conueniant in ſignificato vocis. Tertia, quod differant in fine.

5 Ex his inſtabis contra meã ſolutionem ſic. Sed homo, & humanitas conueniunt in principali ſignificato; ergo non ſunt denominatiua ſecundum nomen tantum. Reſpondeo, quod eo ipſo, quod non ſunt per modum adiacentis, quæ eſt prima radix denominativorum, dicẽdum eſt, quod ſunt denominatiua ſecundum nomen tantum ſimpliciter. Illa autem quæ ſunt adiectiua, & non cõueniunt in principali ſignificato vt ſtudioſus, & ſtudium, dicenda ſunt denominatiua ſecundum nomen tantum.

CAP. IIII.

De Analogis.

1 AD notitiam Analogorum, vel Analogatorum aduertendum eſt, quod ſunt aliqua, quæ in ratione formali conueniunt, & inter ſe nullam proportionem habent, vt bos, & homo. Et iſta vniuoca dicuntur, vt viſum eſt. Sunt alia, quorum ratio ſignificata per nomen, diuerſa eſt in vtroque, & inter ſe nõ habent proportionẽ, & hæc æquiuocata dicuntur. Et tandem ſunt alia, quæ in ratione formali non conueniunt, ſed ratio ſignificata per nomen eſt diuerſa in illis: & tamen inter ſe habent aliquam proportionem ad minus vnius ad alterum. Et iſta dicuntur Analoga Analogata: quia nomen Græcum *Analogia* proportionem ſignificat.

2 Ex his deducuntur, quæ con-

cõditiones ad analogata requirantur, vt inde possint definiri, vel describi. Prima conditio est, quod significentur nomine communi, in qua conueniunt cum æquiuocis, & vniuocis. Secunda est, quod ratio substantiæ significata per nomen commune, non sit eadem, sed diuersa in omnibus analogatis, & per hanc analogata conueniunt cum æquiuocatis, & differunt ab vniuocis vniuocatis. Hanc conditionem expressit Arist. 1. ethicor. cap. 5. dum dixit: rationem boni, quæ in honesto, vtili, & delectabili reperitur, esse diuersam in eis, his verbis: *Honoris, prudentiæ, voluptatis, boc ipso, quod bona sunt, diuersæ sunt rationis. Ipsum ergo bonum non est quid commune vna idea, &c.*

3 Tertia conditio est, quod inter rationes substantię diuersas, quæ in ipsis analogatis sunt, sit, vt ipso nomine significantur, aliqua proportio; & per hanc differunt analoga ab æquiuocis, quam conditionem expressit Arist. loco citato. Vbi postquam dixit rationẽ boni, quæ in vtili, delectabili, & honesto reperitur, esse diuersam in eis, sic inquit: *At quo nam modo dicendum? non enim hisce similia sunt, quæ nomine eodem fortuito nuncupantur. Dicuntur igitur, quia sunt ab vno, aut ad vnum omnia conferuntur? an comparatione potius rationum?* Ad intelligentiã istius textus aduerte, quod terminus æquiuocus est ille, qui fortuito, vel à casu significat plura diuersa sine aliqua similitudine. At terminus æquiuocus à consilio est analogus. Dicit ergo Philosoph. quod analoga non sunt similia æquiuocis, idest, his, quæ nomine fortuito nuncupantur, & inde deducit, quod sunt analoga, aut quia sunt ab vno, aut quia ad vnum omnia conferuntur, aut quia rationes ad vnum comparantur.

4 Vno exemplo apto, & communi hæc omnia explicantur. Nomen *sanum* à consilio est analogum, & de formali significat sanitatem, quæ reperitur in homine, in vrina, & medicina. Sanitas inconcreto est analogum passiue, sed homo, vrina, & medicina sunt analogata passiue secundum sanitatem, significatam illo nomine communi *sanum*. Vbi primo reperies, quod nomen *sanum* est commune, quia significat sanitatem hominis, sanitatem vrinæ, & sanitatem medicinæ. Secundo reperies, quod sanitates istæ se habent diuersimode, nam in homine est verè, & formaliter: in medicina non est formaliter, sed causaliter; & in vrina non est sanitas formaliter, sed significatiuè. Tertio reperies ordinem, quem dicunt sanitas vrinæ, & sanitas medicinæ, ad sanitatem hominis, & in isto ordine aliqualis similitudinis, & proportionis inter illas sanitates ad principalem, quæ est in homine, consistit formaliter analogia.

5 Cumque nomen *sanum* primo impositum fuisset ad significandum sanitatem, quæ formaliter est in homine, & homines vidissent, quod medicina causat sanitatem, & quod est sana causaliter, item quod vrina significat sanitatem formalem in homine existentem, & quod erat sana significatiue, & recognoscerent illas sanitates dicere ordinem, non quemcumque, sed similitudinis, & proportionis, in quo stat analogia. Hinc habuerunt occasionem ad extendendum significationem *sani*, quæ erat vniuoca, respectu sanorum formaliter, vt significaret illas sanitates cum illa proportione, & fecerunt nomen *sanum* analogum, denominatione iproueniente ab analogia significata.

6 Et ad maiorem claritatem, & intelligentiam nominum analogorum, & significatorum eorum, aduerte, quod sicut nomen *simile* primo, & per se significat relationem similitudinis secundū doctrinam concretorum accidētalium, præcipuè si ponatur concretum pro prædicato, & de cōnotato significat id, quod dicitur simile: ita nomen analogum, v. g. *sanum* de formali, vt analogum, significat similitudinē proportionis, in qua stat analogia formaliter, & de cōnotato significat ea, quæ analoga dicuntur. Et sic primo, & per se significatum nominis analogi, vt analogum dicitur, est similitudo proportionis, & de connotato significātur analogata. Ex quibus habes, quod analogata ad minus debēt esse duo;

7 Ex dictis conditionibus ad analogata requisitis, deducitur ista definitio, vel descriptio eorū: *Analoga analogata sunt illa, quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen est diuersa in illis, cum aliqua tamen similitudine proportionis vnius rationis significatæ ad aliam.* Vt patet in nomine *sanum*, & significatis à consilio, nā homo, vrina, & medicina dicuntur sani: & ratio significata nomine *sanum*, nempè sanitas, diuersa est in omnibus, vt dictum est, & est similitudo proportionis ad sanitatem hominis, à qua vrina, & medicina dicūtur, & denominantur sanæ.

QVÆST. I.

Vtrùm sit analogia inæqualitatis.

1 THomistæ, vt defendant ens esse analogum respectu substantiæ, & accidentis inuentores fuerunt analogiæ, quam dicunt inæqualitatis. Dicunt itaq; species cuiusuis generis esse analoga analogia inæqualitatis, quia licet animalitas, v. g. importata, & significata per nomen animal, æqualiter sit in homine, & equo, vt hoc nomine animal significatur, perfectius tamen reperitur in homine ratione principalioris differentiæ, quam in equo. Vnde dicitur

citur hominem esse perfectius animal equo.

2 Ex quo deducunt cum Caietano istam definitionem analogorum inæqualitatis. Analoga inæqualitatis sunt illa, *quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen, licet vt sic sit eadem simpliciter in omnibus inferioribus, illam tamen inæqualiter participant ratione differentiarum contrahentium.*

3 Dicitur autem, inquiunt, hæc analogia Physica, non Logica, quia apud logicum, qui tantum vnam rationem abstractã, & communem præcipue considerat, non sunt membra illa inæqualia, quia in ratione communi animalis homo, & equus non habent inæqualitatem. Physica verò dicuntur, quia illa inæqualitas, qua homo perfectius animal dicitur, ratione differentiæ, scilicet, rationalitatis, non conuenit animali, nisi quatenus physicè in homine cum rationalitate identificatur, ideoque vocatur à S. Thoma analogia secundum esse, per ly *esse* existentiam intelligens, quia in indiuiduis existentibus, hominis, & equi, hæc inæqualitas reperitur.

4 Etsi ab eis quæras, Vtrùm ista analogia sit media inter vniuocationem, & æquiuocationem? Respondent, vt videre est apud Didacum à Iesu disp. 11. q. 1. in Logica §. *Analoga ergo.* Hanc analogiã à vera vniuocatione non recedere, vtpotè, quæ in genere, & speciebus, quæ omnino vniuoca sunt, reperitur: quia illa inæqualitas differentiarum non significatur illo nomine cõmuni, & generico, in quo species cõueniũt. Vnde ratio importata per illud nomen omnino est eadem in inferioribus.

5 Circa istam quæstionem primo supponenda sunt certa, & in quibus conueniunt Thomistæ, & Scotistæ: certum est, quod differentiæ contrahẽtes aliquam rationem communem sunt inæquales in perfectione, nam differentia spiritualis, quę contrahit substantiam, perfectior est, quam differentia corporea, ipsam substantiam contrahens, & consequenter natura specifica constituta ex substantia, & differentia spirituali perfectior est, quam species constituta ex substantia, & differentia corporea, & consequenter inter istas species est ordo inæqualitatis in perfectione; tamen ratio substantiæ reperta inter istas species, est eadem secundum se, & secundum se intrinsecè, & quidditatiuè non est perfectior in vna specie, quam in alia, quia illæ rationes differentiales sunt totaliter extra quidditẽs substantiæ, vt sic, eo quod supponunt illam. Idẽ reperies in differentijs contrahentibus animal, & constituentibus hominem, & equum, & ratio est, quia natura intendit varietatem specierum, ad quod est necessaria varietas differentiarum constitus

stituentium. Ex quo necesse est, quod species sint inæquales in per se ratione. Propter quod Aristot. dixit: *Quod species sunt sicut numeri*: nam sicut numerus quaternarius est perfectior ternario; ita vna species est perfectior altera. His certis suppositis.

6 Quantum ad quæstionem respondeo, non esse analogiam inæqualitatis. Hanc conclusionem probo ex definitione analogiæ, incommuni, quam afferunt Thomistæ, vt videre est apud Didacum à Iesu Thomistam acrem disput. 11. quæst. 1. §. *Ex quo facile* vbi sic inquit: ex quo facile erit definire, quid sit analogum incommuni: *Est enim nomen quodam commune pluribus, sub ratione vna, secundum quid, non simpliciter: vna inquam proportione, habitudine, aut comparatione tantum.* Sed nomen *animal* est commune homini, & equo sub vna ratione, non secundum quid, sed simpliciter, & non proportione; & inter hominē, & equum est diuersitas: ergo inter illos non est analogia diuersitatis. Patet, quia quod sub analogia vt sic non non cadit, in eo nec reperitur analogia diuersitatis.

7 Eandem conclusionem probo ex conditionibus simpliciter requisitis in analogia, vt sic. Vna est, quod ratio significata per nomen analogum, non sit eadem simpliciter in analogatis: sed in analogatis, quæ dicuntur à Thomistis diuersitatis, v. g. homo, & equus, ratio significata per nomen *animal*, est eadem simpliciter in illis secundum se, licet sint diuersa per differentias, & specie: ergo ista analogia diuersitatis, non cadit sub analogia, vt sic. Est ergo ficta, & chimerica ad turbandum intellectus.

8 Alia conditio est suppositio, quod ratio significata per nomen *analogum* nō sit simpliciter in analogatis, habeant inter se aliquam similitudinem vnius ad alterum, vt sanitas vrinæ ad sanitatem hominis, hoc enim dicit analogia: nā vox *analogia* imposita fuit ad significandum similitudinem aliquā sinè proprietate; sed hæc vox *animal* non significat aliquam similitudinem, sine proprietate inter equum, & hominē: sed potius significat propriam rationem animalis repertam in inferioribus, quia supponit personaliter: ergo analogia diuersitatis, non est analogia, sed est suppositum fictum.

9 Et quidem, quod analogia vt sic petat, quod in analogatis ratio significata per nomen, non sit eadem simpliciter, & per proprietatem, sed per similitudinem, Patet ex Augustino tract. 80. in Ioannem, qui super illa verba saluatoris, *ego sum vitis* relata à Ioanne cap. 15. sic inquit: *Quid ergo est, ego sum vitis vera? nunquid addens vera, hoc ad eā vitē retulit, vnde ista similitudo trāslata est? sic enim dicitur vitis per similitudinē*

non

nõ per proprietatẽ ; quemadmodũ dicitur ouis, agnus, leo, Petra, lapis angularis, & cætera huiusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus dicuntur istæ similitudines, non proprietates.

10 Itaque nomen *vitis* primo impositum fuit ad significandum vitẽ [vineæ, quæ est vitis propria, cuius proprium est producere palmites, & per sucum eius physicum conseruare eos in viriditate, vt fructum afferant: cum per merita Christi Domini, gratia per Christum Dominum hominibus communicetur, & per sucum gratiæ hominis in viriditate gratiæ poleant, & fructum afferant, propter istam similitudinem, nomen *vitis* translatum est à Christo, vt significaret ipsum Christum secũdum illam similitudinem, non per proprietatem. Et sic nomen *vitis* analogum factum est, quando dixit: *ego sum vitis*, &c. Christus nõ est propriè vitis, sed solum habet aliquam similitudinem cum vite; ergo significatum per nomen analogum vt sic, non debet esse propriè, & vere in analogatis vt sic, sed solum per aliqualem similitudinem.

11 Ex ista doctrina Augustini deducitur definitio analogatorũ vt sic, hoc pacto. *Analoga analogata dicuntur illa, quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen non est eadem simpliciter, & proprie in omnibus illis; sed tantum per aliquam similitudinem.*

12 Et etiam deducitur, quod definitio analogatorum, quàm dedit Caiet. opusc. de Analogia, quam amplectuntur Thomistæ; nempè, *Analoga dicũtur ea, quorum nomen est commune ratio vero substantiæ secundùm illud nomen, neque omnino eadem, neque omnino diuersa, sed partim eadem, & partim diuersa.* Esse improbam, & fictam: quia nullum est nomen analogum, quod significet per se aliquam rationem vnam, adhuc partialiter in suis analogatis.

QVÆST. II.

Quotuplex est analogia?

1 REspondetur, quòd est duplex, vna est proportionis, alia proportionalitatis. Differunt in hoc, quod analogia proportionis est similitudo vnius ad aliud, quorum vnum habet formã significatam per nomen, propriè, alterum autem habet illam impropriè, vt est ordo sanitatis vrinæ ad sanitatem animalis. Vndè analogata proportionis sunt illa, *quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen non est eadem simpliciter, & propriè in illis, sed per aliquam similitudinem*; & sic reliquum analogatum dicit similitudinem ad principale analogatũ, in quo reperitur propria ratio significata per nomen, in alijs autem per attributionem

rionem, vel per denominationem prouenientem à principali analogato.

2 Analogiam proportionalitates dicunt esse proportionem inter duas proportiones, vt nomine communi significantur. v.g. inter hominem, & risum est proportio, item inter pratum, & suũ florere est proportio, sed proportio in risu inter pratum, & suum florere dicit ordinem similitudinis ad risum hominis, à qua accipit denominationem risus pratus. Vndè iste terminus *risus* dicitur analogus analogia proportionalitatis: quia transfatum est ad significandum risum improprium prati, hæc quidem analogia nil aliud est, quam proportio proportionum, vel inter duas proportiones. Sicque debet versati inter quatuor terminos, qui sunt duarum proportionum.

CAP. V.

De Ente.

HIc introducta est disputatio de ente, huius introductionis solum potest esse ratio, quod ordine doctrinæ incipiendum est à superioribus, cunque hic agatur de prædicamentis, & ens sit superius ad prædicamenta; ideò agitur hic de ente: de quo est prima quæstio.

QVÆST. I.

Vtrùm ens includatur in modis per se, & in alio?

1 AD intelligentiam quæstionis oportet exponere terminos eius. Terminus *ens* significat esse positiuum, prout opponitur nihilo. Includi, idem est, quod imbibi formalitèr, sicut animal imbibitur formalitèr in homine. Modus est ille, qui modificat rem. Sunt quidem duo modi entis finiti, vnus est *per se*, alter est *in alio*, modus *per se* modificat ens finitum, & facit esse substantiam; nam substãtia *est ens per se*. At modus *in alio* modificat ens finitum, & facit esse accidens, nã accidens describitur sic, *est ens aptum ad essendum in alio*. His suppositis quæstio est, an ens includatur formalitèr in modis illis *per se*, & in *alio*.

2 Communis sentẽtia est inter Thomistas affirmativa. Ex S. Thom. 1. de veritate art. 1. & probant 1. ex Philosopho 3. Metap. textu 10. vbi probat ens non esse genus, hac ratione, nullum genus prædicatur de differentijs: Ens prædicatur de differentijs: ergo ens non est genus. Ex quibus verbis sic arguunt Thomistæ, vel Aristot. intelligit maiorem de prædicatione formali, & quidditativa, vel materiali, & idẽtica: si de prædicatione materiali, maior esset falsa.

falsa, quia generica identice, & materialiter prædicantur de differentijs. Si intelligitur de prædicatione quidditatiua: ergo eodē modo intelligitur minor, ne varietur suppositio: ergo ex mente Arist. ens prædicatur quidditatiue de differentijs: ergo includitur in illis.

3 Secundò: omne quod realiter cognoscitur esse, sub essentia reali, est vere ens reale. Sed differentia vltima vere est aliquid, cui competit esse, & vt sic ab intellectu cognoscitur: ergo differentiæ vltimæ vere imbibunt rationem entis. Tertiò; nam vltima differentia, quæ non est vlterius diuisibilis, vel opponitur contradictorie ad nihil. Et sic iam formaliter est ens, vel non habet repugnantiam cum nihil. Et sic erit nihil. Quartò, quia si quis apprehendit vltimas differentias, & vult explicare illas, primo confugit ad ens, dicendo est ens tale: ergo negari non potest, quod ens transcendit, & imbibitur in vltimis differentijs, & modis intrinsecis.

4 Per oppositum Scotistæ cū Subtili *Doctore* in 1. dist. 3. q. 2. §. *Secundo non asserendo*, tenent *ens quid* non includi in modis intrinsecis, neque indifferentijs vltimis. Sic Philippus Fab. theoremate 93. cap. 4. Noster Merinero de æquiuocis disp. 2. q. 1. num. 7. pro clara intelligētia nota, quod est ens *quid*, & ens *quale*, ens quid est illud, quod est potentiale, & contrahibile, & per modum per se stantis: ens autem quale dicitur illud, quod habet rationē actus, & determinantis.

5 Hæc distinctio entis *quid*, & entis *quale*, quā dedit Merinero magnum fundamentum habet in Philosopho 4. Merap. text. 28. & in Scoto in 4. dist. 1. q. 2. § *Tertio dico* sub num. 7. vbi dicit, quod definibile habet prædicatum in quid, & prædicatum in quale; id est aliquid commune, & aliquid differentiale: ergo definibile habet esse quid, & esse quale: ergo est ens quid, & ens quale.

6 Nunc dico primo: modus *per se* non includit formaliter *ens quid*, neque formaliter imbibit illud, quia ens, & modus per se, qui est differentialis immediatè modificans ens, & constituens substantiam, sunt primo diuersa. Hæc patet, quia modus ille est præcisè actuans, & determinans, sine aliqua potentialitate, vt modificetur ad esse substantiæ: & ratio entis est potentia præcisissime accepta, nihil includens actus determinativi ad esse substantiæ, & voluntas diuina coniungit ens cum illo modo per se, & producit substantiam: ergo ens, & per se, sunt primo diuersa: sed primo diuersorum vnum nō includit quidditative, & formaliter aliud: ergo ille modus per se non includit ens quid.

7 Secundo probo sic, de illo modo *per se*, quod constituit substan-

stantiam quæro, vel includit formaliter ens quid, vel non? si non, habeo intentum. Si sic: ergo est substantia prius in se, quam constituat substantiam. Et ita substãtia erit prius quam sit substantia. Probo consequentiam: quia substantia est ens per se: ergo si ly *per se* includit formaliter ens, erit ens per se; ergo substantia. Sed modus in suo esse modali est prius, quam contrahat, & determinet rem cuius est modus: ergo prius quam determinet ens ad esse substantiæ, ille modus *per se* erit substantia: ergo est substantia antequam sit substantia.

8 Dico secundò, differentiæ, quæ constituunt quidditates, vt rationalitas, non includit formalitèr ens *quid*. Probo sic: nullum, quod est *quale* includit formaliter illud cuius est *quale*, sed rationalitas est *quale* respectu entis *quid*: ergo non includit formaliter ens *quid*. Maior constat inductione. Minorẽ probo, quia quod est *quale* respectu prædicati *quid* inferioris, est etiam *quale* respectu prædicati *quid* superioris: directorum; sed rationalitas est *quale* respectu animalis, *quid*, cuius est *quid*, directè: ergo etiam est *quale* respectu viuentis *quid*, cui ens est quid, directè: ergo etiã est *quale* respectu viuentis substãtiæ, & entis.

9 Dico tertiò: contra Merinerum de æquivocis disp. 3. q. 1. n. 12. quod modi intrinseci, nempè *per se*, & *in alio*, & differentiæ, non includunt ens *quale* formaliter, & quidditativè. Primò, quia illi modi essent compositi, & non essent simplices conceptus obiectivi. Secundò: quia non essent conceptus obiectivi primò diversi, si quidem convenirent in aliqua ratione in *quid*. Tertiò, quia quæro, si includũt ens *quale* quidditativè, & formaliter: ergo dicũt ens *quale* inclusum, & illam realitatem, quæ includit ens *quale*. De illa realitate iucludente, quæro an sit nihil, vel aliquid positivum secundum se? Non est nihil: ergo est in se aliquid positiuum. De ista entitate positiva super addita, quæro vtrum includat entitatem positiuam entis *qualis*; non potest includere entitatem positiuam entis *qualis*, quia est præcisa, & in vltima resolutione: ergo non includit illam.

10 Dico quartò, quod sicut cõmunitèr dicunt auctores, quòd differentiæ individuales non habent aliquam rationem, quæ formalitèr includatur in illis, & quod ratio indiuidui, vt sic, non est in *quid*, alioquin non essent vltimæ differentiæ, neque primo diversæ; sed dicunt, quòd ratio indiuidui, vel potestas faciendi differre, est proprietas communis, in qua conveniunt. Ita ens *quale*, quod est *quale* respectu entis *quid*, non est in quid inclusum in entibus specialibus *qualibus*; sed ens *quale*, vt sic, est proprietas cõmunis eorũ.

¶ Et vt hoc percipias, quia satis Subtile est, aduerte quod *ens quid*, id est positiuum *quid*, opponitur nihilo *quid*: at ens *quale* opponitur nihilo *quali*. Secundò nota, quod ens, *quid* & ens *quale* sunt primo diuersa, quia *ens quid* est potētia, & ens *quale* est actus. Tertiò, nota, quòd via generationis percipit Deus ens *quid* oppositum nihilo *quid*, & in esse cognito transit ens finitum *quid*, de nihilo *quid* ad esse cognitū *quid*. Percipit etiam Deus modū *per se* ex quo, & ente fit substantia, & in esse cognito transit de nihilo *quale*, ad esse positiuum *quale*. Ens de se, & secundum se non includit ens *quale* illius modi *per se*: neque ens quale modi *in alio*, ex quo, & ente fit accidens, quia si *ens quid* in suo esse *quid*, includeret istos modos, sequeretur, quod vbicunque esset ens, esset formaliter substantia, & accidens. Item, quia nulla entitas simplex potest includere formaliter modos immediatè oppositos. Et tunc Deus per voluntatem suam coniungit ens *quid*, cum ente *quale*, scilicèt cum modo *per se*, & determinat substātiam. Patet, quod ens *quale*, vel ille modus per se non includit ens *quid*. Si quidem, vt sit idē cum ente *quid* indiget voluntate divina coniungente illa obiecta simplicia. Sic fit in progressu vsq; ad coniunctionem cum singularitatibus, & personalitatibus. Ex quo patet quod modi in quale, & differentiæ formales, & materiales, vt rationalitas, Petreitas, & personalitas non includunt formaliter ens *quid*. Neque includūt formaliter ens *quale*: quia Deus non facit compositionem inter entia qualia ex aliquo, quod formaliter includatur in illis, quia vnam quamque qualitatem simplicem percipit suo ordine se tenente ex parte obiecti cogniti, & simplicia non sunt composita; sed solum conueniunt in proprietate qualificandi, & faciendi differre: nam secundum Doctorem Subtilem in 2. dist. 3. q. 6. vers. *Respondeo*, ab vltimis differentijs, & modis intrinsecis nil potest abstrahi, quod de ipsis prædicetur in *quid*.

12 Ad argumenta, ad illud Philosophi respondetur, quod ibi procedebat, non resolvendo, sed solum disputationis gratia, vt in proœmio ipse Philosophus promisserat, & sic non est mirum, quod variaret suppositionem. Et sic illa minor ens prædicatur de differentijs, identicè est vera, & formaliter falsa.

13 Ad secundum respondeo, quod vnicuique, quod est, respondet esse, quod illi competit. Et sic ad minorem illam, sed differentia vltima vere est aliquid, cui competit esse *quale*, concedo minorē, cui cōpetit esse *quid* formaliter, nego minorem; & consequentiā. ¶ Ad tertium, vel vltima differentia opponitur nihilo, vel non habet repugnantiam cum nihilo?

Respondeo, quod modi intrinseci, & differentiæ opponuntur cõtradictoriè, cum nihilo *quale*, nõ cum nihilo *quid*. Et sic solum deducitur, quod habent esse *quale*, oppositum nihilo *quali*. ¶ Ad 4. respondeo, quòd cum modi intrinseci, & differentiæ vltimæ sint simplicissimæ, & primo diversæ, in nullo in quid convenientes, non possũt diffiniri per aliquid in quid & in quale. Explicantur tamen per circumlocutionem entis quale, non quia ens sit commune enti quid, & enti quale, quæ sunt primo diversa, sed quia aliter nõ possumus nos explicare.

14 Ex his habes, quod ens, *quid* est transcendens non ad modos intrinsecos, & differentias, sed tantum ad entia cõplerà, quæ directè continentur, subente, in istis solis includitur, & de istis solis prædicatur in quid, & formaliter, de modis, & differentijs, solum prædicatur identicè, & materialiter.

QVÆST. II.

Vtrum à substantia, & accidenti possit abstrahi vnus conceptus obiectiuus entis quid?

1 COmmuniter Thomistæ dicunt, quod non. Capreolus in 2. dist. 2. q. 1. Caiet. opusculo de ente, & essentia cap. 1. q. 2. & tract. de nominum analogia cap. 5. Vazq. 1. p. disp. 22. cap. 5. & disp. 114. cap. 2. & multi moderni, itèm curtus Carmel. disput. 11. quæst. 5. §. 1. qui alios multos citat, & inter eos D. Th. 8. Metaph. lect. 3. & lib. 10. lect. 3.

2 Tota hæc sententia fundatur in hoc, quod ens est analogum respectu substantiæ, & accidentis. Et ita hoc modo ab aliquibus defendi solet. Nam Arist. 4. Metaph. cap. 2. sic inquit: *ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad vnum, vnamque quandam naturam, & non æquiuoce, sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem.* Eandem doctrinam repetit 7. Metaph. cap. 4. Sed in vno ex analogatis ratio obiectiva significata per nomen, est verè, & formaliter, in aliis autem tantũ denominativè, & per attributionẽs ergo ratio entis solum est propriè & formaliter in substantia, at in accidentibus est solùm denominativè à substantia. Sed ab eo, in quo non est ens propriè, sed solũ per denominationẽm, non potest abstrahi conceptus obiectiuus proprius entis: ergo ab accidenti, non potest abstrahi conceptus obiectiuus *entis quid*.

3 Sed contra, quia de albedine quæro, an sit propriè ens, vel tantum denominativè. Si includit formaliter ens proprium, habeo, quod intendo. Si non includit formaliter ens proprium: ergo albedo in se est nihil, quia inter ens propriè, & nihil non est me-

medium. Item accidens secundum eos, non est ens propriè, sed tantum per denominationem. Sed febris est accidens: ergo febris, non est propriè ens, sed tantum denominativè. Quomodo tantum vexantur homines eo, quòd non est ens propriè, sed tantum per denominationem extrinsecam. Præterea, si frigiditas, non est ens absolutè, quarè isti PP. quærunt frigiditatem in potu? Et si calor non est ens absolutè, quarè quærunt calorem in hic me? Sunt ne eorum, qui nihil quærunt? Et quidem si dolor accidens est, & accidens, non est formaliter, & propriè ens, bapulandi sunt vsque fatunt, an dolor sit aliquid ens: Item sequeretur, quòd species Sacramentales non essent propriè aliquid.

4 Respondeo primò: quòd ens *quid* includitur propriè in accidenti. Probatur primò: quia frigus est causa physica, & realis frigefactionis, & calor est causa physica, & realis calefactionis; Sed non possunt esse causæ physicæ, & reales, effectuum realium nisi sint vere entia: ergo. ¶ Item, quia ipsi Thomistæ diffiniendo substantiam, dicunt esse *ens per se*; & definiendo accidens dicunt *esse ens in alio*. Isti modi *per se*, & *in alio* immediatè dividunt, & contrahunt ens, & *per se* cum ente constituit substantiam: ergo, ens in alio, constituit accidens: ergo accidens includit ens. Patet consequentia, quia omne constitutum includit ea, ex quibus constituitur, vnum ex his est ens, ergo accidens includit ens. Præterea, quia substantia, & accidens solum differunt per modos *per se*, & *in alio*; ergo conveniunt in eadem ratione entis. Sed substantia includit rationem entis *quid*: ergo, & accidens. Patet ergo, quod ens *quid*, & proprium reperitur formaliter in accidente.

5 Respondeo secundò: quòd à substantia, & accidenti potest abstrahi conceptu inadæquato ratio entis propria. Sic Scotus in 1. distinct. 8. quæst. 3. § *Sed hic est vnum dubium* sub num. 26. dicens: *Respondeo, quod quando intelligitur aliqua realitas cum modo suo, ille conceptus non est ita simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas absque modo illo, sed tunc est conceptus imperfectus illius rei. Potest etiam concipi sub illo modo: & tunc est conceptus perfectus illius rei.* Sed substantia completè addit supra ens modum *per se*: ergo conceptu inadæquato substantiæ potest concipi ratio propria entis, sine illo modo *per se*. Item, accidens completè addit supra ens *quid* illum modum in *alio*: ergo conceptu inadæquato accidentis potest concipi, & abstrahi ens *quid* sine illo modo *in alio*.

6 Præterea ab his, quæ conueniunt in aliqua vna ratione pro-

pria, & formali, poteſt abſtrahi illa ratio propria, & formalis cõceptu præciſo, & in adæquato, non conceptis rationibus per quas differunt. Sed ſubſtantia, & accidens conueniunt in ente, *quid* proprio, ex prima concluſione: ergo ab illis poteſt abſtrahi vna ratio entis propriè, *quid*, conceptu inadæquato: hæc ſententia eſt communis Scotiſtarum nemine dempto. Sed præter Scotiſtas illam tenent Capreolus in 1. diſtinct. 2. quæſt. 1. Iabelus in Metaph. 4. quæſt. 1. Magiſter Sotus hic, quæſt. 1. Suarez 1. tomo Metaph. ſect. 1. & 2. Fonſeca 4. Metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſec. 3. Didacus à Ieſu diſput. 11. quæſt. 5. § *Dico tertiò*. & alegant pro ſe D. Thomam de veritate quæſt. 1. art. 1. & de potentia quæſt. 7. art. 7. & 1. p. quæſt 5. art. 3. ad primum: vbi ait, quod ſubſtantia, quantitas, & qualitas contrahunt ens applicando ens, ad aliquam quidditatem, ſeu naturam. Sed contractio, & applicatio non poteſt intelligi ſine vnitate comunitate, & abſtractione conceptus obiectivi: ergo ens in abſtractione habet hanc vnitatem obiectivam Item Caberus tract. 4. diſp. 3. dub. 6. Hurtado diſp. 9. Logicali ſec. 3. §. 25. & in Metap. diſp. 2. ſec. 3. Zimel 1. p. q. 13. art. 1.

7 Confirmatur noſtra concluſio; quia *iſte prædicationes ſubſtantia eſt ens, accidens eſt ens*, vel habent pro prædicato vnum conceptum obiectiuum entis. Et ſic habeo intentum: vel habent pro prædicato plura entia propria in quid. Et tunc conuenire debent in ratione entis proprij vt ſic: vel ens, quod prædicatur de accidenti, eſt improprium, & per ſolã denominationem. Et tunc ſequitur, quod accidentia Euchariſtiæ non ſint propriè ens. Et quomodo nõ eſt propriè ens quantitas, quæ tangitur, albedo, quæ videtur, & ſapor, qui percipitur à guſtu. Itèm, ſequerentur illa inconvenientia poſita n. 3.

8 Item ſi nomen *ens* ſignificat plures conceptus obiectivos immediatè, & non vnũ: ergo ens nõ eſt medium in demonſtratione metaphyſica, quãdo probatur, quod verũ eſt bonũ. Patet quia mediũ in tali demõſtratione debet eſſe vnũ. Itẽ ſequeretur, quod ens non eſſet obiectum metaphyſicæ: quia metaphyſica eſt vna ſciẽtia habẽs vnum primum obiectum.

9 Si dicas eſſe obiectum attributionis, ad quod non requiritur, quod illa, quæ attribuuntur, ſint vere entia. Contra, accidens eſt obiectũ partiale metaphyſicę, vel eſt propriè ens quid. Et ſi ſic, habeo intentũ. Si dicas quod non, ſequũtur incõvenientia iam dicta.

10 Præterea, vel nomen *ens* inſtitutum eſt ad ſignificandum primo, & per ſe ens; vel ad ſignificandum primo, & per ſe ſubſtantiam, & accidens, & de connotato rationem entis. Vel ad ſig-

significandum accidens cum proportione ad substantiam? Respondet Cursus Carmelitanus, quod impositum est ad significandum substantiam, & accidens cum proportione. ¶ Sed contra, quia nomen *analogum*, ita significat analogata, quod significatum per se nominis, sit tantum propriè in principali analogato, & in alijs non sit propriè ratio significata per nomen, vt patet de nomine sanum; sed ratio entis propriè est in accidenti, & nomen *ens* significat esse: ergo non significat esse in propriè, & per attributionem.

11 Obijcit Ioannes à S. Tho. in Logica, q. 14. artic. 1. §. *Hoc supposito*, præcipuum fundamentũ Thomistarum, ens includitur in modis, & differentijs contrahentibus, qui sunt entia incõpleta: entia verò completa includunt formaliter ens, vt substantia, in qua ens completur per modum per se: ergo non dicit vnum conceptum simplicem, sed inæqualem, & diuersum, quia in vno significato includitur, & aliud significatum includit illum.

12 Respondeo primo negando, quod ens includatur in modis, & differentijs, quia vt ipse author dicit loco citato, differentiæ, seu modi contrahentes non resolvuntur in duos conceptus, alterum quatenus dicunt conuenientiam in aliquo, alterum quatenus differentiam, sed sunt simplex conceptus differendi: Aliàs esset processus in infinitum, si in qualibet differentia esset conceptus conueniendi in vno, & differendi in alio. Idem enim diceremus de illa secunda differentia: & sic de alijs, quæ ratio desumpta fuit ex Scoto in 1. dist. 3. quæst. 2. §. *Non asserendo*, ad probandum, quod ens nõ includitur in vltimis differentijs.

13 Secundò respondeo, quod quæstio non procedit de ente respectu entis completi, & incompleti, sed respectu entium cõpletorum, scilicet substantiæ, & accidentis, & supposito, quod ipse Ioannes à Sancto Thoma dicit, quod entia cõpleta sunt, quæ complẽtur ex ente, & modo, sicut substantia, & accidens, & quod entia cõpleta includunt ens. Sequitur, quod ab illis potest abstrahi vnus conceptus entis absolute, qui sit inadæquatus respectu substantiæ, & accidentis; de quo est quæstio.

14 Subtilius obijcit Didacus à Iesu disp. 11. q. 4. in primo, & 2. §. nam ens vi sua, & intrinsecè postulat hunc ordinem descendendi, vt primo descendat ad substantiam, & secundo ad accidens. Hæc est inæqualitas, quæ non reperitur in genere respectu differẽtiarum, quia communitas generis negatiua non petit prius descendere ad vnam speciem, quam ad aliam: ergo quamtumuis abstrahatur ens, semper habet imbibitũ illam diuersitatem, & sic non

est

test esse vnus conceptus abstractus, sed diuersus.

15 Respondeo, negando, ens postulare talem ordinem descendendi ad substantiam, & accidens, habet se enim negatiue quantum est ex se ad illos modos *per se*, & *in alio*. Ille ordo prioritatis, non petitur nisi ab entibus completis, quod sic declaro, & probo. Intendit Author naturæ *substantiæ*, & *quantitatis*, quæ sunt posteriora in intentione, sunt prioria in executione, & sic via executionis prius est substantia, quam quantitas. Vnde tota substantia in intentione petit, quod sit in actu, in actu fit per partes, quæ sunt causæ eius: Hæ sunt ens, & per se: ergo causa, quæ petit, vt ens descendat prius ad substantiam, quã ad quantitatem, non est ex parte entis, sed ex parte substantiæ. Et sic ens, vt ens non dicit nisi esse absolute sine prioritate, & posteritate, & sine æqualitate.

QVÆST. III.

Vtrùm ens sit Analogum substantiæ, & accidenti?

1 COmmunis sententia Thomistarum duo dicit: Primum, ens esse analogum respectu substantiæ, & accidentis: substantiamque, & accidens esse analogata entis. Secundum, quod ens absolute non est vniuocum substantiæ, & accidenti: substantiamque & accidens non esse vniuocata respectu entis. Sic S. Thomas 1. p. q. 13. art. 5. & de potentia q. 7. art. 7. & de veritate, quæst. 2. art. 1. & contra gentes cap. 32. & omnes Thomistæ antiqui, & moderni.

2 Et quod ens sit analogum substantiæ, & accidenti probant ex Arist. 4. Metaph. cap. 2. dicente: *Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad vnum, vnamque quandã naturam, & non æquiuoce; sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem.* Item 7. Metaph. inquit: *Accidentia sunt entia sicut Logici dicunt, non ens esse ens; non scibile, scibile. Et sicut vas dicitur salubre.* Ex prima authoritate arguitur sic, sicut se habet sanitas ad sanitatem hominis, & vrinæ, se habet ens ad substantiam, & accidens; sed sanitas est analoga, & sanitates analogata; ergo ens est analogum, & substantia, & accidens analogata. Ex secunda authoritate arguitur sic. Prima conditio analogatorũ est, quod ratio importata per nomen analogum formaliter reperiatur solum in primo analogato, in alijs verò, vel exrrinseca tantum denominatione, vel saltem per habitudinem, & ordinem ad præcipuum analogatum. Sed ratio significata per nomen *ens*, solum reperitur in substantia in accidenti verò solum de indiuiduatione extrinseca à primo analogato: ergo. Minor patet ex secunda au-

tho-

thoritate Aristot. *Accidétia sunt entia sicut Logici dicunt, &c.* & alibi dicit Philos. quod *accidentia sunt entis entia.*

3 Præterea arguit S. Thomas, illud est analogum, quod de vno ex inferioribus dicitur simpliciter, & de alijs secũdum quid; sed ens dicitur simpliciter de substantia, & de accidentibus secundum quid, ex Philosoph. in Metahysica passim: ergo ens est analogum substantiæ, & accidenti: & substantia, & accidens sunt analogata.

4 Præterea arguunt Recentiores ex definitione analogatorum, quam dedit Caietanus, analogata dicuntur ea, quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ per nomẽ significata, partim est eadem, partim diuersa; sed substantia, & accidens habent nomen commune entis: & ratio significata per nomen *ens*, partim est eadem, quia includitur ens in illis, & partim diuersa: quia diuersimode participatur in illis: ergo sunt analogata, & ens est illis analogum.

5 *Secundam conclusionem, nempè quod ens non est vniuocum, substantiæ, & accidenti.* Probant ex inconuenientibus, quia, si ens esset vniuocum substantiæ, & accidẽti, sequæretur, quod ens posset denominari genus, quod est contra Arist. 3. Metaph. textu 10. Patet sequela, quia ens esset vniuocum, & in quid, & nil amplius requiritur ad genus. Secundò sequeretur substantiam, & accidens non esse primo diuersa, quia conuenirent in ente formaliter. Tertiò sequeretur, posse poni ens explicite in definitione inferiorum suorum, quod est contra Aristot. 8. Metaph. tex. 16. patet sequela, quia ex eadem Arist. 2. Topicorum cap. 2. in definitionibus inferiorum, licet ponere omnia prædicata superiora, in quibus definita possunt vniuoce resolui. Et sic possemus dicere, homo est ens substantia animal rationale. Quartò sequeretur, accidens non posse definiri per ordinẽ ad substantiam, quod est contra Arist. 7. Metaph. cad. 1 Probatur sequela, quia quę vniuocè conueniunt in aliqua ratione, conueniunt etiam in definitione illius: & consequenter non poterit vnum per aliud definiri.

6 Secundo arguunt ex defectu conditionum, quæ ad vniuocationem requirũtur. Primò, quando effectus non adæquat virtutem causæ, nomen vtrique commune non dicitur de eis vniuoce, Sed accidens est effectus substantiæ, qui non adæquat virtutẽ substantiæ: ergo ratio significata per nomen non est eadem in omnibus; quæ est conditio simpliciter requisita ad vniuocationem. Secundo arguit Caietanus de ente, & essentia cap. 2. nullum vniuocatum in ratione sui vniuoci habet aliquid amplius, quàm alte-

rum

rum vniuocatum. Substantia, & accidens sunt vniuocata in ratione entis: ergo accidens non habet plus in ratione entis, quam substantia. Consequentia est falsa: ergo altera præmissarum, non maior, quia habetur ex ante prædicamentis: ergo minor est falsa; quæ est Scoti. Falsitas consequētis habetur 7. Metaph.

7 Vera sententia est illa Scoti, quæ duas conclusiones habet oppositas illis Thomistarum. Prima est, ens creatum *quid*, est conceptus obiectiuus vniuocus substantiæ, & accidenti, & consequenter substantia, & accidens sunt vniuocata enti *quid*. Secunda est, ens *quid* creatum non est analogum substantiæ, & accidenti, & cō sequēter substantia, & accidens nó sunt analogata enti creato. Sic subtilis Doctor in 1. dist. 3. q. 2. §. *Secundo non asserendo*, & q. 3. §. *Ad quæstionem*, & dist. 8. q. 3. §. *Teneo opinionem meam*. Scotum sequuntur omnes eius discipuli, Nominales, & eorum Princeps, Ochan. & Gabriel 1. dist. 2. q. 4. & Gregorius q. 8. Lichetus, & Tartaretus supra textum Scori. Andræas 4. Metaph. q. 1. Rada in 1. controuersia. 21. Philippus Faber Theoremate 95. Dominus Merinero Episcopus Valisoletani Cathegoriarum disp. 2. quæst. 3. num. 16.

8 Prima conclusio, nempè quod ens creatum est vniuocum substantiæ, & accidenti. Probatur facilè ex definitione vniuocis vniuocum est illud, quod habet nomen commune, & ratio significata per se, & directe per nomen, eadem proprie reperitur in inferioribus. Sed conceptus obiectiuus entis creati habet nomen cōmune, & reperitur idem proprie, & formaliter in substantia, & accidenti: ergo. Probatur minor. Primò, quia ens creatum contrahitur per modum *per se*, & ex ente creato proprie, & modo *per se* fit substantia: ergo substantia includit formaliter ens creatū *quid*. Item ens creatum *quid* contrahitur per modum *in alio*, & constituitur accidens: ergo accidens includit formaliter ens creatum *quid*, quia omne ens completum includit ea, ex quibus fit. Secundò probatur minor, quia, si accidens completum non includit proprium ens creatum, sed solum per denominationem: ergo accidentia Eucharistiæ non sunt ens proprium: ergo palpatur; tangitur, & videtur, & gustatur in Eucharistia, quod non est ens: vel sic positiue accidentia in Eucharistia tanguntur, videntur, gustantur: ergo sunt propriè ens. Patet, quod ratio entis creati reperitur in substantia, & accidenti.

9 Ex ista conclusione sequitur illa secúda pars, nempè, quod substātia creata, & accidens creatum sunt vniuoca vniuocata respectu entis creati *quid*. Probatur accipiendo pro maiori definitionem

inum vniuocatorum. Vniuoca vniuocata dicuntur illa, quorum nomen est commune, & ratio importata per se, per illud nomen, est eadem in illis, sed substantia, & accidens habēt nomē commune, scilicet ens *quid*, & ratio essendi, idest esse, significata per nomen *ens*, proprié, & formaliter reperitur in substantia completa, & in accidente completo constante ex ente, & *in alio*: vt probatum est manifestè: ergo sunt vniuocata, &c.

10 Secunda conclusio principalis, nempè, quod eus *quid* creatum, vel finitum nō est analogum respectu substantiæ, & accidentis. Probatur ex vera definitione analogi. Analogum dicitur illud, cuius nomen est commune, & ratio importata per se, per nomen non est eadem propriè in analogatis, sed in vno principali, & in alijs, vel per denominationem extrinsecam, vel per aliqualem similitudinem, & proportionem. Sed ens *quid* significatum per se, & absolutè nomine *entis* est propriè in substantia, & accidenti completis, vt manifestè probatum est. ergo non est analogum.

11 Ex ista secunda conclusione sequitur illa secundā pars, nempè, quod substantia completa, & accidens completum, non sunt analogata entis *quid* finiti. Quæ probatur, accipiendo pro maiori veram definitionem analogatorum; nam analogata dicuntur illa, quorum nomen est commune, & ratio importata per se absolutè, & simpliciter per illud nomen, non est eadem propriè in analogatis, sed in vno principali, & in alijs, vel per denominationē extrinsecam, vel per aliqualem similitudinem, vel proportionem. Sed ratio significata simpliciter, & per se per illud nomen *ens finitum*, est eadem propriè, & formaliter in substantia creata, & in accidente, vt manifestè probatum est: ergo non sunt analogata entis finiti.

12 Ad authoritatem Arist. ex 4. Metaph. ex qua sunt decepti aduersarij non intelligentes intentum Aristot. Respondet Scotus in 4. dist. 12. q. 1. litt. H. Similitudinem non debere currere ad quatuor pedes, quia vt docet Damascenus, *quod in omnibus est simile, idem vtique est, & non exēplū*; quare necesse est (inquit Scotus) in exemplis considerare simile, & dissimile. In proposito autē similitudo *sani* ad ens stat in hoc, quod sunt in vrina, & medicina est ordo essentialis ad animal in hoc, quod est dici *sanum*: ita, & ordo essentialis est inter accidens, & substantiā, in habere esse, eo quod accidens petit, quod ens sit prius in substantia: dissimilitudo autem stat in hoc, quod ratio substantiæ significata hoc nomine *sanum* solum in animali est actu, & formaliter, in vrina verò, & medicina, solum denominatiue extrinsece.

At ratio substantiæ significata per se hoc nomine *ens* formaliter, proprie, & intrinsecè est in substantia & accidenti. Quomodo poterat Arist. negare, quod calor, & frigus sint propriè entia?

13 Vbi valde notandum est, quod ordo cõtractionis entis petitus à substantia, & accidenti, nõ tollit, quod ens proprium sit contractum ad substantiam, & ad accidens, nec tollit, quod reperiatur proprie in substantia, & accidenti: & consequenter non tollit, quod ratio entis *quid* propriè reperta in illis abstrahatur conceptu vno obiectiuo inadæquato substantiæ, & accidenti; & quod illi ponatur nomen vnius cum significans illud vnum esse repertum proprie in substantia, & accidenti. Et ex similitudine, & dissimilitudine iam dicta patet solutio ad rationem fundatã in dicto Arist. *quemadmodum omne sanum ad sanitatem*, ita omnia accidentia ad substantiã, vel ad ens in substãtia, quantum ad ordinem dependentiæ, concedo: Quantum ad rationem formalẽ essendi, vel habendi rationẽ formalẽ, nego. Primum intendebat Arist. non secundum.

14 Ad authoritatẽ ex 7. Metaph. Respondeo, in illa solum negare Philosoph. accidens esse ens per se primo: sed non negat esse ens per se propriè, licet secundario, quod patet, quia 5. Metaphys. textu 14. diuidit ens per se, quod opponitur enti per accidens, ex rebus diuersorum prædicamentorum, nõ quod opponitur enti in alio, in substantiam, & accidens, sed cum hoc discrimine, quod substantia est ens per se primo; accidens verò est ens per se secundò, quia dependet à substantia; ens autem per accidens, neque est ens per se primo, neque secundo. Et idem fatetur ibi 7. Metaph. nam §. vltimo illius materiæ quærit, quorum sit definitio? Et determinat, quod per se primo est substantiæ, per se secundo est accidentis, nempè quantitatis, & qualitatis. Et adducit rationem, quia tàm substantia, quàm quantitas sunt entia per se, vt statuit 5. Metap. textu 14. ens tãdem per accidens, habere definitionem per accidens, quia non est ens per se. Si ergo Philos. eodem 7. Metaph. dicit, quod accidens est ens per se, sed non primo, quomodo potest negare esse proprie ens per se, & sic solum vult negare esse ens per se primo.

15 Ad primam rationem S. Tho. concedo maiorẽ, ad minorẽ dico, quod accidens dicitur ens secundum *quid*, ita quod secundũ *quid*, non significet, negando ens proprie, sed negando ens primo: & hoc est, quod vult Phil. in suis authoritatibus, nam cõparando substantiã, quæ est ens cõpletum, & accidens, quod etiã est ens cõpletũ. Vocat accidens ens secundũ *quid*, ad denotandũ esse imperfectius substantiæ, sed hæc imperfectio

Sic ratione modi, nō tollit, quod ratio entis sit ens proprie, neque ista inæqualitas physica tollit vni uocationem Logicam, neque vnitatem abstractam in alijs diuidē tibus: ergo neque in istis.

16 Ad aliud argumentum ex definitione analogatorū. Respon. quod illa definitiō, non est bona, sed ficta à Caietano, vt se defenderet, & vt defenderet sententiam S. Thomæ. Analogum, & analogata se habent quasi relatiue, & sic debent eodem modo definiri, definitur analogum à Thomistis sic: *Analogum est quoddam cōmune pluribus sub ratione vna secūdum quid, non simpliciter, vna scilicet proportione, seu similitudine* teste Didaco à Iesu disp. 11. q. 1. §. *Ex quo facile*. Vnde iuxta hanc definitionem analoga sic debent definiri: *Analoga analogata dicūtur ea, quorum nomen est cōmune, & ratio significata per nomen, non simpliciter eadem in illis, sed secundum proportionem*. Et tunc negatur, quod ratio entis *quid* significata per nomen ens, non sit simpliciter eadem in substātia, & accidenti, vt toties dictum est. Secundo respondeo, quod quando illa definitio analogatorum esset bona, negatur, quod ratio entis significata per nomen ens, partim sit eadem, & partim diuersa in substantia, & accidenti, quia ratio entis *quid* est vnus simplicissimus conceptus. Si autem Caietanus, & Thomistæ volunt dicere, quod substantia cōpleta, & accidens completum partim sunt idem in ente, & partim differunt per illos modos *per se*, & *in alio*. Ista solum erunt analogata physice, sed ista ipsis Thomistis consentientibus, non tollit vniuocationem Logicam; quia conueniunt in vna ratione entis proprie, in qua sunt eadē, & hoc idem contingit inter hominem, & leonem.

17 Ad illa argumenta, quibus conantur probare secundam conclusionem, scilicet, quod ens non est vniuocum substantiæ, & accidenti. Ad primum nego, sequi ens posse dici genus, (loquor semper in hac quæst. de ente creato) quia vt sit aliquod genus, non sufficit, quod sit vniuocum in *quid*, sed requiritur, quod sit contrahibile per differentias, non per modos. Ens *quid* creatum contrahitur ad substantiā, & accidens per modos *per se*, & *in alio*, ipsis etiam Thomistis consentientibus: ergo non est genus. Ad secundum concedo, quod substantia, & accidens non sunt primo diuersa, & hoc intendo, neque hoc est incōueniens, sed necessarium, etiam secundum doctrinam Arist. 5. Metaph. quia sunt *per se* diffinibilia, etiam secundum 7. Metaph.

18 Ad tertiū nego sequelā, ad probationē dico: ex Arist. solum licere in definitionibus collocare explicite prędicata superiora, quę habent rationē generis; non verō quæ rationē generis non habent;

vt ens, & quodlibet transcendentale, & quod hoc sit ad mentem Arist. Patet. quia loquitur de diffinitionib⁹ quidditatiuis, quę sunt illæ, quę solum constant genere, & differentia. Ad quarrum nego sequelam, ad probationē dico, solū probare accidens in quantū ens, non posse definiri per substātiam, non verò in quantum tale ens, & hoc est, quod docuit Arist.

19 Ad illam rationē S. Tho. quando effectus non adęquat vnitatem causæ, nomen vtrique commune non dicitur de eis vniuocè. Nego minorem, nam mulus, vel mula est effectus equi, quinō adæquat naturam specificam equi, & tamen nomen *animal* vtrique cōmune, est illis vniuocum. Solum requiritur, quod quando effectus non adæquat virtutem specificam causæ, non potest habere nomen specificum vniuocum, quia non cōueniunt in natura physica.

20 Ad illud Caietani de ente, & essentia, cōcedo, quod accidens in ratione entis non habet plus, quam substantia in ratione entis, quando dicit, quod consequens est falsum, nego. Ad probationem dico, quod Arist. 7. Metaphys. textu 2. non loquitur de substantia, vt est ens præcisè, sed de substantia, vt est ens completum. Et sic perfectior est substantia cat one modi, quam accidens completum. Et hæc maior perfectio in vno membro diuidente, non tollit vniuocationem Logicam, quia, si species sunt sicut numeri, & propter hoc non tollitur vniuocatio: ergo neque maior perfectio in membro substantiæ respectu membri accidentis tollit vniuocationem Logicam in *ente quid* creato.

QVÆST. IIII.

Vtrùm ab ente verò quid, & ente verò quale possit abstrahi vnus conceptus vniuocus veritatis?

1 ISta quæstio procedit de vero ente, non de ente, prout abstrahit ab ente reali, & rationis. Et videtur, quod potest abstrahi vera ratio entis abente *quali*, & ente *quid*: nam secundum Thomistas ens includitur in modis, & differentijs: ergo differentiæ veræ, & vel modi includunt rationē entis veri: ergo ab illis potest abstrahi conceptus inadæquatus entis. Secundò, istæ prædicationes, *ens quale est ens*, & *ens quid est ens*, sunt veræ formaliter, & superioris, de inferioribus: ergo ex parte prædicati est vnus cōceptus vniuocus, & formalis in illis.

2 Respondeo, quod ab ente *quid* vero, & ab ente *quale* vero non potest abstrahi aliquis conceptus vniuocus. Primo, quia sunt entitates simplicissimæ, & irresolubiles: ergo non habent aliquid in *quid* in quo conueniant.

Aug

Antecedens patet, quia ens quid, vt opponitur nihilo quid, non habet conceptus in quos resolvatur. Item, ens quale prout opponitur nihilo quale, non haberet conceptus, esset compositũ ex ente, & ratione speciali, & facta resolutione de entitate speciali, queram an sit præcisè ens, quale, vel includat ens, si dicas, quod includit, daretur processus in infinitum. Si dicas, quod includit ens, habeo intentum.

3 Secundò, quia primo diversa in nullo conveniunt, sed ens *quid*, & ens *quale* sunt primo diversa: ergo non conveniunt in ente: ergo non est ens, quod possit abstrahi. Maior patet, quia si primo diversa haberent aliquod in quo convenirent, essent primo diversa, & non, quod est contradictio. Minorem probo, quia illa quorũ vnũ est præcisè actus, & ratio determinandi, & alterũ, quod est in potentia logica, & determinabilis, sunt primo diversa, vel ostende, quæ sint primo diversa. Sed ens *quid* est in potentia Logica, & determinabile, & modus, seu differentia, qui sunt ens *quale* sunt actus, & rationes determinandi: ergo sunt primo diversa.

4 Ad primum nego, quod ens includatur indifferentijs propter rationes dictas. Ex natura rei non est nisi ens, *quid*, & determinabile Logice, oppositum nihilo *quid*, & ens quid dicitur *quale*, quod est determinativum, & sunt entia primo diversa. ¶ Ad secundum nego, quod illæ prædicationes sint formales, ideſt alicuius, quod sit formaliter in subiectis: Et ita solum prædicatur nomen.

5 Quæres, vtrùm nomen *ens* verum sit illis æquivocum, vel analogum? Respõdeo primò, quòd non est analogum, quia in analogatis ratio significata per nomen debet esse in aliquo ex analogatis impropriè, & per denominationẽ differentia, vel ens *quale*, non est ens propriè ens *quale*, quia si esset ens improprie, & per denominationem extrinsecam, non posset constituere veram speciem. Et si modus *per se*, non esset proprie ens *quale*, non posset constituere veram substantiam: et si personalitas, quæ est ens *quale*, non esset propriè ens, non posset constituere propriam personam.

6 Respondeo secundò, quòd est nomen æquiuocum: quia æquiuocum est illud, quod significat plura, vt plura, sed ens respectu *quid*, & *quale*, significat plura, vt plura: ergo. Minor patet, quia nõ significat plura, sub vna ratione *quid*, neque significat analogicè: ergo plura, vt plura, & sic æquivoce.

QVÆST. V.

Vtrùm à Deo, & creaturis possit abstrahi vnus conceptus vniuocus entis veri?

1 Thomistæ cum Sãcto Thomã lo-

locis citatis q. 3. num. 1. tenent, quod non. Quia Deus, & creatura sunt analogata. Sed ab istis non potest abstrahi vna ratio vniuoca propria: ergo. Maior probatur, quia analogata sunt illa, quorum vnum habet propriè rationem significatam per nomen commune, & alterum habet secundùm quid, & per denominationē: Sic sunt Deus, & creatura respectu entis: ergo. Probatur minori, quia ens est in Deo simpliciter, secundùm illud *ego sum, qui sum* Exodi 3. & in creaturis solum secundum quid, iuxta illud Isaiæ 40. *omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram te.*

2. Præterea arguit Henricus de Gandabo relatus ab Scoto in 1. dist. 8. quæst. 3. § *Hic sunt*, hoc modo. Quæ sunt totaliter, & immediatè sub extremis contradictionis, nil habent commune vniuocum: sed Deus, & creatura sunt totaliter, & immediatè sub extremis contradictionis: ergo. Probatur minor, quia sunt sub dependere, & non dependere, sub causato, & non causato, sub esse ab alio, & non esse ab alio, sub infinito, & non infinito, &c.

3 Præterea omnis conceptus vniuocus est neutèr respectu eorum, quibus est communis, & vniuocus: Sed nullus est conceptus neuter respectu contradictoriorum, quia necessario est alter eorum: ergo Deo, & creaturæ, quæ sunt sub contradictorijs, nihil est commune vniuocum.

4 Tandem arguo, quia finitas, & infinitas sunt modi intrinseci Dei, & creaturæ, sine quibus concipi non possunt, isti sunt oppositi, & diversi: ergo non possunt cōcipi Deus, & creatura, nisi conceptibus diversis, & oppositis in re. Item, quia ens ab intrinseco petit esse prius in Deo, quam in creatura; ergo intrinsecè habet ens in se istam diversitatem in descendendo; ergo non potest concipi, vt vnum, sed vt diversum.

5 Respondeo primò, quod loquendo de analogia physica, seu in esse rei, quam dicunt Thomistæ, consistere in hoc, quod vnum mēbrum sit perfectius alio, siue ratione modi, siue ratione differentiæ, certum est, quod Deus, & creatura sunt analogata physicè, & in esse: quia nil certiùs est; quā quod Deus est perfectior creatura. Tamen dicunt, quod hæc analogia, non tollit vniuocationem Logicā, nisi ex alio capite destruatur.

6 Respondeo secundò, loquēndo de vniuocatione logica, *quòd* à Deo, & creatura potest abstrahi vnus conceptus inadæquatus entis veri, & proprij. Sic Scotus locis citatis in 1. dist. 3. q. 2. § *Secundo non asserendo*, & q. 3. § *Ad quæstionem*, & dist. 8. q. 3. § *Teneo opinionem meam*, & § *Hic est vnū dubium* num. 27. & omnes Scotistæ. Et in isto vltimo loco notat Scotus, quod qui concipit rem constitutam ex esse, & modo, habet

bet conceptum adæquatum rei, & qui concipit rem sine modo illo, concipit rem inadæquate: vnde quamvis Deus sit constitutus ex ente & *à se*, & creatura ex ente & *ab alio*, potest intellectus humanus concipere rationem entis cõceptu inadæquato sine aliquo ex his modis, quamvis conceptu adæquato non possit concipere rem sine modo, nec modum potest concipere sine re, adhuc conceptu inadæquato.

7 Nunc probo conclusionem: Deus includit rationem entis veri, & rationem, vel modum *à se*. Hæc patet, quia omne constitutum includit ea, ex quibus constituitur. Item substantia creata includit rationem entis veri, & modum essendi *ab alio*. Quia omne cõstitutum includit ea, ex quibus constituitur: ergo conveniunt in ratione entis veri: Et differunt per modos. Sed id, in quo aliqua conveniunt, potest abstrahi conceptu inadæquato: ergo ratio entis potest abstrahi à Deo, & substantia creata conceptu inadæquato.

8 Prætereà hæ prædicationes, *Deus est ens verè, substantia creata est ens verè*, sunt prædicationes formales superioris de inferioribus: ergo ratio entis veri includitur formaliter in Deo, & substantia: ergo potest præscindi, & abstrahi conceptu inadæquato ratio entis veri à Deo, & substantia creata: ergo, ille conceptus est vniuocus: & tunc Deus, & creatura sunt vniuoca vniuocata; quia vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio importata per se per illud nomen, est eadem propriè in vniuocatis: sed ratio entis proprij significata per nomen *ens*, reperitur eadem propriè in Deo, & substantia creata: ergo.

9 His rationibus nil potest responderi, nisi negare, quod substantia creata est ens proprie, & quod nõ existit proprie. Sed quid potest dici magis ridiculum, quã quod ego hæc scribens, non ex isto proprie, numquid sum nihil simpliciter? Et quid absurdius, quam dicere, quod causa, quæ realiter producit effectum realem, & existentem, non existit proprie? Si tu non habes esse verum, quomodo sentis vere? Nisi dicas, quod non sentis. Et tunc vapulandus eras, vsque dum vere sentias.

10 Ad argumentum D. Thom. nego maiorem, ad probationem nego, quod ratio entis sit in creatura secundum quid, & per denominationem extrinsecam. Ad probationem scripturæ, dico quod ly *ego sum qui sum*, significat esse non vtcumque, sed esse independens. Illud Isaiæ, eo ipso, quòd dicit, *omnes gentes, quasi non sint* ly *quasi* non negat absolute verum esse creaturæ, sed vult denotare excessum, qui est in toto Deo respectu totius creaturæ: tamen ille excessus physicus proveniens ex

modis

modis *à se*, & infinitate non tollit, quod logicè possit abstrahi conceptu inadæquato à Deo ratio veri entis *quid*. Neque quod creatura sit excessa per infinitatem, tollit, quod sit proprie ens existens.

11 Ad illud Enrici, respondeo maiorem esse manifestè falsam. Nam homo, & equus sunt immediate, sub extremis contradictionis, & tamen ratio animalis, & substantiæ, &c. sunt illis communes vniuoce logice, & in quid. Nam equus est immediate sub istis extremis cõtradictionis equus est inibilis, equus est rationalis, sicut *Deo* conveniunt Deus est infinitus, Deus est finitus. Et homo est immediate, sub istis extremis, homo est rationalis, homo est inibilis, sicut creatura sub istis, creatura est ab alio, creatura est à se.

12 Si dicas pro Enrico istos terminos non esse cõtradictorios, quia sunt positivi, & debent esse vnus positiuus, & alter negativ⁹. Respondeo, quod etiam homo, & equus sunt, sub extremis contradictionis eiusdem de eodem, vt homo est rationalis, homo non est rationalis. Equus est inibilis, equus non est inibilis. Sicut Deus est sub istis subiectiue, Deus est *à se*, Deus non est *à se*, creatura est ab alio, creatura non est ab alio; & tamen homo, & equus sunt vniuoca in ratione animalis.

13 Ad secũdum Enrici, dico, quod omnis conceptus vniuocus est neuter logice respectu vniuocatorum. Ad minorem, sed nullus conceptus est neuter respectu cõtradictoriorum: dico, quod si intelligit per contradictoria entia completa constituta per modos, vel differentias *immediatè* oppositas, vt debet intelligi, dico, quod est falsa, nam animal diuiditur immediatè per terminos, vel differentias immediatè oppositas, & tamen conceptus animalis est neuter respectu hominis, & equi: Sic, quãvis Deus opponatur immediatè creaturæ per esse *à se*, & esse *ab alio*, conceptus entis est neuter logicè Deo, & creaturæ.

14 Ad illud definitate, & infinitate. Respondeo, quòd quamvis Deus non possit concipi conceptu adæquato, sine infinitate, tamen conceptu inadæquato potest concipi ratio entis, sine infinitate. Similiter licet creatura non possit concipi adæquatè sine modo essendi *ab alio*, tamen conceptu inadæquato potest concipi ratio entis, sine modo ab *alio*, & sic in ratione obiectiua entis sic præcisa, & concepta, nulla ratio diversitatis includitur.

15 Vltimum petit Subtilem doctrinam. Nego, quidem, *quòd* ens ab intrinseco petit esse prius in Deo, quam in creatura, & ratio Subtilis est, quia si sic esset exigeret aliquam causam, quæ coniungeret ens prius cum infinitate, quam cum finitate, quod est impossibile, alioquin Deus esset pri-

ma causa, & *à se*, & non esset prima causa, neque *à se*. Quarè ens, & *à se*, sic se habent in Deo, quòd ex esse pullulat modus *à se*, ex quibus constituitur Deus adæquatè. Et sic ens respectu Dei nullam indifferentiam habet physicam via generationis, quia ens solum præcedit origine illum modum. At ens creatum, & modus, sic se habent, quod Deus infinita perspicacitate sui intellectus percipit ens *quid*, & ens *quale*, seu modum entis creabilis, & per suam voluntatem coniungit ens *quid*, cum ente *quali* modali, cum posset illa non coniungere, neque creare. Et sic ens *quid* creabile dicit indifferentiam physicam via generationis, quia potest coniungi, & non coniungi cum ente *quali*. Ex quibus patet, quod ens ab intrinseco non petit coniungi priùs cum Deo, quam cum creatura: quia, si sic esset, Deus peteret, vt esset aliqua causa coniungens ens prius ad esse Dei cum esse *à se*, quod implicat, vt ostensum est.

16 Dices, ergo in ente vero est differentia respectu Dei, & creaturæ. Patet, quia respectu creaturæ est coniungibile cum modo *ab alio*, & indifferens; respectu autẽ *à se*, nõ est cõiũgibile. Sed esse coniungibile cum vno, & non esse coniungibile cum alio sunt differentiæ. Respõdeo, quòd illæ differentiæ sunt physicæ, & proprietates entis creati, & increati: sed tales differentiæ physicæ, & proprietates non tollunt, quod intellectus inadæquatè abstrahat præcisè rationem entis, ab illis modis, & proprietatibus.

17 Instabis, omnis conceptus vniuocus, & abstractus dicit communitatem, & indifferentiam ad inferiora: ergo ens sic abstractum dicit communitatem, & indifferentiam, ad Deum: ergo componibilitatem: ergo Deus est compositus. ¶ Respondeo, quod est communitas physica, & indifferentia physica; & communitas, & indifferentia logica: ens abstractum à Deo solum dicit communitatem, & indifferentiam logicam, quæ fit per actum intellectus. Respectu autem creaturæ dicit indifferentiam logicam, vt abstractum, sed via generationis habuit indifferentiam physicam, quam non habuit respectu modi *à se*: indifferentia Logica est in ordine ad compositionem Logicam, quæ fit per intellectum: Indifferentia autem physica est in ordine ad compositionem physicam via productionis. Cumque ens non habeat indifferentiam physicam via productionis respectu Dei, quia esset prima causa, & non: hinc fit quod Deus non sit compositus.

(5.)

CAP. VI.

De regulis eorum, de quibus fit prædicamentum.

1 FInis istius capitis est cognoscere ea, de quibus fiunt prædicamenta. In quolibet prædicamento sunt aliqua, quæ ponuntur in prædicamento in linea recta, & hæc sunt genera, & species, alia, quæ ponuntur ad latus, & sunt proprietates, & differentiæ, vt visum est in themate posito ante vniuersalia. pagin. 116.

2 Prima regula pro his, quæ directè ponuntur in prædicamento, est, *quod sit vnum per se.* Vt homo, albedo: per quam excluduntur à recta linea prædicamentali entia, & termini per accidens; vt *album*, quia concreta per accidens componuntur ex rebus diversorum prædicamentorum.

3 Secunda regula est, *quod sit vniuocum*, vt *homo animal.* Per quam excluduntur æquiuoca, & analoga: vt *canis*, & *sanum* à recta linea prædicamentali.

4 Tertia regula est, *quod sit ens completum*, vt *homo, animal, albedo.* Per quam excluduntur à recta linea, prædicamentali entia incompleta, vt risibilitas, & rationalitas, & generaliter proprietates; & differentiæ.

5 Quarta regula est, *quod sit incomplexum*, vt corpus, substantia, animal: per quam excluduntur à recta linea prædicamentali complexa, vt *animal rationale*, & generaliter definitiones.

6 Quinta regula est, *quod sint in concreto*, vt *homo.* Per quam excluduntur à recta linea prædicamentali, vltimo abstracta, vt *animalitas.* Et ratio est, quia ea, quæ ponuntur in prædicamento, sunt subiecta, & prædicata *in quid*, & per modum per se stantis, eo modo, quo requiritur ad veritatem propositionis directæ: Ad quod requiritur concretio, nam ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa secundum Philosophum 1. de *interpretatione*, & in vltima abstractione non remanet connotatio ad subiectum: ergo.

7 Sed contra, nam albedo ponitur in prædicamento qualitatis, & tamen taliter est abstracta, quod non connotat subiectum: ergo falsa est illa regula. Respondeo, quod habet duas connotationes, vna est ad subiectum inhæsionis, altera ad sua individua, quæ sunt subiecta prædicationis in recta linea. Prima connotatio ad subiectum inhæsionis impedit, quod ponatur in prædicamento, vt album, quia

quia complectitur res diversorum prædicamentorum, ideò necesse est abstrahere albedinem à subiecto inhæsionis; remanet cum concretione ad hanc, & illam albedinem, quæ concretio est directa, & prędicamentalis.

8 Et advertè, quod in recta linea est genus supremum, nempè illud, supra quod non est aliud, vt in prædicamento substantiæ, est substantia, genus supremum. Alia sunt genera intermedia, vt *corpus*, & *vivens*, quia mediant inter genus supremum, & species infimas. Sed species infima dicitur illa, infra quā non est alia, vt in eodem prædicamento substantiæ est *homo*.

9 *Quæres*, vtrùm individua, vt Petrus, & Paulus ponantur in prædicamento? Respondeo, quod individua, non sunt de eis, ex quibus prædicamenta componuntur: quia, vt dictum est, ea, ex quibus componuntur prædicamenta debent esse vniuoca, & Petrus non est vniuocus, neque communis. Secundò: quia prædicamentum est coordinatio prædicabilium. Et nullum singulare est prædicabile de pluribus. Dicitur tamen individua poni in prædicamento, vt radices arboris. Et vt prima fundamenta.

10 Hic solet quæri de sufficientia prædicamentorum, vtrùm sint Decem, nec plus, nec minus? Sed malè potest hæc quæstio resolvi, nisi habita notitia prædicamentorum. Ideò differatur vsque de prædicamentis sigillatim actum sit.

11 Tandem dico, quòd proprietates, & differentiæ pertinent ad prædicamentum reductivè, sicut rami arboris reductivè pertinent ad lineam rectam arboris. Quòd probo: quia differentiæ constituentes quidditates naturarum de prædicamento substantiæ, non sunt accidentia per accidens: ergo non pertinent ad prædicamenta accidentium: ergo ad prædicamentum substantiæ. Sed non sunt in linea recta; quia non sunt entia per se completa: ergo pertinent reductivè. Sic probabis de proprietatibus, & differentijs aliorum prædicamentorum.

12 Et si quæras, ad quam naturam reducantur proprietates, & differentiæ? Respondeo, quod proprietates reducuntur ad naturam cuius sunt proprietates, & differentiæ ad naturam, quam constituunt, & in qua includuntur, & cum qua conuertuntur.

(.?.)

QVÆST. I.

Vtrùm ea, quæ ponuntur in diverſis prædicamentis debeant diſtingui realitèr.

1 PArtem negatiuam tenent communitèr Thomiſtæ Araujo 5. Metaph. q. 1. art. 4. Suarez in Metaph. diſp. 39. ſect. 2. & diſp. 47. ſect. 3. & diſp. 49. ſect. 2. Vaz q. 1. p. diſput. 22. cap. 5. & diſp. 138. cap. 2. & diſput. 133. cap. 2. Probatur, quia actio, & paſſio ſunt idem realitèr in motu ſecundum Philoſophum 3. Phyſicorum text. 19. & tamen ſecundum eũdem Philoſophum in hoc capite conſtituunt diverſa prædicamenta: ergo. ¶ Alij probant, quia *ſitus*, & *vbi*, pertinent ad diverſa prædicamenta; & tamen non ſunt accidentia realitèr diſtincta: ergo.

2 Noſter Merinero carthegoriarum cap. 4. quæſt. 3. à num. 2. illam tenet, & dicit eſſe ſententiam Scoti, quæſt. 10. prædicamentali, vbi §. *Ad ſecundum dico*, dicit, quod figura eadem, quatenus dicit ſuperficiem terminatam lineis, eſt in genere quantitatis: quatenùs verò dicit ipſam clauſionem eſt in quarta ſpecie qualitatis: ergo idem realitèr ſecundum diverſas rationes formales poteſt poni in diverſis prædicamentis. Quòd docuit Ariſt. cap. de qualitate dicens: *Præterea ſi quid idem, & quale, & ad aliquid ſit, in vtrumque ipſorum generibus collocari, enumerarique, haud abſurdum erit.*

3 In hac re primo ponamus certũ: ſit 1. concluſio, quæ ponuntur in diverſis prædicamentis, debent diſtingui genere, vel ſpecie: ſic Scotus q. 10. prædicamentali. Hæc concluſio ſequitur ex regulis poſitis quæſt. anteced. ab omnibus admiſis. Nam, quæ ponuntur in diverſis prædicamẽtis in linea recta, debent eſſe genera, & ſpecies: ergo genus ſubſtantiæ, & genus qualitatis differunt genere, & ſpecies ſubſtantiæ, & ſpecies qualitatis differunt ſpecifice, ſub diverſis generibus.

4 Secundò, quia quę ponuntur in prædicamento directè debent eſſe naturæ, & entia completa: hæc ſunt genera, & ſpecies: ergo quæ ponuntur directè in diverſis prædicamentis debent eſſe diverſa, vel genere, vel ſpecie diverſi prædicamenti.

5 Sit ſecunda concluſio, quæ ponuntur in diverſis prædicamentis debent diſtingui realitèr. Probo, quæ differunt numero in exiſtentia differunt realiter, ſed quæ ponuntur in prædicamento reali differũt numero: ergo realitèr. Probo minorem, quæ differunt genere, vel ſpecie completis differũt numero, ſed quæ ponũtur directè in prædicamẽtis, differunt genere, vel ſpecie: ergo differunt numero.

Præ-

6 Præterea, quia sine contradictione potest dari substantia, sine quantitate; & quantitas sine qualitate, & substantia, quantitas, & qualitas sine relationibus: ergo distinguuntur realiter quando positiue existunt. Patet consequentia, quia eorum, quæ sunt idem realiter, non potest vnum existere non existente alio: antecedens probatur, quia absolutum, & prius alio sine contradictione potest esse sine posteriori: sed substantia est absoluta, & prius quantitate: ergo & substantia, quantitas, & qualitas sunt absolutæ, & prius relatione: ergo.

7 Ad primam instantiam dico, non esse ad propositum, quia Philosoph. 3. Physicorum loquitur de actione, & passione sumptis pro fieri rei, in quantum sunt actus agentis, & patientis, id est in quantum motus est ab agente, & in quantum est in patiente. Actio autem, & passio, quas hoc capit. docet Arist. constituere diuersa prædicamenta, sunt actio, & passio sumptæ pro respectibus extrinsece aduenientibus, transmutantis ad transmutatum, & transmutati ad transmutans, qui respectus sunt oppositi, & realiter distincti, & in diuersis subiectis existentes. Secunda instantia de *vbi*, & situ nil valet, quia vt dicetur agendo de istis prædicamentis, realiter distinguuntur.

8 Ad illam instantiam Scoti, quã adducit noster Merinero, dico, esse pro mea sententia, quia subtilis Doctor dicit ibi, quod nomen *figura* est æquiuocum, & æquiuocata realiter, & essentialiter differunt, verba Scoti sunt: *Ad secundum dico, quod hoc nomen figura est vno modo significans superficiem terminatam lineis: & sic est in genere quantitatis: alio modo significat ipsam clausionem linearum, siue terminationem. & sic est in quarta specie qualitatis. Vnde qualitates quartæ speciei dicuntur qualitates circa quantitatem.* Vbi debes notare primo, quod nomen *figura* habet duas significationes. Secundo illa verba *qualitates circa quantitatem*, non dixit qualitates idem cum quãtitate, sed circa quantitatem, quod expresse denotat distinctionem realem,

9 Ad illud Phil. dico, quod ly *si quid idem* debet sumi subiectiue, & specificatiue, non quod *quale*, & ad *aliquid* sint idem realiter, & tunc illud idem potest poni in diuersis prædicamentis secũdũ rationes qualis, & relationis, non ipsum idem realiter, & specificatiue; quantitas potest esse qualis, & similis, & secundum diuersas rationes completas ponitur in diuersis prædicamentis

(5.)

LIBER SEXTVS.

De Prædicamentis.

CAP. I.

De Substantia.

1 POstquam Arist. finiuit ante prædicamenta, incipit agere de prædicamentis. Et merito incipit à substantia. Primò, quia vt dicit Boetius, substantia est commune subiectum accidentium. Secundò, quia vt dicit Ammonius, substantia est prius accidentibus, nam non valet, est substantia: ergo sunt accidentia. Tertiò, quia vt dicit Porphirius, substantia est prior prioritate dignitatis, quia substantia existit per se, accidentia autem existunt in substantia. Quartò, quia vt dicit Aristot. 7. Metaph. cap. 1. tex. 4. substantia est prior accidentibus cognitione, & definitione.

Summa textus.

2 HOc caput diuiditur in tres partes, in prima (supposita diuisione substantiæ in primam, & secundam) definit eas. In secunda comparat eas inter se. In tertia enumerat sex proprietates substantiæ.

3 Quantum ad primam definit primam substantiam hoc modo: *Prima substantia est, quæ neque in subiecto est, neque de subiecto aliquo dicitur.* Nam ex quo est substantia, non est in subiecto per inhærentiam. Et quia est prima, de subiecto nullo dicitur. Secundas substantias in plurali sic definit: *Sunt genera, & species, sub quibus insunt primæ*, vt animal, & homo.

4 Quantum ad secundam partem dicit, primas substantias esse magis substantias, quam secundas: quia magis substant alijs. Inter secundas autem substantias species esse magis substantias, quã genera, quia magis accedunt ad primas substantias. Deinde docet omnes species infimas æqualiter esse substantias; quia æque distant ab individuis. Et tandem omnes primas substantias esse æquales, si comparentur inter se.

5 Quantum ad tertiam. Prima proprietas substantiæ est, non esse in subiecto. Et hæc est communis, quia conuenit primis, & secundis substantijs. Secunda est, quod vniuoce prædicetur de primis substantijs. Et hæc competit solis secundis substantijs. Tertia, quod

quod prima substantia significat hoc aliquid, & secunda quale quid. Quarta, quod substantiæ nihil est contrarium · quæ est communis vtrique substantiæ. Quinta est, quod substantia non suscipit magis, & minus. Quæ etiam est communis, vtrique substantiæ. Sexta, (& de qua dicit esse maximè propriam) est, quod eadem numero manens, sit susceptiua contrariorum.

De acceptionibus substantiæ.

1 SVbstantia aliquando accipitur pro essentia, vt patet ex definitione vniuocorum, vbi dicitur, quod ratio *substãtiæ*, ideſt essentiæ, est eadem in inferioribus. Et substantia in hac acceptione est transcendens per omnia prædicamenta, quia componuntur essentijs secundum lineam rectam.

2 Aliquando substantiæ accipitur pro eo, quod est esse per se, prout distinguitur contra accidens, quod est ens in alio, vel petens esse in alio.

3 Tertiò, substantia accipitur pro eo, quod substat accidentibus. Et in hac acceptione significat substantiam creatam, & dependentem à Deo, & tandem accipitur pro substare alijs substantijs; vt Petrus substat homini, & homo substat animali, quo pacto dixit Arist. hoc cap. quod substantiæ primæ magis substant, quam secundæ. Quæstiones sequentes non procedunt de substantia in illa latitudine, prout significat essentiam.

QVÆST. I.

Quæ sit ratio constituiua substantiæ prout opponitur accidenti?

1 PRima sententia dicit: quod, *ens non in alio*, est ratio substantiæ vt sic: ita, quod ens sit commune substantiæ, & accidenti, & ly *non in alio* sit differentialis modus; quo distinguitur substantia ab accidenti, cuius essentia consistit in hoc, quod est *ens in alio*. Ita Porphyrius cap. 1. de substantia. Fundamentum est, quia substantia, vt sic, opponitur accidenti; sed ratio accidentis est esse in alio: ergo ratio substantiæ est non esse in alio. ¶ Sed hæc sententia reijcitur, quia nulla negatio est ratio formalis constitutiua positiui; sed substantia vt sic, est positiua, & *non in alio* formaliter est negatio: ergo non potest esse ratio constitutiua substantiæ, vt sic. ¶ Ad argumentum respondeo, quod substantia entitatiue opponitur accidenti per modum positiuum, non per negatiuum.

2 Secunda sententia, dicit, quod essentia substantiæ consistit in subijci accidentibus. Ita Boetius, & Seuerinus. Probant, quia Arist. primas substantias appellauit

lem magis substantias, quia magis substant; ergo essentia substantiæ consistit in substare accidentibus, quia sicut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter. Secundò, quia substãtia dicitur à substando.

3 Sed contra, quia Deus est substantia, prout opponitur accidentibus: Et tamen Deus non potest substare accidẽtibus, quia est purissimus actus; ergo substare accidentibus non potest esse ratio substantiæ, vt sic. Secundò, quia ratio constitutiua substantiæ vt sic debet reperiri in omni cõtẽto sub illa; sed Deus continetur sub substantia vt sic, prout opponitur accidenti: ergo si ratio substantiæ vt sic, esset substare accidentibus, deberet reperiri in Deo; sed repugnat Deo substare accidentibus: ergo substare accidentibus non est de ratione substantiæ, vt sic. Tertiò, quia posse substare accidentibus, supponit totum esse substantiæ creatæ: ergo non potest esse de essentia substantiæ creatæ: ergo minus potest esse de essentia substantiæ, quæ prescindit à creata, & increata.

4 *Communis sententia docet*, quod *ens per se*, est ratio intimior, quæ apud nos cognoscitur, constitutiua substantiæ: ita quod ly *per se* est modus intrinsecus positiuus, virtute cuius repugnat substantiæ, esse in alio per inhæsionem. Ita subtilis Doctor quolib. 3. & Angelicus Doctor opusculo 42. de natura generis, & in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad secundum. Probatur, quia duo modi inueniuntur in substantia vt sic, vnus negatiuus, *non esse in alio*, alter positiuus, qui est *per se* ratione cuius repugnat substantiæ esse in alio per inhæsionem, sed modus negatiuus non potest esse ratio constitutiua substantiæ, vt sic, quia est positiua. Restat ergo, quod modus *per se* sit ratio constitutiua substantiæ, vt sic, prout opponitur accidenti.

5 *Ad illud Arist.* adductũ à Boetio dico, quod nõ est ad propositũ, quia nos loquimur de substantia vt sic, quæ est superior ad substantiam creatam, & increatam. Aristot. autem loquitur de substãtijs creatis, ex quibus fiunt prædicamenta: Ad secundum dico, quod substantia creata dicitur à substando. At illa præscindens à creata, & increata, non dicitur à substando, sed prout est *ens per se*.

QVÆST. II.

Vtrùm substantia vt sic, sit conceptus communis vniuocus substantiæ creatæ, & increatæ?

1 HEnricus de Gandabo in summa art. 22. quæst. 2. negat. Primò, quia illis, quæ sunt totaliter, & immediate sub extremis contradictionis, nil est commune

nunc vniuocum. Substantia creata, & increata sunt totaliter, & immediatè sub extremis contradictionis, scilicèt dependere, & non dependere, causatum, & non causatum, esse ab alio, & non ab alio: ergo.

2 Item omnis conceptus communis est neuter respectu illorum, quibus est communis; sed nullus est conceptus neuter respectu contradictoriorum, quia est alter eorum: ergo respectu substantiæ creatæ, & increatæ, quæ sunt extrema contradictoria, ratio substantiæ non potest esse conceptus vniuocus.

3 Item, quia primo diuersa in nullo conueniunt; sed substantia increata est primo diuersa à creata, alioquin haberet, quo conueniret, & quo differret, & ita non esset simpliciter simplex: ergo substantia vt sic, non est conceptus obiectivus cõmunis vniuocus substantiæ creatæ, & increatæ.

4 Item vbi est tantum vnitas attributionis, non potest esse vnitas vniuocationis; Sed substantia creata dicit vnitatem attributiõnis ad substantiam increatam: ergo inter substantiam creatam, & increatam non est vniuocatio.

5 *Respondeo* cum subtili Doctore 1. dist. 8. quæst. 3. §. *Teneo opinionem meam.* num. 16. quod substantia vt sic, est vnus conceptus obiectiuus communis, & vniuocus substantiæ creatæ, & increatæ. Quod sic probo, nam ab his, quæ habent veram rationem substantiæ, potest abstrahi, & præcindi vera ratio substantiæ communis, & vniuoca; sed Deus, & substantia creata habent veram rationem substantiæ: ergo ab illis potest abstrahi vnus conceptus inadæquatus communis, & vniuocus illis. Minorem probo ex parte Dei, nam est ens per se, cui repugnat esse in alio per inhæsionem: ergo habet rationem veram substantiæ. Item probo ex parte substantiæ creatæ, quia substantia creata est ens per se, cui repugnat esse in alio per inhæsionem: ergo est vera substantia. Secundò probatur ista pars, quia substantia creata est verè ens: ergo vel per se, vel in alio; non in alio: ergo per se: ergo vera substantia.

6 Probatur secundo conclusio, quia conceptus vniuocus est ille, cuius nomen est commune, & ratio significata per nomen est eadem in inferioribus Logicè; sed substantia, quæ definitur per *ens per se*, habet nomen commune, & ratio significata per nomen *substantia* in hac acceptione est eadem formaliter in creata, & in increata: ergo. Minor patet quoad nomen commune; quoad rem significatam, probatur, quia substantia creata est verè ens per se, cui repugnat esse in alio per inhæsionem. Similiter substantia increata: ergo ratio substantiæ vt sic,

eadem formaliter, vel ſecundum rationem formalem eſt in creata, & in increata.

7 *Ad primum reſpondet Scotus* citatus num. 5. §. *Ad argumẽta opinionis* oppoſitæ num. 11. Aut intelligit in minori, quod illa ſunt ſub extremis contradictionis toraliter, hoc eſt, quod præcisè ſunt illa extrema contradictionis; & ſic minor eſt falſa: Deus enim non eſt præcisè hoc, ſcilicet non ab alio, quia iſta negatio dicitur de chimera; nec ſubſtantia creata eſt præcisè iſta negatio: ſcilicet non neceſſe eſſe, quia etiã conuenit chimeræ: ſed tam Deus, quàm ſubſtantia creata eſt aliquid, cui conuenit alterum extremum contradictionis. Accipe tunc maiorem, quod quæcumque ſunt talia, quibus conueniunt extrema contradictionis, ipſa non vniuocantur in aliquo; iſta maior eſt falſa: nam omnia per ſe diuidentia aliquid commune, ſunt talia, quod de ipſis dicuntur extrema contradictionis; & tamen *vniuocantur in ipſo diuiſo*; ita in propoſito poſſunt iſta ſecundum ſe tota, accipere prædicationem contradictionis, & tamen poſſunt habere aliquod ſubſtratum illis extremis illius contradictionis, quod eſt commune ambobus.

8 *Ad ſecundum reſpondet*, quod eſt neutralitas Phyſica, & Metaphyſica in naturis reſpectu inferiorum, quæ habent ſuas determinationes, & cum determinatione Phyſica ſtat neutralitas Metaphyſica; quod patet iſto exemplo. Natura humana de ſe, & ſecundum ſe eſt neutra formaliter phyſicè, quia de ſe formaliter, neq; includit Petreitatẽ, neq; Paulitatẽ: iſta indifferẽtia tollitur per quãlibet ſingularitatẽ Phyſicã; quando abſtrahitur, vel cognoſcitur præciſiue eſt indifferens Metaphyſicè, & formaliter non includit inferiora: in naturã humana componuntur determinatio Phyſica, & indifferentia Metaphyſica, & vniuocatio ad inferiora. Nunc ad maiorem dico, quod nullus conceptus eſt neuter phyſicè reſpectu contradictoriorũ, metaphyſicè rego, quia metaphyſicè, & abſtracte præſcindit. Diſtinguo etiam minorẽ, nullus eſt conceptus neuter reſpectu contradictoriorum, phyſicè concedo; Metaphyſice, & præciſiue nego, & nego conſequentiã itaque ſubſtantia phyſicè in exiſtentia non poteſt dari ſine eo, quod ſit, vel à ſe, vel non à ſe. Tamen Metaphyſicè, & abſtractè, eſt in intentione, vel cognitione neutra, quia de ſe neque eſt à ſe, neque non à ſe; Sed præſcindit à creata, & increata. Et ſic componuntur determinatio phyſica, indifferentia Metaphyſica, & vniuocatio in ſubſtantia vt ſic reſpectu creatæ, & increatæ, ſicut in homine reſpectu Petri, & Pauli.

9 Ad tertium reſpõdeo, quod pri-

primo diuersa in nullo conueniũt in quid. Sed nego, quod substãtia creata, & increata sint primo diuersa Logice, quia conueniunt in ratione substantiæ, & habent quo differunt. Et quando deducitur: ergo Deus non est simpliciter simplex, sed compositus. Respondeo cum Scoto citato num. 5. §. *Ad primum argumentum principale, num.* 26, negando consequentiã, quia compositio metaphysica fit ex genere, & differentia: substantia vt sic præscindens à creata, & increata, non est genus; neque cõceptus contrahentes, scilicet *per se*, & *à se*, & infinitas, non sunt differentiæ, sed modi intrinseci illius entis; & sic non est aliqua cõpositio in Deo; & conceptu inadæquato potest concipi substantia vt sic, sine modis, ideſt sine *à se*, & sine *infinitate*.

10 Ad quartum concedo maiorem, ad minorem dico esse defectuosam in vno termino, nam debebat dicere, sed inter creaturam, & Deum est vnitas attributionis tantum: Et tunc est falsa: quia præter relationem attributionis, & dependentiæ, in substractis, ideſt in Deo, qui est independens, & in substantia creata, quæ est dependens, est vnitas, & conuenientia in ratione substantiæ: quæ vere, & formaliter includitur in illis in quid, neque dependentia, & ordo vnius ad aliud tollit vniuocationem eorum, quæ in aliquo formaliter conueniunt, nam effectus vniuocus dicit ordinem, & dependentiã ad causam, & non propter illam amittit vniuocationem cum causa. Quando autem nulla est conuenientia formalis, sed potius est diuersitas in significatis, & conceptibus obiectiuis, & solum est ordo proportionis, & non proprię similitudinis; tunc non est vniuocatio, sed analogia.

P. Villaverde.

QVÆST. III.

Quæ substantia sit genus generalissimum huius prædicamenti?

1 TRes sunt substantiæ, de quibus potest esse dubitatio, quæ illarum sit genus generalissimum huius prædicamẽti: vna est substantia vt sic, præscindens à creata, & increata: alia est substantia increata, & alia creata.

2 Vna est opinio dicens, quod substantia vt sic, prout dicit ens per se, oppositum enti in alio, est genus generalissimum huius prædicamenti. Ita Albertus de Saxonia, & Holcot lib. 1 q. 5. Fundamentum est, quia Deus ponitur in prædicamento substantiæ: ergo substantia vt sic est genus supremum huius prædicamenti. Probant antecedens, quia multa entia simplicia ponuntur in genere substantiæ, vt Angeli secundum ponentes eos immateriales: ergo simplicitas Dei non tollit, quin sit

sub substãtia vt sic: ergo substãtia vt sic est genus supremum, &c.

3 Alia est opinio dicens, quòd substantia increata est genus supremum huius prędicamẽti. Quia secundum Philos. 10. Metaphys. in genere substãtiæ vna est prima, q ię sit mensura aliarum suprema: sed secundum commentatorẽ ibi ille substantia est primus motor, nempè increata: ergo substantia increata est mensura suprema in prædicamento substantiæ: ergo sicut in aliis prædicamẽtis, quod est primum, est genus generalissimum; ita in prædicamento substãtiæ prima mensura, scilicet substantia increata, est genus supremum.

4 *Respondeo primo*: substantia vt sic prout præscindit à creata, & increata, non est genus generalissimũ prædicamenti substantiæ. Probatur, illa substantia non est genus: ergo neque generalissimũ. Probatur antecedens, quia si esset genus, tunc infinitas, & modus essendi *à se*, contrahentes substantiam vt sic, essent differentię: ergo Deus esset compositus. Patet cõsequentia, nam quod constat genere, & differentia, est cõpositum: sed si substantia vt sic esset genus, Deus constaret genere, & differẽtia: ergo esset compositus. Secundò, sequeretur, quod Deus non esset purus actus, quia quod constat aliquo prædicato, quod ex se dicit potentialitatem, non est purus actus, sed genus ex se dicit potentialitatem, & perfectibilitatem: ergo si substantia vt sic esset genus, Deus nõ esset purus actus. Illud fundamentũ opinionis oppositæ petit quæstionẽ, vtrũ Deus sit sub genere substãtiæ, quod dedeterminabitur q. sequenti.

5 *Respondeo secundò*, quòd substantia increata non est genus generalissimũ huius prædicamenti; immò neq; genus. Primò, quia omnis natura generica includitur in omnibus speciebus *in quid*: ergo, si Deus esset genus generalissimũ substantiæ, esset inclusus formaliter in omnibus speciebus substantiæ, & sic asinus esset formaliter Deus. 2. Quia omnis natura generica est perfectibilis: ergo ex se imperfecta: ergo si Deus esset genus, esset ex se perfectibilis, & imperfectus. Item sequeretur, quòd non esset actus, &c.

6 *Ad fundamentũ* secũdę opinionis resp. cum Scoto 1. d. 8. q. 3. §. *Ad argumẽta pro secũda opinione* vers. *Ad Auerroẽ* n. 25. quòd est mẽsura intra genus, & mẽsura extra genus: Mẽsura intra genus prima, est aliqua substãtia illius generis prima, cui cõuenit vnitas, nõ est autẽ primus motor mẽsura intrinseca illius generis, sicut neque aliorũ, sed extra genus. Quatenus tamẽ est mẽsura extrinseca aliorũ omniũ, aliquomodo est immediatius mensura substantiarum, quæ sunt perfectiora entia, quam accidentium, quæ sunt remotiora ab ipsa: nullius tamen generis est mẽsura intrinseca.

2 Resp.

7 Respondeo tertiò, quòd substantia creata, vel finita est genus; generalissimum huius prædicamenti. Et primò, quòd sit genus probo, quia est perfectibilis per differentias, per quas descendit ad varias species, & prædicabilis *in quid* immediate de illis, vt pars essentialis; Sed quod est huiusmodi est genus: ergo substantia creata est genus. Quod autem sit supremum patet, quia supremum est illud, quod non habet aliud supra se; sed substantia creata, non habet aliud genus supra se: ergo. Minor probatur, quia si aliquod esset genus supra substantiam creatam, esset substantia præscindens à creata, & increata: sed hæc non est genus, vt probatum est: ergo.

QVÆST. IIII.

Vtrùm Deus sit in prædicamento substantiæ?

1 NOminales tenuere Deum esse sub genere substantiæ. Sic Gregorius, & Gabriel in 1. dist. 8. q. 3. Volcor. q. 6. Bachō dist. 9. q. 1. Probatur ex Arist. 4. topicor. c. 2. loco 17. vbi ponit Deum, sub genere animalis, distinguique ab homine per immortalitatem; Sed animal est sub genere substantiæ: ergo Deus. Itèm ex Augustin. 5. de Trinit. cap. 8. dicēte, quædam prædicamenta dici propriè de Deo, vt esse, substantiam, & Patrem; alia metaphoricè, & impropriè, scilicèt habere situm.

2 Ratione probatur, quia si aliquid excluderet Deum à prædicamento substantiæ, esset infinitas: hæc non: ergo. Probatur minor, quia infinitas addita substantiæ, non destruit rationem substantiæ, sicut si daretur linea infinita, illa infinitas non destruit essentiā quantitatis: ergo Deus, licèt sit infinitus, manet sub substantia. Itèm, quia ista prædicatio, *Deus est substantia*, est quidditativa: ergo, vel generis, vel speciei, quæ sunt prædicabilia *in quid*: ergo est Deus, vel sub genere, vel sub specie substantiæ. ¶ Itèm, quia Christus est simpliciter infinitus, & est sub specie substantiæ, nempè sub homine: ergo, & Deus est sub substantiæ genere. Nequè infinitas tollit, quòd sit sub genere, quādo in Christo non tollit, quòd sit sub genere, & specie substantiæ.

3 *Communis sententia* Theologorum, Philosophorum, & Logicorum tenet Deum non contineri sub genere substantiæ. Sic Princeps Theologorum Subtilis Doctor 1. d. 8. q. 3. à §. *Teneo opinionem meam*. Et Angelicus Doctor 1. lib. Contragentes cap. 24. & 25. & 1. p. q. 3. art. 5.

4 Primò probat Scotus conclus. ex Aug. 7. de Trinit. cap. 5. dicente: *Manifestum est Deum abs-* [illegible] *substantiam vocari*. Et ratio Augustini est, quia substantiæ præ-

prædicamentalis est illa, quæ potest subsistere accidentibus; sed Deus non potest subsistere accidentibus: ergo nō est sub genere substantiæ prædicamentalis. Secundò probat argumento Avicennæ 8. Metaph. cap. 4. quia genus est pars, Deus autem est simplex, & non habet partem, & partem: ergo Deus non est in genere.

5. Tertiò probat ex infinitate simpliciter, quæ est ratio exclusiva à prædicamento. Nam quidquid ponitur, sub genere directè debet includere naturam genericam: ergo debet esse compositū, imperfectum, & in potentia secūdum illam rationem genericam: Sed infinitas simpliciter tollit cōpositionem, imperfectionem, & potentialitatem: ergo infinitas impedit, quòd Deus sit sub genere substantiæ.

6 *Ad illud Aristot. dico*, quod nomine *Deorum* non intelligit primam causam, sed quasdam substātias superiores homine subtilissima corpora habentes, & venerantes ratione, in quo errauit; nā tales substantię non sunt. Ad illud Augustin. quod extendit nomen prædicamenti, ad significandum prædicata de Deo.

7 Ad rationem concedo, quod infinitas simpliciter impedit, quòd Deus sit sub genere, & nego minorem. Ad probationem respōdeo, quòd infinitas simpliciter nō destruit rationem substātiæ vt sic: sed potius constituit illam in ratione puri actus perfectissimi; ideò impedit potentialitatem, & compositionem. Instantia de linea nil valet, quia infinitas lineæ, si daretur, est *secundum quid*, & sic relinquit lineam compositam ex genere, & differentia: infinitas autem Dei est simpliciter infinita.

8 Ad aliam rationem, concedo, quòd hęc prædicatio, *Deus est substantia* est quidditativa: & nego, quod sit generis, & speciei; quia etiā ista *qualitas est accidēs*, est quidditativa *in quid*, & non est generis, neque speciei; sed est trāscendentis. Si autem constitutum ex ratione *in quid*, & modo intrinseco, non sit quidditas, dico quòd ista, *Deus est substantia*, non est quidditativa.

9 Ad illud de Christo D. respondeo, quòd Christus, vel suppositum divinum est sub genere substantiæ, non per se, de quo est quæstio, sed per accidens. Ad cuius intelligentiam adverte, quod omnia directa, quæ per se ponuntur in prædicamento, sunt vel partes compositivæ, vel composita entia, vt *animal*, *homo*, *Petrus*. Et ita species natæ sunt per se contrahi subsistentijs creatis: & ex subsistentijs creatis fiūt, & ex speciebus suppositā propria, & per se prædicamēti substantiæ. At personalitas verbi cum non sit creata, accidentaliter coniungitur cum natura humana, terminando dependentiam eius: Quòd etiam posset facere subsistentiā ablo-

absoluta Dei, terminando naturam humanam: & hoc modo tanquã supposita aliena, tàm Deus, quam Verbum divinum possunt esse sub genere substantiæ: quia sic terminando dependentiam naturæ humanæ nullam habent compositionem intrinsecam, neque imperfectionem. Et tunc infinitũ potest esse sub prædicatis finitis: tamen hæc subjecibilitas est per accidens.

10 *Quæres, vtrum Angeli ponantur in prædicamento substãtiæ?* Hæc quæstio supponit esse Angelos. Quod suppositum nobis est cognitum per fidem Deo testante, qui ait Psalm. 10. *Angelis suis Deus mandavit de te*, & Matth. capit. 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est.* Et quærit vtrum sint sub genere substantiæ? per Angelos intelligimus substantias spirituales.

11 Comentator 10. Metap. comento 16. super cap. vltim. dicit, quod non. Illum sequuntur Ægidius Romanus in commentarijs huius prædicamẽti, & Ioannes Gandabo 10. Metaph. q. 22. Albertus Magnus tract. de Substantia cap. 12. potest probari ex Aristot. qui eos vocat simplices substantias, & puros actus. Sed quæ ponuntur in hoc prædicamento debent non esse simplices substantiæ, neque actus puri; ergo. ¶ Secundo quia 10. Metap. text. 30. dicit corruptibile, & incorruptibile differre genere, substantia corruptibilis ponitur in hoc genere, & Angeli sunt incorruptibiles: ergo non sunt, sub hoc genere. ¶ Tertio, quia ex Arist. hoc cap. Substantia huius prædicamenti debet esse susceptiva contrariorũ: sed Angeli nõ sũt susceptivi contrariorum: ergo. ¶ Tandem, quia corpori, & spiritui nil est commune superius: sed corporea substantia ponitur in prædicamento: ergo spiritualis non est, sub genere generalissimo. Maior probatur, quia corpus est compositum materia, & forma, & Angeli sunt simplices, & incompositi: sed simplici, & composito, nil est commune: ergo.

12 *Communis sententia*, tenet Angelos poni in hoc prædicamento: ita Scotus 4. dist. 6. q. 10. lit. M. & in 1. dist. 8. q. 2. & in 2. d. 3. q. 6. & quolib. 2. estque expressa Aristot. 5. Metaph. cap. 8. text. 15. vbi ait: dæmones in hoc prædicamento collocari. Probatur primò: quia substantia creata, quæ est genus supremum huius prædicamenti, diuiditur in corporalem, & spiritualem, & sub spirituali sunt Angeli: ergo Angeli sunt sub genere substantiæ creatæ. Secundò: quia substantia, quæ substare potest accidentibus est genus supremum huius prædicamenti: sed Angeli possunt substare intellectioni, & volitioni: ergo sunt sub substantia, quæ est genus huius prædicamenti. Tertiò: quia omnis substantia creata est composita

poſita ex genere ſubſtantiæ creatæ; Sed Angeli ſunt ſubſtantiæ creatæ: ergo ſunt compoſiti ex ſubſtantia creata: ergo ſunt ſubſtantia creata.

13 *Ad primum reſpondetur*, quòd, quando Arist. vocavit Angelos puros actus, & carere potentia, tantùm intendebat, carere potentia phyſica materiali, nequè habere potentiam contradictionis ad eſſendum, & non eſſendum: quia ſunt incorruptibiles, & immateriales.

14 Ad ſecundum reſpõderur, quod quando Arist. dixit, corruptibile, & incorruptibile differre genere, loquutus fuit de genere phyſico, nẽpè materia. Nã, ſicùt metaphyſicè illud, quod habet potentialitatem, dicitur genus, ita phyſice illud, quod habet potentialitatem, dicitur genus phyſicum. Vndè dicere, quòd corruptibile, & incorruptibile differunt genere, idem eſt, quod dicere: differre materia.

15 Ad tertium concedo maiorem, & nego minorem, quia Angeli ſunt ſuſceptivi amoris, & odij, quæ accidentia ſunt contraria. Ad rationem, nego, quòd non ſit aliquid commune *in quid* ſubſtantiæ ſpirituali, & corporeæ: nã ratio ſubſtantiæ creatæ communis eſt *in quid* ſubſtantiæ corporeæ, & incorporeæ creatæ. Quando dicis, quòd ſubſtantia corporea eſt compoſita materia, & forma, & Angeli ſunt ſimplices, & in compoſiti. Reſpondeo, quòd Angeli ſunt ſimplices, quatenus ſimplicitas opponitur compoſitioni phyſicæ ex materia, & forma. Sed non ſunt ſimplices, quatenus ſimplicitas opponitur cõpoſitioni ex genere, & differẽtia; hac quidem compoſitione conſtant, ex quo ſunt creati, & finiti, quia omne finitum metaphyſicè loquendo vel eſt pars compoſitiva, vel totum compoſitum, ſi eſt natura ſpecifica.

16 *Quæres vtrùm corpora cœleſtia ponantur in hoc prædicamẽto?* Aberroes, Gandabus, & Albertus, citati dubio antecedenti num. 11. dicunt, quod non: Propter illa duo argumenta; quia corruptibile, & incorruptibile differũt genere; corpora cœleſtia ſunt incorruptibilia; & ſubſtantia prædicamentalis eſt corruptibilis: ergo. Secundò: quia cœli non ſunt ſuſceptiui contrariorũ: Et genus huius prædicamenti eſt ſuſceptiuum contrariorum.

17 *Communis tamen ſententia* docet cœlos contineri in hoc prædicamento: quia omnis ſubſtantia creata continetur ſub ſubſtantia creata, vt ſic: Sed cœli ſunt ſubſtantiæ creatæ, & genus generaliſſimum huius prædicamenti eſt ſubſtantia creata vt ſic: ergo. Itẽm, quia ſunt compoſiti ex genere ſubſtantiæ creatæ: ergo ſunt ſub illa.

18 *Ad illud* de corruptibili, & incorruptibili, reſpondet

Scot

Scotus 4. d. 6. q. 10. § *Sed tunc est dubium*, vers. *Contra* n. 14. quòd Philosophus 10. Metap. loquitur de genere physico: sic enim nulla duo, sunt eiusdem generis, nisi sint transmutabilia ad invicem: Sed idem genus logicum benè potest continere multa, quæ nō pertinent ad idem genus physicum, vt patet de substantia corporea, & incorporea, & de qualitate corporali, & spirituali. Ad secundū, dico, quod cœli possunt recipere motum naturalem, & violentum, qui motus sunt contrarij.

QVÆST. V.

Quid sit divisum in substantiam primam, & secundam?

1 DIvisum est dupliciter, aliud *quod*, & aliud *quo* ideſt, sub qua ratione dividitur.

2 Loquendo de diviso *quod*, conveniunt omnes, divisum *quod* non esse substantiam, quæ est genus generalissimum. Et ratio est: quia in bona divisione divisum non debet esse membrum illius divisionis: sed genus generalissimum substantiæ est substantia secunda, quæ est vnum membrum divisionis: ergo. Et quidem hæc, non est ratio, vt dicam postea num. 9.

3 Conveniunt etiam auctores, divisum *quod* esse substantiā completam. Et ratio est, quia id, in quo aliqua conveniunt, est divisum *quod*, sed substātia primæ & secundæ conveniunt in hoc, quòd sunt substantiæ completæ: ergo substantia completa est divisum *quod* in primā, & secundā: & differunt, quia prima est singularis: & secunda communis.

4 Sed loquendo de diviso, *quo*, seu de ratione formali, sub qua dividitur, dico, quòd vna est esse *ens per se*, alia est ratio substādi accidentibus. Sed ista ratio est duplex, vna substandi accidentibus realibus; alia substandi accidentibus rationis, vel secundæ intentionis. Hinc orta est, dubitatio, qualis istarum rationum sit diuisum *quo* in hac divisione?

5 Dico primò, quòd ratio substandi est divisum *quo*, & ratio formalis, sub qua fit ista divisio: quia ratio formalis divisi, & membrorum dividentium debet coaptari: sed ratio formalis primæ, & secundæ substantiæ est substare accidentibus, quia prima magis substat, quàm secunda: ergo in diviso ratio formalis est *substare*.

6 Dico secundo, quod substare accidentibus rationis, non est divisum *quo*, quia divisum *quo* debet adæquari cum membris dividentibus: Sed substare accidentibus secundæ intentionis prædicabilitatis, & subijcibilitatis, nō solùm competit primis, & secundis substantijs; sed etiam, qualitatibus, & quantitatibus generi-cis, & specificis: ergo divisum

quo substantiæ, non est substare accidentibus rationis.

7 Ideò aliqui dicunt, quòd divisum *quo* est ratio substandi accidentibus realibus: quia Arist. postquàm tacitè divisit substantiam in primam, & secundâ, dixit, primam esse magis substantiam: sed hoc solùm potest verificari respectu accidentium realium: ergo ratio substandi accidentibus realibus est divisum *quo*.

8 Hoc non obstante, dico, divisum *quo* secundùm mentem Arist. esse capacitatem in substantia ad subijci vnam substantiam alteri. Hoc patet, quia Arist. loquebatur logicè coordinando substantias secundum superioritatem, & inferioritatem entitativas; ideò facta divisione dixit, substantias primas esse magis substantias, quàm secundas: quia magis substant; & inter secundas, species esse magis substantias, quàm genera, quia species magis substant: ergo ratio substandi vnam substantiam alteri substantiæ cathegoricè est divisum *quo* in divisione substantiæ in primam, & secundam. Secundò probo: quia substantia prima, & secunda logicè solùm differunt formaliter in ratione substandi magis, & minus; hoc est, in esse vnam magis inferiorem alteri, sed hoc est inter naturas inter se cathegoricè, ergo divisum *quo* est ratio substandi vnam substantiam alteri.

9 Ex quo deduco, quod divisum *quod* huius prædicamenti non est, genus generalissimum. Quia genus generalissimum nulli generi substat, alioquin esset supremum, & non: Sed, quod non substat alij substantiæ prædicamentali, non est substantia in ratione substandi prædicamentaliter: ergo genus generalissimum huius prædicamenti, non est substantia in ratione substandi alijs substantijs huius prædicamenti.

10 Infero secundò, quòd divisum *quo* non competit generi generalissimo huius prædicamenti: quia divisum *quo* est ratio substandi aliæ substantiæ prædicamentali. Sed genus generalissimum huius prædicamenti non potest, substare alteri substantiæ prædicamentali: ergo divisum *quo* non competit generi generalissimo.

11 Infero tertiò, quòd genus generalissimum non potest dici secunda substantia in hoc sensu: quia quod substat alij substantiæ dicitur substantia; sed genus generalissimum non substat alteri substantiæ prædicamentali: ergo, si non potest dici substantia in hoc sensu: nequè prima, neque secunda.

12 Infero quarto: quòd substantia completa, quæ est sub genere generalissimo, est substantia secunda, minor in ratione substandi, quia sicut illa est maior

sub-

substantia in ratione substandi, quæ magis substat alijs; ita illa substantia, quæ minus substat alijs, est minor in ratione substãdi; sed substantia, quę proximior est generi generalissimo, est quæ minus substat prædicamentaliter: ergo est minus substantia. Minor patet: quia, non habet supra se prædicamentaliter, nisi genus generalissimum.

13 Tandèm dico, quòd divisum *quod* mareriale est substantia completa capax subijci alij, abstracta à prima, & secunda. Et, quòd capacitas substandi alteri naturæ huius prædicamenti, est divisum *quo*. Et ratio est: quia nõ sunt alia, quæ possint esse divisum *quod*, & *quo* huius prædicamenti in ratione substandi alijs substantijs.

QVÆST. VI.

Vtrùm definitio primæ substantiæ sit bona?

1 VIdetur, quòd non: quia definitio positivi per negationes non est bona: ista datur per negationes: ergo. Secundò: quia convenit alijs à definito; scilicèt capiti, quod est substãtia, quæ nequè in subiecto est, nequè de subiecto aliquo dicitur. Tertiò, quia istæ sunt bonæ prædicationes *Petrus est prima substantia, Paulus est prima substantia*: ergo falla est definitio illa, in quantum dicit, quòd prima substa non dicitur de aliquo subiecto. Quarto, quia ex Arist. 7. Metaph. cap. 5. singularia nẽ possunt definiri.

2 *Respondeo*, quòd est bona descriptivè. Ad cuius intelligentiã nota, quòd secundæ substantiæ, nempè *animal*, & *homo*, sunt in subiectis, non per inhærentiam; sed formalitèr in inferioribus, & sunt capaces, dici de inferioribus. At primæ substantiæ habent duas negationes illis conditionibus oppositas, vna est, non esse in subiecto per informationem; altera est, non posse dici formalitèr de subiecto, per quas primæ substãtiæ differunt à secũdis. Nunc probatur: illa definitio, quę datur per proprietates, quibus definitum distinguitur ab alio, est bona descriptivè: ista est huiusmodi: ergo. Patet minor, quia illę negationes sunt proprietates, per quas prima substantia distinguitur à secundis.

3 *Ad rationes dubitandi*, ad primam respondeo, quòd definitio positivi, quæ datur per negationes, non est bona quidditativè, est tamen bona descriptivè. ¶ Ad secundum respondeo, quod substantiæ partiales reducuntur ad primas substantias, & ita caput nequè in subiecto est, nequè de subiecto dicitur in recto. ¶ Ad tertium, quòd illæ prædicationes sunt identicæ, sicùt ista *Petrus est Petrus*, non formales. Et

ita ly *neque de subiecto aliquo dicitur*, intelligitur formaliter de de inferiori. ¶ Ad quartum respondeo, quòd Arist. ibi negat ab individuis diffinitionem quidditativam propriam, & essentialē; sed non negat ab illis diffinitionem impropriam, & descriptivā.

4 Obijcies, Aristot. potuisse exemplum, *ve aliquis homo*; sed aliquis homo dicitur de Petro, & Paulo: ergo falsum est primam substantiam non dici de aliquo. ¶ Respondeo, quòd exemplum debet accomodari definitioni, & etiam definito: & sic æquivalet huic, *quilibet homo*: quasi dicat, accipe quemlibet hominem; ipse est prima substantia.

5 Sicque facienda est divisio; ens, aliud substantia, aliud accidēs: substātia, alia infinita, alia finita: finita, alia spiritualis, alia corporalis: corporalis, alia viuēs, alia nō viuēs. Vivens, alia animal, alia non animal. Animal, aliud homo, aliud brutum, &c.

QVÆST. VII.

Vtrùm proprietates substātiæ sint rectè ab Arist. assignatæ?

1 PRima est, *non esse in subiecto*. Si accipiatur, non esse in subiecto tanquàm forma, sic non est proprietas substantiæ: quia homo, & animal sunt substantiæ, & sunt formæ, quibus Petrus formaliter est homo, & animal. Si intelligatur, *non esse in subiecto per inhæsionem*, sic est proprietas substantiæ: quia conuenit omni substantiæ, & soli, & semper. Tamen est proprietas negativa, quę cōsurgit ex hoc, quòd substantia est ens per se.

2 Secunda est, *quod vniuocè prædicetur de primis substantijs*. Sed contra: quia albedo in concreto est prædicatum vniuocum respectu Petri, & Pauli, & est quintum prædicabile: ergo non conuenit solis substantijs secundis. Respondeo: aliud est, esse vniuocum prædicatum, aliud vniuocè prædicari: esse prædicatum vniuocum nomine, & re, conuenit etiam accidentibus: prædicari vniuocè duo dicit, & quod prædicatum sit vniuocum, & quòd dicatur per modum per se stantis. Vndè capacitas remota ad prædicari de primis substantijs *vniuocè*, ideſt, *per modum per se stantis*, est proprietas secundarum substantiarum. Quia conuenit omnibus, & solis, & semper.

3 Tertia est, *primæ substantiæ significant hoc aliquid; secundæ verò quale quid*. Contra primum: hoc aliquid significat singulare existens; sed hoc etiam conuenit accidentibus singularibus: ergo non est proprietas primæ substantiæ. Respondeo, quòd Arist. loquutus fuit anthonomasticè, sicut Apostolus supponit pro Paulo, & anthonomasticè, *hoc aliquid* supponit pro singulari, nō cuiusvis prædicamēti, sed substātiæ, & cōpletæ.

pletæ. ¶ Contra secundùm: nam *quale quid* significat differentiam essentialem naturæ cuiuslibet prædicamenti, nàm *quid* dicit pertinere ad quidditatem, & *quale* per modum qualificantis: & nullū *quale quid* est proprietas, non solùm substantię, sed nequè alicuius naturæ cuiusvis prædicamenti. Respóderur, quòd anthonomastiçe supponit pro quidditate substantiali: & tūc patet, quod quidditas non est proprietas sui ipsius, nequè *hoc aliquid* est proprietas primæ substantiæ, sed ipsa prima substantia.

4 *Quarta proprietas est non habere contrarium*; sed contra, quia rationale, & irrationale, sunt substantiæ; & tamen sunt formæ contrariæ: ergo substantiæ habent contrarium. Respondeo, quòd Arist. hic loquitur de contrarijs propriè. At *contraria propriè sunt illa, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt*, vt frigus, & calor: hæc contrarietas propriè convenit qualitatibus; cumque substantia non sit qualitas, hinc est, quod non habet propriè contrarium. Ad argumentum respondeo, quòd rationale, & irrationale non sunt formæ propriè contrariæ: quia licet distent maximè sub eodem genere, non se expellūt ab eodem subiecto, eodem subiecto manente.

5 *Quinta proprietas substantiæ est non suscipere magis, & minus*; sed contra: quia Arist. hoc cap. inquit; primam substantiam esse magis substantiam, quam secundam: & inter secundas, species esse magis substantias, quam genera. ¶ Respondeo, quòd Arist. loquitur, de magis, & minus intensive, quæ susceptio positiva magis, & minus intensive, competit solis qualitatibus; sed non loquitur de magis, & minus extensivè, vel quantitativè: nam quantitativè magis se extendit prima, quam secunda: quia prima pluribus subsłat, quam species. ¶ Ex quo patet ad argumentum, nam quando Arist. dicit, quod substantia prima est magis substantia, quam secunda; loquitur extensiuè, vel quantitativè: quia pluribus subsłat, quam secunda. At, quando dicit; quòd substantia non suscipit magis, & minus, loquitur intensivè, hoc est, quòd non suscipit maiorem, nec minorem intensionem.

6 *Sexta proprietas substantiæ est, quod eadem numero manens sit susceptiua contrariorum*. De qua dicit, esse maximam proprietatem, idest, quarto modo. ¶ Sed contra: quia non conuenit omnibus substantijs, quia non conuenit Angelis, neque cœlis, eo quod non recipiunt accidentia contraria. Quod probatur, nam solùm suscipit accidentia cōtraria, quod est corruptibile; sed Angeli, & cœli sunt substantiæ incorruptibiles: ergo. ¶ Item propositio

est accidens, & est susceptiua cõtrariorum, quia eadẽ numero manens, est vera, si res est, sicùt profertur; & variato obiecto, est falsa: verum & falsum sunt contraria: ergo est susceptiua contrariorum: ergo hæc proprietas non cõuenit solis substantijs.

7 Respondeo, quod intelligendo contraria non stricto modo, sed de contrarijs latè, & de subiecto, vt *quod*, est proprietas substantiæ, eamdem numero manentem esse susceptiuam contrariorum. Et ratio est, quia conuenit omni, soli, & semper.

8 Ad primum respondeo, quòd, quamvis Angeli, & cœli, non sint susceptiui contrariorum stricto modo acceptorum; tamen Angeli secundùm intellectum sunt susceptiui, *vt quod* intellectionis veræ, & falsæ: & secundum voluntatem sunt susceptiui volitionis bonæ, & malæ. Cœli quidem susceptiui sunt motuum contrariorum. Ad secundùm respondeo, quòd propositio susceipit veritatem, & falsitatem, vt subiectum *quo*, at homo, & Angelus, in quibus est propositio, suscipiunt veritatem, & falsitatem, vt *quod*.

(.¶.)

CAP. II. *De Quantitate.*

Summa capitis.

1 HOc caput in duas partes dividitur. In prima ponit Arist. quasdam diuisiones quantitatis. In secunda quasdam ipsius proprietates.

2 In prima ponit duas diuisiones quantitatis, prima est in quantitatem continuam, & discretam: *Continua est cuius partes aliquo termino communi copulantur.* Discreta, *cuius partes nullo termino communi copulantur.* Sub discreta ponit numerum, & orationem vocalem. At sub continua ponit, lineam superficiem, & corpus, locum, & tempus, quorum vltima habent cõtinuitatem successiuam.

3 Secunda diuisio est, quantitas quædam habet positionem in partibus, vt linea, superficies, corpus, & locus, quædam non habet positionem, vt numerus, oratio, & tempus: quia partes eius non permanent, licet habeant ordinem inter se.

4 In secunda parte tres proprietates quantitatis assignat. Prima est, non habere contrarium. Secunda, non suscipere magis, & minus. Tertia, quæ est maximè propria, vt secundum

dum quantitatem res dicantur æquales, vel inæquales.

QVÆST. I.

In quo consistat ratio essentialis quantitatis?

1 § VMme difficilè est naturas rerum investigare, & præcipuè invenire rationem essentialem quantitatis, ideoque necessaria est valdè claritas, & subtilitas. Vndè ad claritatem, & tollendam de medio æquivocationem, advertendum est, quòd terminus *ratio* dupliciter capitur. Vno modo pro definitione, & in hac acceptione definitio dicitur ratio rei. Videatur Scotus in 4. dist. 1. q. 2. §. *De tertio*, n. 9. ¶ Alio modo *ratio* accipitur pro quidditate, vel essentia rei, & in hac acceptione secundò intelligitur terminus *ratio* positus in titulo.

2 Secundò notandum est, quod terminus *quantitas* dupliciter accipitur à D. August. 6. de Trinit. cap. 8. & ab Scoto in 1. dist. 19. q. 1. & à S. Thoma 1. p. q. 44. *Ad primũ* vno modo, pro quantitate virtutis. *Quantitas virtutis est perfectio rei*, siue essentialis, siue accidentalis, secundũ quam dicitur magna, vel parva imperfectione, & de hac quantitate non disputamus hic, quia est transcendens per omnia prædicamenta. Alio modo quantitas est molis, quæ est in substantia materiali: & de hac est quæstio: quia est genus generalissimum huius prædicamenti. Vndè quæstio est: in quo consistat ratio essentialis, & quidditativa quantitatis molis?

3 Multa sunt in quantitate, de quibus inquiri potest, in quonam illorum consistat ratio essentialis quantitatis molis? Primo in quãtitate est æqualitas, & inæqualitas. Secundò est ratio mensuræ tàm activæ, quàm passivæ. Tertiò est finitas actualis, & infinitas potentialis. Quartò, divisibilitas. Quintò, extensio partium. Et hęc dupliciter, vna extensio in ordine ad spatium, alia in ordine ad situm extensum.

4 Hic vnum, valdè notandum est, quòd, sicut in prædicamento substantiæ sunt species physicæ, nàm homo physicè componitur ex anima, & corpore, & equus componitur ex anima, & corpore; & sunt species metaphysicæ: ita in prædicamento quantitatis, ex quo prædicamentum est, debent esse species physicæ, & metaphysicæ. Sed prædicamentum componitur remotè ex speciebus physicis; Proximè autem ex speciebus metaphysicis: propter quod investigandum est genera metaphysica, & species metaphysicas, vt ex eis hoc prædicamentum componatur, quod videtur, non fecisse Arist. neque aliquis post ipsum, quia procedunt per divi-

diuisiones, & differentias physicas. Per articulos inuestigabo differentiam, qua distinguitur quantitas à qualitate, & cognita ratione formali communi qualitati, & quantitati, item cognita ratione differentiali dabitur definitio Logica quantitatis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ratio mensuræ sit ratio essentialis quantitatis?

1 VNa est opinio affirmans, pro qua citatur Albertus tractatu 8. cap. 1. eamque tribuit Toletus, Caietano, & videtur expressa S. Thomæ opusculo 52. circa finem dicentis: *Propria ratio quantitatis, quæ competit quantitati, quatenus quantitas est, ratio est mensuræ.* Nota illam reduplicationem, *quatenùs quantitas est*, quæ dicit rationem essentialem. Videtur etiam Arist. quia hoc capite probat, orationé esse quantitatem: quia est mensurabilis syllaba lõga: ergo supponit rationem mensuræ, & mensurabilis esse rationem essentialem quantitatis.

2 *Opposita sententia* est omninò vera, & illa præmissa omninò falsa. Et ad destructionem illius opinionis, & aliarum dedit nobis sapientia diuina vnum medium, quod est corpus Christi in Eucharistia. Et formo rationem sic: mẽsura tàm formalis, quàm fundamentalis, præsupponit extensionem, & diuisibilitatem; sed datur ratio essentialis quantitatis in corpore Christi quãto in Eucharistia sine extensione, & sine diuisibilitate: ergo mensuræ ratio non est esse ratio essentialis quantitatis. Minor constat ex fide testante, ibi esse corpus Christi modo indiuisibili, & inextenso, neque potest esse mensura in illo statu, neque mensurari.

3 Ad authoritatem Arist. Respondeo, illam probationem esse à posteriori, & ab effectu: non à priori, & per rationem essentialem; nam benè sequitur à posteriori, est mensurabile: ergo quantum; sed non sequitur est quantùm ergo mensurabile: quia corpus Christi in Eucharistia est quantũ, & non mensurabile.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuisibilitas sit ratio essentialis quantitatis?

1 MVlti Thomistæ dicunt, quòd sic. Ita Soncinas 5. Metaph. q. 21. Iabellus q. 20. Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. ad 11. citatur pro illa S. Thomas 5. Metaph. lect. 15. Probatur ex Arist. 5. Metaph. cap. 7. vbi definiuit essentiam quantitatis sic: *Quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque, vnumquid, & hoc aliquid apũt est esse.* Quasi dicat: est accidens diuisibile: ergo diuisibilitas est de essentia quantitatis.

tis. Item, quia conveniente distinguuntur species quantitatis per diversas divisibilitates: nam linea est divisibilis secundū longitudinem, superficies secundum longitudinem, & latitudinem: & corpus secundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

2 Citari solet pro hac sententia Scotus 5. Metaph. q 9. sed male allegatur, quia sic dicit: *Cōcedo tamen, quod divisibilitas est prima passio quantitatis, & non de essentia eius.* Et respondendo difinitioni Aristotelis modo adductæ, sic ait: *Unde quantitas notificatur hic per proximam passionem eius, & non definitur*: quid clarius?

3 *Dico ergo*, quod divisibilitas non est de essentia quātitatis, quia salvatur tota essentia quantitatis in corpore Christi, in Eucharistia sine divisibilitate, quia est ibi modo indivisibili; & tamen est quantum: ergo.

4 Dices, quod prima passio rei, ita est connexa, cum re cuius est, quod res non potest esse sine illa passione, sed quantitas est in corpore Christi in Eucharistia sine divisibilitate: ergo divisibilitas non est propria passio quantitatis: ergo malè dicit Scotus, quod divisibilitas est prima passio quātitatis. Respondeo, quod Scotus accepit passionem pro effectu.

5 Ad definitionem quātitatis, quam dedit Arist. iam dictum est cum Scoto, quod data fuit per effectum, non per rationē essentialem. Ad 2 Resp. quod illa distinctio specierum per diversas divisibilitates, est, quantitatis sub ratione divisibilis: sed non quātitatis vt sic: quia quantitas vt sic salvatur sine divisibilitate in corpore Christi sacramentato.

ARTICVLVS III.

Vtrùm essentia quantitatis consistat in extensione actuali in ordine ad spatium?

1 NOminales tenent, quod sic: Ita N. Ochamus in Logica c. de quantit. & Gabriel in 4. dist. 10. Probatur, quia habere partes extra partes in ordine ad se, est cōmune substantiæ, & quantitati: ergo habere partes extra partes in ordine ad se, nō est ratio specialis constitutiva quāritatis: sed in quantitate non est alia ratio essentialis nisi habere partes extra partes in ordine ad spatium: ergo ista ratio est quidditativa quantitatis.

2 Sed cōtra, quia corpus Christi in Eucharistia est quantum, & illa quantitas non est extensa actualiter in ordine ad spatium, vel locum: ergo extensio actualis, vel habere partes extra partes actualiter extensas in ordine ad spatiū, non est de quidditate quātitatis vt sic.

3 Noster Merinero in Logica de quantitate disp. 1. q. 1. num. 22. dicit, quod extensio aptitudina-

dinalis in ordine ad spatium vt sic, prout abstrahit à locali, durationis, & discretionis, est ratio formalis quidditativa quantitatis vt sic, & citat pro se Suarium in Metaph. disp. 40. num. 4. & Didacum à Iesu disp. 13. q. 5. Hurtadum in Metap. disp. 13. sect. 4. Et probat, quia extensio aptitudinalis in ordine ad spatium vt sic, est primum, quod reperitur in quantitate. Itē quia quantitas nō potest intelligi sine ista extensione aptitudinali. Itèm quia ab illa dimanant extēsio actualis ad spatium, & divisibilitas, & mensurabilitas.

4 Sed contra, quia in quantitate reperitur alia ratio prior, quam extensio aptitudinalis in ordine ad spatium vt sic: ergo ista ratio prior est de essentia quantitatis. Antecedens probabitur art. 4. num. 5.

5 Ad argumentum Nominalium dico, quod quamvis substantia materialis ex se habeat partes substantiales, vt concedit Scotus in 2. dist. 12. q. 2. §. *Sique-ras etiam*, num. 5. ita quod hæc non sit illa substantialitèr, tamen substantia, semota quantitate, nō habet partes extra partes, in quo stat quantitas. Vnde in substantia, semota quantitate, licēt valeat, hæc pars non est hæc, non tamen valet, hæc pars est extra illā. Hoc quidem solùm competit per se quantitati; substantiæ vero, & qualitati habere partes extra partes cōvenit per accidens, nempè ratione quantitatis.

6 Ad argumenta Merineri, ad primū nego, quòd habere partes extensas aptitudinalitèr in ordine ad spatium vt sic, sit primū, quod reperitur in quantitate, quia prius est habere partes per se extra partes. Ad secundum nego, quod essentia quantitatis non possit intelligi quidditativè sine extensione aptitudinali, quia ista extensio aptitudinalis est passio quantitatis, & fortè non prima passio, vt ostendam infra. Ad tertium resp. quòd quamvis extensio actualis dimanet ab extensione aptitudinali, tamen extensio aptitudinalis vera dimanat à quātitate existēte.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm habere partes extra partes in ordine ad totum sit ratio essentialis quantitatis molis?

1 IOannes à S. Tho. in Logica q. 16. §. *Resolutio*, sic inquit: propria, & formalis ratio quantitatis est extensio partiū in ordine ad totum. Probat ex S. Th. opusculo 48. tract. de quantit. cap. 4. dicente: *quod passio vno modo dicitur ordo partiū in loco, & sic est vnū de prædicamentis, quod dicitur Situs: alio modo positio est ordo partiū in toto: & sic positio est differentia quantitatis.* 2. Probat ex S. Tho. in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. quæ-

quęstiuncula 3. ad secundū sic fantè: *Quamvis non sit accipere ordinem partiū corporis Christi secundum cōparationē ad partes Hostiæ, tamen est accipere ordinem ipsarum partiū adinvicem in corpore Christi secundū propriā quantitatem.* Et 4. contra gentes cap. 65. sic inquit: *Positio quæ est ordo partium in toto, in eius (scilicet quātitatis) ratione includitur; estenim quantitas positionem habens.*

2 Ratione probæ, quia extensio partiū in toto, non est quęcúq; vnio earū inter se, sed vnio penes extremitates tantū, ita quod non vniatur vna pars alteri tota, ita, vt in illa imbibatur: nā si vna pars vnitur cum alia in ipso toto secūdum omnem sui partē non vnitur extēsive: ergo requiritur ad vnionem extrinsecā in toto, quod partes vniantur secundū extremitatē & nō se totis; sed substātia nō habet partes, neq; indivisibilia: ergo secundū se nō est extensa: ergo hoc solū cōperit essentiæ quantitatis.

3 Sed contra, quia ordo partiū ad totū, & partis ad partē inter se est respectus, & quantitas est absoluta? sed nullus respectus est de quidditate absoluti: ergo ordo partiū ad totū nō est de quidditate quantitatis.

4 Si dicas, quod fundamentū positionis, seu ordinis partium in toto, est ratio quidditativa quantitatis: quia est, quod primo reperitur in ea. ¶ Contra, quia ratio essentialis quātitatis vt sic, debet reperiri in omni specie quantitatis; sed datur aliqua species quātitatis, quæ nō est fundamentū positionis: ergo. Patet minor, quia motus, & tēpus sunt species quātitatis, & in eis non potest esse positio, quia positio petit partes quātitatis continuas, & permanētes.

5 *Dico ergo* cū Tartareto cap. de quāritate §. *Seiendū est primo*, quod propria ratio quātitatis secundū quam vnivocè dicitur de suis speciebus, est habere partes propriè extra partes. Probo, quia istæ sunt veræ prædicationes formales, *Linea habet partes propriè extra partes. Superficies, corpus, motus, tēpus, numerus, & oratio, habēt partes propriè extra partes*: ergo habere partes extra partes propriè, est ratio formalis, quę reperitur in omni specie quātitatis. Neq; est alia ratio cómunis in omni specie prior illa: ergo. Itē per illā differt primò quāritas vt sic, ab omni eo, quod nō est quātitas: ergo est ratio differentialis cōstitutiva quantitatis vt sic.

6 Dices, quod ratio extēsivæ substantiæ materialis est prior in quantitate: ergo ista est ratio differētialis. Resp. quod habere virtutē extendendi vt *quo* substantiā materialē, nō cōpetit tēpori, nequè orationi, neq; motui. Etsi esset differentia quantitatis vt sic, reperiretur in omni specie eius.

7 Dices, quod virtus auferēdi confusionē partiū substantialiū, est, quæ primo reperitur in quāti-

tacere vt sic ergo illa est differentia constituens quantitatem. Resp. quod ista virtus non reperitur in motu, neq; in tempore, neq; in oratione; sed in quantitate permanenti.

8 Obijcies Scot. in 4. dist. 10. q. 1. §. *Dico ergo*, num. 14. dicentem: *Positio prædicamentum præsupponit positionem differentiam quantitatis.* Et D. Tho. authoritate alegata hic num. 1. dicentem: *Alio modo positio est ordo partium in toto: & sic positio est differentia quantitatis*: ergo positio est ratio quidditativa quantitatis.

9 Respondeo, quod differentia quantitatis est duplicitèr, vna, quæ constituit quantitatem, alia, quæ, supposita quantitate, facit illam deferre ab eo, quod non habet illam differentiam: sicùt albedo supponit hominem, & facit illum differre ab homine non albo. Scotus non loquitur de differentia constitueiva quantitatis, sed de differentia supponente essentiã quantitatis, quod patet ex textu dicente: *Dico ergo aliter, quod positio, quæ est differentia quantitatis necessariò inest, quanto continuo, & permanenti.* Si positio esset differentia constitutiva quantitatis vt sic, illa reperiretur in quãto successivo, & in discreto; nõ reperitur nisi in continuo, & permanenti: ergo non loquuntur de differentia constitutiva quantitatis vt sic.

10 *Et quæres*, quotuplex est positio? Respondeo, quod vna est prima, & definitiva, altera secunda, & circumscriptiva: *Positio definitiva est ordo partium in toto inter se, sine respicientia ad locum*, & hæc conservatur in corpore Christi in Eucharistia. Positio vero secunda, & circumscriptiva, ait Scotus loco citato, *addit vltra definitivam ordinem partium ad locum, sive ad partes loci, vel locantis, hoc est dicto, quod partes coextendantur partibus loci, sicùt totum dicitur primo commensurari toti loco, in quo habet vbi. Ita quod positio prædicamentum, præsupponit positionem differentiam quantitatis, & specificat vbi.*

11 Restat nunc dare definitionem Logicam quantitatis vt sic, quæ est genus generalissimum in hoc prædicamento. Dico ergo, *quod est accidens absolutũ habens partes propriè extra partes.* Accidens est quid commune accidenti absoluto, & relativo: per ly *Absolutum* distinguitur à relativo. Vlterius accidens absolutum est commune *inquid* quantitati, & qualitati, *& per habere partes propriè extra partes*, distinguitur à qualitate, quæ non habet partes propriè extra partes.

12 Dices, substantia materialis habet partes integrales: ergo habere partes integrales, non est differentia prprijssima quantitatis

entitatis. ¶ Respondeo, cum Tartarero de quantitate § *Sciendum est primo* in fine. Quod substantia materialis, se mota quantitate, non habet propriè, nisi partes entitativas substantiales. Sed non habet propriè partes, extra partes.

QVÆST. II.

Vtrùm substantia materialis absque quantitate habeat partes entitativas?

1 COmmuniter Thomistæ dicunt, quòd non. Ita Caiet. 1. p. q. 52. Soncinas 5. Metaph. q. 19. Vazquez 1. p. disput. 196. cap. 3. Cursus Carmel. de quantitate disp. 13. q. 3. Probant primò ex Arist. 1. Physic. cap. 2. text. 5. dicente: *substantiam de se non esse divisibilem*; sed, quòd habet partes, est divisibile: ergo substantia materialis de se non habet partes. Item, quia in hoc cap. dicit, divisibilitatem esse proprietatem quantitatis quarto modo: ergo non competit substantiæ materiali: ergo non habet partes: quia quòd habet partes est in eas divisibile.

2 Secundò probant ex superfluitate: quia ideò ponuntur ab adversarijs partes entitativæ, vt possint recipi partes quantitatis, nam se mota quantitate à substantia, esset indivisibilis, & quantitas divisibilis non potest subiectari in indivisibili. Sed adhoc superfluæ sunt partes entitativæ, quia accidens solùm requirit in subiecto potentiam passivam ad illud recipiendum, quæ reperitur in indivisibili, alioquin si substantia esset extensa ante quantitatem, non indigeret quantitate.

3 Tertiò ex impossibilitate: quia ante quantitatem nulla potest esse in substantia compositio partium entitativarum integraliu: ergo substantia materialis, secluſa quantitate, non est totum habens partes. Antecedens probatur, quia cum compositio partium integralium non fiat ex actu, & potentia, necessariò erit accidentalis; & consequenter nō poterit esse in substātia, ante quātitatem, quia quantitas est primū accidens substantiæ materialis.

4 Quartò: quia distinctio partium in substantia caulatur à quātitate: ergo hac ablata non habebit partes: antecedens probatur, quia caput v.g. de materiali solū significat substantiam, & de formali talem figuram cum talibus accidentibus.

5 Quintò: quia materia prima hominis, se mota quantitate, non est composita ex actu, & potentia: quia est pura potentia: neque ex subiecto, & accidente, quia se mota quantitate, nullum remanet accidēs: ergo est simplex; Sed quòd est simplex non habet partes: ergo.

6 Sextò, quia 7. Metap. actus

est

est qui distinguit tex. 49. Sed materia sine quantitate, est pura potentia: ergo erit sine distinctione partium, vel sine partibus distinctis.

7 Septimò, quia esse extensum quacumque extensione, est esse secundum quid, sicut, & esse quale: ergo sicut esse quale convenit substantiæ à forma accidentali: Ita esse extensam: ergo sicut ablata quantitate, substantia non manet qualis, ita ablata quantitate manet sine partibus extensis. Antecedens probatur, quia illud est esse secundum quid respectu substantiæ, per quòd non potest responderi ad quæstionem factam per quid. Sed ad quæstionem factam per quid est substantia? Non responderur per esse extensam, etiam cum addito *entitativè*. Ergo ex se nõ est extensa entitativè.

8 Octavò, quia ridiculum esset distingnere quoddã esse quale entitativè, & aliud esse quale qualitativè, assererequ substantiam esse secundùm se qualem primo modo, non verò secundo modo: ergo absurdum etiam, & ridiculum erit distinguere quodam esse extensum entitativè, & aliud esse extensum quantitativè: & illud tribuere substantiæ secundum se, illud vero quantitati.

9 Tandem, quia ex opposita sententia sequeretur, nullum esse quantum per accidens: nam si semel admittatur in substantia propria extensio, ad recipiendũ quãtitatem; ne divisibile recipiatur in indivisibilis pari ratione in albedine, relationibus, & alijs accidentibus corporeis, ponenda est extensio entitativa, vt in quantitate recipiantur; ne indivisibile in subiecto divisibili reperiatur.

10 Scotus vero in 2. dist. 12. q. 2. sub numero 5. § *Si quæras etiam*. Postquam probavit sine cõtradictione posse substantiam materialem esse sine forma, sic dicit; *Si quæras etiam an habeat partes? Dico, quòd partes substãtiales habet: illas enim non habet per quantitatem.* Ipsum sequuntur omnes eius discipuli. Aureolus, Gotfredus, Maior, Gabriel, Ocham, & cæteri nominales. Et ex Thomistis Fonseca lib. 5. cap. 13. q. 2. sect. 3. Suarez in Metaph. disp. 40. sect. 4. Conimbricenses 2. Physic. cap. 2. q. 2. art. 3. Rubius ibidem cap. 3. q. 2. Martinius hic disput. vnica q. 1. Caberus disp. 2. dub. 2. Torrejon disp. 3. q. 1. Nostet Merinero de quantitate cap. 1. q. 2. num. 13.

11 *Dico ergo prime*: quòd substantia materialis remota quãtitate habet partes substantiales. Probo sic, in quolibet prædicamento singularitates pertinent ad illud. v. g. singularitates quãtitatis pertinent determinate, & per se ad prædicamentum quãtitatis, non ad prædicamẽtum substantiæ: ergo singularitates substantiæ pertinent per se ad prædicamentum substantiæ, & non ad

prædicamentum quantitatis; sed substantia manus est hæc pars substantialis, & substantia pedis est hæc pars substantialis: ergo remota quantitate manent hæc, & hæc: ergo tota illa substantia materialis habet hanc partem, & hãc partem. Patet, quia non est, quod destruat singularitates illas partiales substantiales. Præterea in aggeneratione, seu nutritione additur nova pars substantiæ. Ita Scotus 3. dist. 16. q. 1. ad 2. & in 4. d. 44. q. 1. n. 7. ergo habet partes substantiales.

12 *Dico secundò*: signando partem, quæ erat in manu, & partẽ, quæ erat in pede, est verum dicere; hæc pars substantialis manus est distincta numero ab illa, quæ erat in pede. Probo, quia omne singulare est divisum, & distinctũ à quolibet alio; sed prædictæ partes substantiales sunt singulares: ergo quælibet est distincta numero ab alia.

13 *Dico tertiò*, etiam est verum dicere, *hæc pars non est illa*. Probo, quia quando duo differũt numero, est verum dicere, hoc nõ est illud: sed prædictæ partes substantiales differunt numero: ergo est verum dicere hæc pars substãtialis non est illa.

14 *Quæres primò*, vtrùm sit verum dicere hæc pars est extra illam? Respondeo, quòd esse vnum extra aliud accipitur dupliciter, vno modo absolutè, sicut vna pars quantitatis est extra aliam. Alio modo cum restrictione, hoc est substantialitèr, sicut dicitur attributum formale Dei esse substãtialitèr extra quidditatem divinam, hoc est, quòd non includitur formalitèr in quidditate Dei. Et sicut dicitur, quòd propria passio est extra essentiam, cuius est. Nũc loquẽdo de partibus substantialibus, remota quãtitate, dico, quòd non est verum dicere absolutè hæc pars est extra illam. Et ratio est, quia vnam partem esse extra aliam absolutè competit per se partibus quantitatis tantum. Potest tamen dici de illis partibus cum restrictione, quod vna est extra aliam substantialitèr. Quæ idẽ est, quod dicere, hæc pars substãtialitèr distinguitur numero ab illa, & non est illa.

15 *Quæres secundò*: vtrùm possit dici de substantia materiali seclusa quantitate, quòd est extẽsa? Respondeo, quòd absolutè nõ potest dici: quia extensio absolutè solùm competit quantitati: potest tamen dici extensa cum restrictione substantialitèr, vel entitativè; quod est idem, ac dicere, hæc pars numero, non est illa, vel est distincta numero, & entitativè ab illa.

16 *Quæres tertiò*: vtrùm possit dici verè, quòd est divisibilis? Respondeo, quòd non: quia actu est divisa in partes singulares numero distinctas. Item, quia divisibilitas per se, tantum competit quantitati, substantiæ verò per quantitatem.

Ad

14 *Ad argumenta in oppositũ*, ad auctoritates Arist. respondeo, quòd loquitur de extensione, & divisibilitate propria, hæc solùm competit quantitati, non substantiæ, quæ si dicatur extensa, & divisibilis, solùm erit impropriè, & metaphoricè, non enim sequitur substantia materialis habet partes substantiales. vel entitativas: ergo est extensa, & divisibilis absolutè.

18 Ad illud de superfluitate dico, quòd si substantia per se haberet extensionem quantitativã, & propriam, tunc extensio quantitativa esset superflua. Sed cum non habeat ex se extẽsionem propriam, sed partes, quarum hęc nõ est illa, ideò indiget extensione propria quantitatis.

19 Ad illud de impossibilitate, dico: quòd in substantia ante quantitatem, non est compositio partium integralium, quia hęc solùm competit quantitati. Est tamen compositio partium substantialium; hæc compositio physicè fit ex partibus substantialibus, quæ se habent ad modum potentiæ; & ex indivisibilibus, quæ se habent ad modum actus. Sicùt compositio integralis quantitativa fit ex partibus quantitatis, & indivisibilibus, & non indiget cõpositione accidentali: ita compositio substantialis ex partibus entitativis non indiget compositione accidentali, quia illa substantialis est prior omni accidente.

20 Ad aliud dico, quòd in substantia est duplex distinctio partium, vna est per se, & ab intrinseco, & hæc fit per singularitates partiales substantiales. Quæ distinctio non potest esse à quãtitate, quia est prior illa, alia est distinctio per extensionem partium propriè integralium, & hæc fit per quantitatem *vt quo*. Vndè ablata quantitate non manet distinctio quantitativa: manet tamẽ distinctio substantialis numerica, quia hæc non dependet à quantitate, cum sit prior quantitate, dependens tantum ab ecceratibus.

21 Ad aliud de simplicitate, concedo, quòd substantia materialis semota quantitate non est composita ex actu, & potentia, propriè, loquimur de materia nuda ab omni forma, neque ex subiecto, & accidenti. Est tamen cõposita ex partibus substãtialibus, & indivisibilibus substantiæ, & ideò nõ est simplex, ea simplicitate, quę opponitur ad habere partes entitativas, vel substantiales numericas.

22 Ad illud ex 7. Metaph. concedo, quòd actus est, qui distinguit. Ad minorem nego, quòd materia prima absolutè sit pura potentia, quia semotis forma substantiali, & quantitativa, habet actum entitativum, & rationes individuales partium. Et omnis ratio individualis est distinctiva, & ita non erit sine partibus distinctis; sed cũ partibus actualiter

liter distinctis numericè, & copulatis indivisibilibus substantiæ.

23 Ad illud de extensione, dico, quòd est triplex extensio, vna actualis ad spatium, & ista est effectus quantitatis; alia aptitudinalis ad spatiũ, quæ est proprietas quantitatis. Alia extensio absoluta, quæ est habere partes extra partes. Et omnes istæ extẽsiones sunt accidentales substantiæ materiali. Vndè semotis manet sine aliqua istarum extensionum. Tamen remaneret in illa extensio secundum quid, quæ est, quod hæc pars non est illa, nõ autem remaneret extensio propria, idest simplicitèr, quæ stat in habere partes extra partes absolutè, sine addito diminuente.

24 Ad penultimum, dico, quòd omnes concedunt, quòd differentiæ substãtiales, sunt quales, sed non de genere qualitatis: Neque alterius prædicamenti accidentis: ergo de prædicamento substantiæ. Si in prædicamento substantiæ est *quid*, & *quale* substantiale in statu metaphysico, quid mirũ est, quòd in statu physico substãtia materialis sit *quid*, & indivisibile substantiæ; & singularitates partium sint quale substantiale: in substantia quidem nunquam concedenda est extẽsio propriè, sed tantum cum addito diminuente; quod si concedas extensionem entitativam, idem est, quod dicere, quòd hæc pars distinguitur substãtialitèr ab illa numero.

25 Ad vltimum, nego consequentiam, quia substantia, & albedo sunt quantæ per accidens ratione quantitatis: nam neque substantia materialis, neque accidentia habent propriam extensionem, licet habeant partes entitativas. Neque sequitur, qualitas materialis habet partes entitativas, quarum hæc nõ est illa; ergo habet propriam extensionẽ.

26 *Si quæras*, vbi esset illa materia sine forma. Respondet Scotus 2. dist. 12. q. 2. §. *Si quæras*. *Dico, quòd sicut Angelus, qui non est quantus, est in loco aliquo definitivè, non circumscriptivè, supposito, quod sit in vniverso, si tamẽ fieret extra vniversum, vbi locus non est, non esset in loco definitivè: sic, materia, si fieret in vniverso sine forma esset definitivè alicubi: si autẽ fieret extra vniversum, nusquã esset localitèr, vel definitivè.*

27 Resolutoriè dices, quòd extensio propria, & per se est tractio soliùs quantitatis. Hæc extensio in toto provenit ex parte extra partẽ. Hæc extensio est fundamentum positionis in ordine ad se, & positionis in ordine ad locũ. Cumque substantia materialis nõ habeat partes, extra partes propriè, & per se: fit quòd nõ sit extẽsa, & non habet partes extra partes propriè; quia partes eius non sunt quantitativæ.

QVÆST. III.

Quæ, & quales sint proprietates quantitatis?

1 Q. *Veres primò*, vtrùm nõ habere contrarium, sit proprietas quantitatis. Intelligẽdo contraria propriè, quæ sunt illa, quæ sub eodem genere distãt, & ab eodẽ subiecto mutuo se expellunt; dico, quòd nõ habere cõtrarium, nõ est proprietas quarto modo quantitatis. Primò, quia proprietas quarto modo debet esse positiva. Non habere cõtrarium non est positivum: ergo. Secũdò, quia proprietas quarto modo convenit soli. Sed non habere contrarium nõ cõvenit soli quãtitati, quia cõvenit substãtiæ: ergo.

2 *Quæres secundò*: vtrùm non suscipere magis, & minus propriè, idest intẽsivè, sit proprietas quarto modo quantitatis? Respondeo, quòd non. Primò, quia non suscipere magis, & minus intensivè, nõ est positivum. Secundò, quia etiã convenit substantiæ.

3 *Quæres*, vtrũ æqualitas, vel inæqualitas propria sit proprietas quantitatis 4. modo? Æqualitas, vel inæqualitas propria est illa, quæ ex numero partium quantitativarum, vel extensione illarum resultat. Æqualitas autem, vel inæqualitas impropria est quæ resultat ex quantitate virtutis. Ad resolutionem nota, quòd æqualitas vna est formalis, quæ consistit in relatione formali; alia est fundamentalis, & hæc dupliciter vna proxima, & alia remota, æqualitas fundamentalis proxima requirit in quantitate positionem in ordine ad locum, quæ positio est modus quantitativus, & remoto isto modo, quantitas manet cum æqualitate, vel inæqualitate remota, sicut est in quãtitate corporis Christi in Eucharistia. Nunc resp. primò: quòd æqualitas formaliter non est propria passio quantitatis. Quia relatio illa, est alterius prædicamenti. Resp. secundò, quòd æqualitas fundamentalis proxima non est propria passio quantitatis: quia non convenit semper quantitati, vt patet in corpore Christi in Eucharistia, nam est sine modo quãtitativo requisito ad mensurabilitatem fundamẽtalem proximã. Respondeo tertiò: quòd mensurabilitas fundamentalis, vel aptitudinalis remota est propria passio quantitatis quarto modo: quia convenit omni quantati, soli, & semper.

4 Contra nam æqualitas fundamentalis convenit ponderi, sed pondus est qualitas: ergo convenit qualitati: ergo non est proprietas quarto modo, quantitatis. Respondetur negando maiorem, solùm competit ponderibus similitudo, tamen, quia pondus semper reperitur in quantitatibus: & maius, vel minus pondus

in rebus eiusdem materiæ, & formæ, semper provenit ex maiori, vel minori quantitate, ideò communiter similitudo, vel dissimilitudo inter pondera appellatur æqualitas, vel inæqualitas, quia pondera, non tàm formaliter, quàm materialiter accipiuntur.

5 *Quæres quartò*, vtrùm divisibilitas in partes extensas quantitativè, sit proprietas quantitatis quarto modo? Videtur, quòd non; quia proprietas quantitatis vt sic, debet competere omni speciei, sed non competit quantitati discretæ, quia non est divisibilis, sed divisa: ergo nò est proprietas quantitatis vt sic. Item corpus Christi est quantum, & nō est divisibile: ergo divisibilitas non convenit omni quantitati cōtinuæ: ergo non est proprietas quantitatis in genere.

6 Ex alia parte videtur, quod sic. Quia Scotus 5. Metaph. quæst. 9. divisibilitas est proprietas, quæ immediatius sequitur essentiam quantitatis. Secundò, quia semper sequitur necessario, & est accidens habens partes extra partes: ergo divisibile; ergo divisibilitas est proprietas, &c.

7 Ad resolutionem claram nota, quòd est divisibilitas per numerationem, quæ reperitur in quantitate discreta; & est divisibilitas physica, quæ competit quantitati continuæ, & permanēti: vt ligno, & est divisibilitas metaphysica, quæ fit per intellectum in partes quantitatem cōponentes: & est divisibilitas vt sic abstracta ab omnibus istis. Nunc respondeo, quòd divisibilitas vt sic in partes extensas est proprietas quantitatis vt sic, & quarto modo; quia reperitur in omni quantitate, & cōvenit illi soli, & semper.

8 Dices, quòd substantia materialis est etiā divisibilis in suas partes: ergo competit substantiæ materiali: ergo non est proprietas quantitatis. Respōdeo, quòd est divisibilitas propria, & impropria per analogiam. Divisibilitas propria in partes divisibiles propriè, competit quantitati habenti partes extra partes: substantiæ verò materiali competit divisibilitas impropria.

9 Ad primum nego minorem, quia quantitati discretæ competit divisibilitas propria, & vltra eius competit divisibilitas per numerationem. Ad secundum resp. quòd quamvis quantitas corporis Christi in Eucharistia, nō sit divisibilis physicè, quia careret modo divisibili, & extenso extensione in ordine ad locum: est tamen divisibile simpliciter in partes integrantes illud. Quia est simpliciter quantum, & quantitas simpliciter, non potest non esse simpliciter divisibilis in partes quantitativas componentes illam.

10 *Quæres quintò*. Vtrùm quantitatem esse finitam, & infinitam, sit proprietas eius quarto modo: & videtur, quod non. Quia

Aristot. 5. Metaph. cap. 3. dicit de ratione numeri esse, quod sit finita multitudo, alioquin numerus numerari non posset. Item, dicit, de ratione magnitudinis esse, quòd possit, sub mensura cadere, quòd est dicere, esse finitam. Sed idem non potest esse finitum, & infinitum; ergo finitas, & infinitas non sunt proprietates quantitatis; sed solum finitas. Ex alia parte Philosophus 1. & 3. Physicorum dicit: quantitatem esse finitam, & infinitam.

11 Respondeo cum Scoto 2. Metaphysic. quæst. 6. quòd finitas in actu, & infinitas in potentia, sunt proprietates quantitatis. Finitas in actu, quia omnis quantitas habet terminum actualem. Infinitas in potentia, quia substantialiter quantitas est divisibilis in semper divisibilia, neque est numerus cui non possit addi alter eiusdem rationis numericæ: Species tamen sunt finitæ: & per hoc patet ad argumenta dicendo, quòd numerus est determinatus actu, & indeterminatus in potentia. Similiter de magnitudine, quia non repugnant aliæ, & aliæ partes homogeneæ numero distinctæ.

12 Quæres sexto, vtrùm esse mensuram, sit proprietas quantitatis? Ad loquendū cum distinctione notandū est, quòd mensura alia est actualis, alia aptitudinalis: vna activa, alia passiva. Ad mensuram activam tres requiruntur conditiones. Prima, quòd sit nota, & certa. Et ratio est, quia per ipsam certificamur de magnitudine rei. Secunda, quòd consistat in indivisibili, ex institutione hominū, hoc est in tanta quantitate. quæ ita sit consistens, quòd si ei aliquid addatur, vel minuatur, desinat esse mensura. Tertia, quòd sit homogenea cū mēsurato: hoc est, quòd si mensuratum sit longum, & mēsura; si latum, lata; si permanens, permanens; si successivum, successiva.

13 Quod si obijcias, vnitas est mensura numeri: quia omnes numeri mensurantur, secundum quod habēt plures, vel pauciores vnitates: Sed vnitas nō est homogenea, neque eiusdem rationis cū numero, quia vnitas non est numerus: ergo non est de ratione mensuræ, quod sit homogenea cum numero. ¶ Respondetur, quòd vnitas, nō est mēsura numeri, sed vnitas multiplicata; quia vnitate multiplicata bis, metitur binarius, & multiplicata ter, ternarius, &c. constat autem vnitatem multiplicatam esse numerum, ac per consequens eiusdem rationis mensuram cum mensurato.

14 Dices: ergo idē mensuratur seipso. Patet, quia vnitas multiplicata est ipse numerus mensuratus. Resp. negando conseq. quia mensura, & mensuratum differūt numero, vna quidē virga, mensuratur alia, eiusdem rationis, nō seipsa.

Nunc

15 *Nunc dico primò*, quod mensura actualis activa non est proprietas quantitatis. Ratio est, quia actualitas mensuræ activè convenit quãtitati, non ex natura rei, sed ex impositione hominum.

16 Loquendo de mensura activa aptitudinali, notãdum est, quod vna est proxima, quæ advenit quantitati ex positione partiũ in ordine ad locum. Alia est remota, quæ convenit quantitati finitę in actu, ex eo, quòd habet partes extra partes.

17 *Nunc dico secundò*, quòd mensura activa aptitudinalis non est proprietas quantitatis vt sic, quarto modo: quia proprietas quarto modo convenit semper rei ab intrinseco, ita quod res non potest esse sine illa: sed quantitas potest esse sine mensurabilitate activa proxima: ergo. Minorem probo, quia mensurabilitas activa proxima petit modũ quantitativum, hoc est positionẽ in ordine ad locum; sed potest dari, immò de facto datur quantitas in corpore Christi in Eucharistia sine modo quantitativo, hoc est sine positione in ordine ad locum: ergo datur quantitas sine mensurabilitate activa proxima.

18 *Dico tertiò*, mensurabilitas activa remota est proprietas quarto modo, quantitatis actu finitæ. Probatur, quia hæc convenit omni quantitati actu finitæ, & soli, & semper; nam ex quo quantitas finita habet partes extra partes, habet aptitudinem, vt habeat partes extra partes in ordine ad locũ: & ex quo habet partes extra partes in ordine ad locũ, habet aptitudinem proximã vt sit mensura actualis, & determinata ex institutione hominum.

19 Sed contra, quia proprietas quantitatis vt sic, debet convenire omni speciei quantitatis; sed non cõpetit ista mensura quãtitati discretæ, quia Arist. 10. Metaph. cap. 2. docet, *omnia tandẽ mensurari vnitate*: ergo. Respondeo, negando minorem, ad probationem dico, Arist. ibi non negasse mensuram quantitati discretæ; sed solùm docuisse, quantitatem continuam nõ esse vltimam mensuram, sed hoc competere discretæ, eo quod vnæ, v. g. quibus mensuratur pannus, vnitatibus repetitis vlterius mensurantur.

20 Loquendo de mensura passiva, notandum est, quod vna est actualis, alia aptitudinalis. Mensura actualis passiva non est proprietas quantitatis actu finitę. Et ratio est, quia mensurari actu, accidit quantitati, & proprietas debet semper convenire.

21 Vlterius mensura passiva aptitudinalis, alia est proxima, quæ petit positionem, & extensionem in ordine ad locum. Alia est remota, quæ solùm petit partes extra partes quantitativas. *Nunc dico*, quod mensurabilitas proxima non est proprietas quantitatis

ti: actu finitæ, quia hæc mensurabilitas passiva proxima dependet à situatione, vel positione in ordine ad locum, & hæc positio, & situatio potest deficere, & defacto deficit in corpore Christi Eucharistico: ergo etiam hæc mensurabilitas potest deficere quantitati; propria passio quarto modo non potest deficere rei.

22 *Tandem dico*, quod mensurabilitas aptitudinalis remota est proprietas quantitatis actu finitæ, quia convenit ex natura rei omni qnantitati, & soli, & semper, eo quod necessariò pululat, & consequitur naturam quantitatis actu finitæ.

QVÆST. V.

Vtrùm quantitas distinguatur realiter à re quanta?

1 ANte tempora Scoti fuit opinio negans, vt ipse refert in 4. dist. 12. q. 2. n. 15. §. *qui autem* dicens: *Qui autem dicerent quantitatem substantiæ corporeæ non esse aliud ab essentia talis substantiæ, & quantitatem coloris non esse aliud à colore.* Quam postea suscitarunt discipuli Scoti Nominales dicti, nempè Ocham in 4. dist. 4. à quolib. 4. q. 29. vsque ad 33. & latissime tractatu de corpore Christi à cap. 17. Gabriel in 2. dist. 16. & alij, quam opinionem exulantem, quidam moderni conantur revocare ad scholas, de quorum numero est Arriaga 5. Metaph. sub lectione 3. num. 21.

2 Primum eorum fundamentum est, si quantitas distinguitur realiter à substantia materiali: ergo Deus potest separare illam à substantia, & illam conservare. Tunc sic, vel *ista* substantia haber partes extensas localiter, vel non? Si sic: ergo substantia haber intrinsecam quantitatem, quia quod haber partes extensas localiter est quantum, si non habet partes extensas: ergo in instanti separationis à quantitate, partes substantiæ, quæ anteà erant extensæ localiter, manent in loco coniunctæ. Hoc est impossibile, quia quæ sunt localiter separata, non possunt coniungi nisi per motum localem, cuius non sunt capaces absque quantitate.

3 Secundum est, qnando quantitas recipitur in substantia, vel recipitur tota in tota substantia, & pars in parte: vel tota in tota substantia, & tota in qualibet parte. Non secundum, quia repugnat accidenti corporeo: ergo primum. Si primum, ergo substantia haber partes extensas ex se, & non à quantitate: ergo ex se est quanta. Patet consequentia, quia quod ex se habet partes extensas, ex se est quantum.

4 *Vera sententia est*, quantitatem distingui realiter à sub-

stan-

sentia materiali. Hanc semper tenuere vtraque schola, Scotus in 4. distinct. 11. quæst. 2. dicens, esse sententiam communem, & in 2. distinct. 2. q. 9. D. Thomas 3. parte quæst. 77. artic. 2. & in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 3. & omnes discipuli eorum. Probatur primò, quia Patres, & Doctores scholastici catholici semper senserunt, quantitatem panis remanere in Sacramento Eucharistiæ corrupta substantia materiali panis. Secundò, quia semper senserunt, quantitatem esse accidens per accidens substātiæ materialis ratio Scoti omne absolutū, & prius alio absoluto sine contradictione potest esse sine illo secundo; sed substantia est absoluta, & prius quantitate absoluta: ergo.

5 Respondent Nominales, quod in Eucharistia destruitur quantitas panis cum substantia, & quantitas, quæ remanet, est aliorum accidentium, quia vnumquodque habet suam quantitatem identificatam. ¶ Sed contra primo, nam sicut opinio illorum est contra torrentem Patrum, & Doctorum, ita ista solutio. Item, quia non sunt multiplicandæ quantitates sine necessitate. Sed nulla est necessitas multiplicandi tot quantitates, quot sunt qualitates, & relationes in ente materiali: quia sufficit vna, & quia omnes illæ quantitates habent effectum vnius rationis, nempè extensionis: &c.

6 Ego autem Logicè sic probo conclusionem, omne prædicamentum constat ex naturis cōpletis in suis lineis; sed est prædicamentum quantitatis secundum Philosophum, & omnes Logicos: ergo constat naturis completis: etiam est prædicamentum substantiæ: ergo constat naturis completis; sed naturæ completæ diversorum prædicamentorum distinguuntur realitèr: ergo quantitas distinguitur realitèr à substantia, &c.

7 *Ad primum concedo*, quod Deus potest separare substantiam à quantitate, & tunc substantia materialis nō haberet partes extensas localitèr circumscriptivè; sed diffinitivè; quādo dicunt hoc esse impossibile, quia quæ sunt localitèr separata, non possunt coniungi nisi per motum localē. Dico, quod talis coniunctio non est per motum localem circumscriptivè, quia deficiente quantitate non est motus circumscriptivus, sed transit substantia ab extensa ad non extensam à loco circumscriptivo ad diffinitivum, quod est per motum definitivum.

8 Ad secundum concedo, quod in tota substantia recipitur tota quantitas, & pars quantitatis in parte substantiæ, & quando deducunt: ergo substantia materialis habet partes extensas ex se; nego consequentiam, quia non sequi-

sequitur nisi habere partes ex se. Habere partes ex se dividitur in habere partes substantiales, vel entitativas, & habere partes extensas. Partes entitativæ substantiæ non sunt extensæ actu ante quantitatem, sed capaces recipiendi extensionem à quantitate, neque sequitur, habet partes: ergo extensas.

QVÆST. V.

Quales sunt divisiones quantitatis, quas adducit Arist. in hoc cap.

1 PRima *divisio* fuit, quantum aliud per se, aliud peraccidens. De ista quæritur, qualis sit. Respondent, omnes esse analogi in analogata, & ratio est quia ratio significata per nomen *quantũ*, reperitur formaliter, & intrinsecè in quanto per se: At in quanto peraccidens solùm reperitur extrinsecè, & per habitudinem ad quantum per se.

2 *Secunda divisio fuit*, quãtum, aliud cõtinuum, & aliud discretum. De ista quæritur, an sit generis in species? Et videtur quòd non, quia vna species non fit ex alia; sed quantitas discreta fit ex continua: ergo quantitas continua, & discreta non sunt species quantitatis.

3 *Respondet Scotus* q. 17. prædicamentali, & cum eo omnes communiter, esse generis in species ita Lalemandet breviter disput. 16. partitione 14. in fine, quia illa est divisio generis in species, quando divisum includitur in membris *in quid*, & vt pars, sed quantitas vt sic, ita se habet respectu continuæ, & discretæ: ergo. Minor probatur istis prædicationibus, *quantitas continua est quãtitas, quantitas discreta est quantitas.*

4 Ad rationem dubitandi distinguo maiorem, vna species non fit ex alia, quidditativè, & formaliter, concedo maiorem; materialiter, nego maiorem; quantitas discreta fit ex continua, non ita, vt continua sit pars quidditativa, & formalis discretæ, sed vt materia ex qua: per quod non tenet consequentia.

5 Objicies vna species, non est prior alia; sed quantitas continua est prior discreta: quia hæc fit ex illa: ergo non sunt species quantitatis. ¶ Distinguo maiorem, vna species non est prior alia, in essendo, nego: in aptitudine ad accipiendum prædicationem, concedo. Quantitas continua est prior discreta in essendo; sed non in aptitudine ad recipiendum prædicationem, per quod negatur consequentia.

6 Objicies secundo, vna species non prædicatur de alia; sed quantitas discreta prædicatur de continua: ergo. Probatur minor, quia hęc est bona prædicatio *hę lineæ sunt tres*. ¶ Resp. maiorem esse

esse verâ in de prædicatione essentiali, non verò de denominativa, & accidentali, ista prædicatio *hæ lineæ sunt tres*, est denominativa, & accidentalis. Aliter potest dici, quod in illa, prædicatur quantitas discreta de discreta, quia *hæ lineæ* sunt quãtitas discreta, & *tres*, idest, lineæ tres, est etiã quãtitas discreta numeri ternarij.

7 Obijcies tertiò, genus non prædicatur de speciebus *in quale*, & per modum alteri adiacentis, sed *in quid*, & per modum per se stantis: sed quantitas, prædicatur de continua, & discreta, per modum adiacentis, & *in quale*: ergo continua, & discreta non sunt species quantitatis. Minor patet in istis prædicationibus, *linea est quanta, numerus est quantus*. ¶ Respondet Scotus q. 17. prędicamentali, hoc esse peculiare quantitatis, quod prædicetur de speciebus, non solùm *in quid*, ita, *linea est quãtitas, numerus est quantitas*; sed etiam *in quale*, sic, *linea est quanta, numerus est quantus*; sed si hoc non placet, dicito, quòd quantitas nõ prædicatur *in quale*, sed *in quid*, & quòd illæ prędicationes *linea est quanta, numerus est quantus*, sunt generis de speciebus, quia quantitas, & quantum concretiuè, sunt idem formaliter.

8 *Quæres*, vtrùm ista divisio sit generis supremi in species subalternas? Respond. Scotus illa quæst. 17. quod sic. Quia tunc divisio est generis supremi in species subalternas, quando genus non habet supra se aliud genus, & species possunt esse genera aliarum specierum. Ita est hic, quia quantitas non habet supra se aliud genus determinatè pertinens ad vnum prædicamentum, nam accidens absolutum transcendit per quantitatem, & qualitatem: & quantitas continua dividitur in alias species, vt videbitur: & etiã quantitas discreta dividitur in alias species: ergo est divisio generis supremi in species subalternas.

9 *Tertia divisio* ex traditis hic ab Arist. est ista: quantum, aliud est constans partibus habentibus positionem incontinuo; aliud verò constans partibus non habentibus positionem in continuo. De hac divisione quæritur qualis sit? communiter dicitur esse subiecti in accidentia.

10 Sed procedendo cum maiori distinctione, & subtilitate cũ Scoto q. 17. prædicamentali in fine, dicendum est, quod si membra dividentia sumãtur formaliter, pro positione partium in quantitate continua, & pro non positione in quantitate continua. Tunc est divisio subiecti in accidentia, quia positio est accidens, quod subiectatur in quantitate continua.

11 At si membra dividentia accipiantur fundãmentaliter, nempè pro illa capacitate, quæ est in linea, superficie, &c. vt partes eius existentes in loco dispo-

nantur secundum talem ordinem: & pro incapacitate ad talem positionem in quantitate discreta: dicendum est cũ Scoto ibi, prædictam divisionem esse quantitatis per differentias intrinsecas materiales, non aliter, ac corpus dividitur in corruptibile, & incorruptibile.

12 Obijcies vnum genus non habet nisi vnam divisionem per differentias intrinsecas; sed quantitas divisa est per continuam, & discretam, tamquam per differentias intrinsecas, & specificas: ergo divisio quantitatis per constare partibus habentibus positionem in continuo, & per constare partibus non habentibus talem positionem, non est diuisio per differentias intrinsecas.

13 Respondet Scotus, vnum genus non habet nisi vnicam divisionem per differentias intrinsecas formales, & essentiales, sed præter istam possunt esse plures aliæ diuisiones per differentias intrinsecas materiales; vt videre est in corpore, quod postquam divisum est in animatum, & inanimatum tanquam per differentias intrinsecas formales, & essentiales: dividi etiam potest per corruptibile, & incorruptibile, tamquam per differentias intrinsecas materiales. Hoc idem contingit in quantitate incommuni; nam postquam divisa est per continuã, & discretam, tamquam per differentias intrinsecas formales, & quidditativas: postea eadem quantitas divisa est, per constare partibus habentibus positionem in continuo, & per constare partibus non habẽtibus positionem in continuo, tanquam per differentias intrinsecas materiales.

14 *Quarta divisio est*, quantitas, alia permanens, alia successiva. De qua quæritur, qualis sit? Respondet Scotus in 2. dist. 2. q. 4. §. *Contra conclusionem* circa finem, quod est divisio generis per differentias intrinsecas materiales. Quia hæc divisio non est in accidentia, neque indifferentias formales, & quidditativas, quia hæ non sunt nisi duæ, nempè continuitas, & discretio: ergo debet esse per differentias intrinsecas materiales. ¶ Si quæras, quid sit quãtum permanens? Respond. est illud, cuius partes sunt simul in aliquo tempore, vt linea. ¶ Si quæras, quid sit quantum successivum. Respondetur, est illud cuius partes non sunt simul in aliqua duratione; sed successivè fluunt: vt tempus, & oratio.

15 Alias sub divisiones adduxit Arist. in litera, nã quantũ continuum subdivisit in lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum; & quantum discretũ, in numerum, & orationem, de quibus infe-

CAP. III.

De speciebus quãtitatis cõtinuæ.

QVÆST. I.

Verùm linea, & superficies sint species quantitatis continuæ, à corpore, & inter se distinctæ?

1 PRimò supponendũ est, quid sit linea, quid superficies, quid corpus quantitatis, vt inde videamus an sint species quãtitatis continuæ. *Linea est quantitas continuata punctis. Superficies est quantitas continuata lineis.*

2 Sed loquendo de corpore, aduertendum est, quod est tripliciter. Primò accipitur corpus pro prædicato inter medio in prędicamento substantiæ. *Et hoc est substantia corporea.* Secundò accipitur physicè, pro corpore physico, *quod est altera pars compositi substantialis*, vt corpus humanum receptiuum animæ. Tertiò quantitatiuè, & in hac acceptione, *corpus est quantitas continuata superficiebus. Quantitas continua est quantitas, cuius partes copulãtur aliquo nexu communi.*

3 Noster Ochamus Caput nominaliũ, in sua dialectica de quãtitate, & Gregorius in 2. dist. 2. q. 2. & alij Nominales, dicunt lineã, & superficiẽ non esse species quãtitatis continuæ distinctas inter se, neque à corpore: sed solùm esse vnicam speciem continuam, nempè corpus, quæ species, vt consideratur habens longitudinẽ, dicitur linea; vt cõsideratur habens latitudinem, dicitur superficies: & vt cõsideratur habens profunditatem, dicitur corpus. Hanc sententiam sequuti sunt Hurtado disp. 13. in Metaph. sect. 6. Cauerus super hoc cap. disp. 2. dub. 5.

4 Fundamentum Nominaliũ est, nam differentię constituentes, & distinguẽtes varias species quãtitatis, debent esse positivæ, sed differentiæ lineæ, & superficiei non sunt positivæ: ergo non constituunt varias species lineę, & superficiei. Minor probatur, quia linea solùm distinguitur à superficie per hoc, quod linea caret latitudine, & superficies à corpore, quia superficies caret profunditate.

5 Fundamentum autem modernorum est, omnis species debet esse quid completum: ergo quod est species quantitatis, debet esse quid completum: sed linea, & superficies non sunt quid completum in genere quantitatis: ergo non sunt species eius. Istam minorẽ, in qua est tota difficultas, sic probant, nam sicut motus ordinatur essentialitèr ad terminum, & punctum ad lineam, ita linea ordinatur essentialitèr

ad ſuperficiem, & ſuperficies ad corpus: ergo ſicut motus, & punctum, ſunt quid incompletum, & propterea non ſunt propriæ ſpecies quantitatis; ſic etiam linea, & ſuperficies ſunt quid incompletum, & non veræ ſpecies quantitatis.

6 Tertiò, quia vna ſpecies non poteſt includi in alia: ſed linea includitur in ſuperficie, & linea, & ſuperficies in corpore: ergo linea, & ſuperficies non ſunt ſpecies quantitatis continuæ. ¶ Præterea, quia quantitas cõtinua, & permanens, hoc ipſo, quod talis eſt, habet partes impenetrabiles loco; ſed hæc impenetrabilitas non competit partibus iſtarũ dimenſionum, quas pro formali dicunt ſuperficies, & linea: ergo ſuperficies, & linea formaliter cõſideratæ non ſunt ſpecies quantitatis continuæ. Probatur minor, quia ſi ſuper corpus perfecte planum ponatur aliud æquale, ſuperficies vltima vnius tanget omnes partes ſuperficiei vltimę alterius: ergo penetrantur; quia penetrari, nil aliud eſt, quã quod vna quantitas tangat omnes partes alterius.

7 *Vera, & communis ſententia eſt*, lineam, & ſuperficiem eſſe ſpecies quantitatis continuæ, diſtinctas inter ſe, & à corpore. Hanc ſententiam docet Princeps Philoſoph. hoc cap. & 5. Metaph. c. 13. item eam docuerũt Principes Theologor. Scotus in 2. d. 2. q. 9. in. L. & illã ſupponit vt certã q. 20. prædicamẽtali, & S. Th. opuſ. 48. tract. 3. c. 5. & alibi ſæpè, eam tenent omnes veri diſcipuli eorũ.

8 Probatur primo, quia illa, quæ conueniũt in aliqua ratione *in quid*, & differũt per aliquid intrinſecũ, ſunt ſpecies, & differẽtes inter ſe: ſed linea, ſuperficies, & corpus cõveniunt in ratione quãtitatis cõtinuæ, vt *in quid*, & differunt per differẽtias intrinſecas: ergo. Probatur prima pars minoris, nam hæ ſunt prædicationes *in quid*, linea eſt quãtitas cõtinua? Superficies eſt quãtitas continua: ergo quantitas cõtinua eſt *in quid* reſpectu illarũ. Probatur ſecunda pars minoris, nam indiviſibile eſt intrinſecum lineæ, quia *linea eſt quantitas, cuius partes copulãtur indiviſibili*: ergo indiviſibile eſt intrinſecũ lineæ. ¶ Item indiviſibile intrinſecũ eſt per quod linea differt à ſuperficie, & à corpore; nam ſuperficies eſt quantitas copulata lineis, & corpus quãtitas continua copulata ſuperficiebus: ergo indiviſibile eſt differẽtia. Similiter linea eſt differentia intrinſeca ſuperficiei. Et nota, quod loquor de differẽtia phyſica, quæ arguit differentiam Metaphyſicam occultam.

9 Item illa, quæ habent diuerſas paſſiones, differunt ſpecie; ſed geometria demonſtrat diuerſas paſſiones de linea, ab his, quas demõſtrat de ſuperficie, & corpore: ergo linea ſuperficies, & corpus ſunt ſpecies diuerſę quãtitatis cõtinuæ.

10 Ad

10 *Ad fundamentum* Nominalium concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem nego lineam distingui à superficie per hoc solùm, quòd linea careat latitudine, & superficies careat profunditate, nam linea primò, & de formali dicit extensionem secúdú longitudinem. Superficies autem primo, & pro formali dicit extensionem secundùm latitudinem, & corpus primo, & formaliter dicit extensionem secundum profunditatem: quæ omnia positiva sunt.

11 Ad primum modernorum concedo, quòd linea secundum longitudinem est species completa quantitatis: cum probant per similitudinem puncti, respondeo, esse magnam disparitatem, nã linea dupliciter se habet, vno modo secundum longitudinem, & hoc modo patet, quod est divisibilis, & quantitas. Alio modo secundum latitudinem, & hoc modo caret latitudinis extensione, & secundum istum modum est indivisibilis, sicut punctum, & ut indivisibilis ordinatur ad superficiem, & est, *quo* partes superficiei copulantur: punctum non habet lõgitudinem sicut linea, & ita punctum non potest esse species cõpleta. De motu vero successivo dicetur postea.

12 Ad 2. concedo, quod vna species non potest includi in alia secundú rationẽ formalẽ naturæ specificæ, bene tamen secundum aliú modú; linea secundum longitudinem non includitur in superficie, sed tantum secundum quod est indivisibile quoddam ad partes superficiei. Similiter dicendú est de superficie, quæ secundùm extensionẽ est divisibilis, & quanta, & sic species completa. At, vt caret profunditate, est indivisibilis ad partes corporis. Vnde vt superficies est extensa, non includitur in corpore; sed vt indivisibile corporis. Hæc est vera responsio per simile; numerus ternarius est species quãtitatis discretæ: & tamen non includitur in quaternario formaliter, vt ternarius est species quantitatis discretæ, sed tantum, vt est quid materiale. Vbi vides, quod vno modo est species formaliter, & alio modo materia alterius: sic linea secundùm longitudinem est species quantitatis, & secundùm quòd est indivisibile carens latitudine, non est species formaliter; & includitur in superficie. Sic de superficie respectu corporis.

13 Ad tertium nego consequentiam: nam ad penetrationem non sufficit, quòd omnes partes vnius quantitatis tangant omnes partes alterius, quia potest contingere per contiguitatem, sicut in exemplo posito duarum superficierum contingit; sed etiam est necessarium, quod sint simul eodem loco, & vna intra aliam, quòd non contingit in exemplo posito.

Quæ

art. 3. & alij. Et videtur colligi expreſsè ex Scoto in 4. diſt. 48. q. 2. litt. G. dum dicit: *quod tempus non eſt quantitas: quia vna quantitas non eſt in alia, & tempus eſt in motu.* Ex quibus colligitur: ergo motus eſt quantitas.

4 Ratio eſt: quia omne, quod per ſe habet partes extenſas copulatas termino cõmuni, eſt quãtitas continua: ſed motus per ſe, & formaliter ſumptus, habet partes extenſas, & copulatas termino communi: ergo. Quod autem ſit ſpecies quantitatis continuæ diſtincta à linea, & ſuperficie, ſpatet, quia quando partes quantitatis habent diverſas proprietates, ſunt diſtinctæ ſpecies quantitatis: ſed partes lineæ, & ſuperficiei petunt permanentiam, & partes motus proprij petunt ſucceſſionem, quæ proprietates ſunt diverſæ: ergo.

5 Reſpondebis, motum habere partes per accidens, ratione magnitudinis ſpatij. ¶ Sed contra, quia ſicùt forma materialis producta, habet per ſe partẽ poſt partem entitativè, quãdo eſt ſubſtantialis, ſic motus intrinſecè habet partem poſt partem, quia ſicùt forma materialis integratur ſuo modo ex partibus ſuis entitativis: ſic motus intrinſicè integratur ex ſuis partibus.

6 Præterea motus propriè nõ ſolum habet partes diverſas à linea, &c. Sed etiam indiviſibilia diverſa. ſcilicèt *mutata eſſe*; ergo intrinſicè habet partes poſt partes, & indiviſibilia diverſa: ergo intrinſicè eſt diverſa ſpecies quãtitatis.

7 Obijcies Scotum quæſt. 23. prædicamentali, verſu *Ad ſecundum* dicentem: *motus non eſt quãtitas.* Et reddit rationem, *quia ratio eius tota poteſt intelligi conuenire indiuiſibili.* ¶ Reſpondeo, quòd loquitur de motu inſtantaneo, non de ſucceſsivo.

8 *Ad ſolutionem claram*, & veram primi, ſubtilitèr notandum eſt, quòd motus dupliciter accipitur, vno modo pro via ſeu cauſalitate formæ habentis partes entitativas, & in hac acceptione eſt motus impropriè, & dicit habitudinem eſſentialem ad ſuum terminum, & pertinet ad prædicamentum termini producti. Vnde ſi terminus productus eſt forma ſubſtantialis materialis, pertinet ad prædicamedtum ſubſtantiæ. Etſi terminus productus eſt qualitas, pertinet ad prædicamentum qualitatis. Alio modo motus propriè accipitur pro illa mora, ſeu duratione ſucceſsiva, quæ in fieri illius rei habentis partes entitativas conſumitur.

¶ Ex hoc diſtinguo maiorem, motus diſtinguitur eſſentialitèr per habitudines ad diverſos terminos, & non per modum extenſionis: de motu ſumpto pro cauſalitate, ſeu tendẽtia ad formam, eſt vera, de motu proprio ſumpto pro mora, ſeu duratione ſuc-

ceſ-

cessiva; quæ consumitur in fieri illius rei, est falsa. Hic motus habet essentialem extẽsionem, quia integratur ex partibus extensis successivis.

9 Ad secundum respondeo ex dictis, distinguendo maiorem, motus sumptus pro causalitate concedo, quòd est ens incompletum, imperfectum, quod reducitur ad suum terminum. Motus proprius, sumptus pro mora seu durationè successiva, quæ consumitur in fieri formæ habentis partes, nego maiorem, concedo minorem, & nego consequentiam.

QVÆST. IIII.

Virùm tempus sit species quantitatis continuæ?

1 SVarez in Metaph. disp. 40. sect. 9. Murcia disp. 2. q. 3. Caverus disput. 2. dub. 7. dicunt quòd non. Et videtur sententia Scoti in 4. d. 48. quæst. 2. vbi dixit: *tempus nõ est quantitas, quia vna quantitas, non est in alia, & tempus est in motu.*

2 Probatur primò ex Arist. qui 5. Metaph. dicit, quòd tempus est quantus per accidens, sicut & motus. Et reddit rationẽ, quia tempus est quantum per motum, & motus per mobile. ¶ Secundò probatur rationibus, quia tempus non est ens reale: ergo nõ potest esse species quantitatis realis. Probatur antecedens, quia partes temporis vna est præterita, altera futura; sed præteritum, & futurum nò sunt realitèr: ergo. ¶ Itèm, quia tempus est mensura, sed mensura est aliquòd rationis pendens ex institutione hominum: ergo.

3 Itèm, quia de ratione quantitatis successivæ est, vt sit impenetrabilis naturalitèr cum alia in eodem spatio durationis: sed tempus potest penetrari cum alio tempore in eodem spatio durationis: ergo non est species quantitatis. Probatur minor, nam in eadem hora possunt durare quamplures motus simul, v. g. alterationis, augmentationis, & locales, &c. ergo plura tempora, quibus motus illi intrinsicè mensurentur.

4 Tandem: quia tempus, quo durat motus primi mobilis, non potest mensurari: ergo nõ est quãtitas. Patet consequentia: quia mensurabilitas tàm activa, quàm passiva sunt proprietates quantitatis.

5 *Ad resolutionem* quæstionis notandum est, quòd tempus est concretum, de materiali dicit motum successivum, proprium, & de formali rationem mensuræ. Secundum istam distinctionem pono istas conclusiones. ¶ *Prima conclusio.* Tempus formalitèr acceptum pro mensura formalitèr, non est species quantitatis. Et ratio est, quia tempus pro formali, & vt formaliter est mensura, est ens rationis. Sed nullum ens rationis

tionis est species quantitatis continuæ: ergo tempus formaliter nó est quantitas.

6 *Sit secunda conclusio*, tempus materialiter sumptum, pro motu successivo primi mobilis, est quantitatis species. Ita Scotus q. 23. prædicamentali. Tartaretus hoc cap. §. *Quarto sciendum*. Noster Maironus hoc cap. pasu 24. Didacus à Iesu q. 2. Masius sect. 3. q. 5. Cursus Carmelitanus disp. 13. quæst. 5. Probo cõclusionem, quidquid habet partes extra partes extensas, est quãtitas: sed motus, qui est materiale temporis, habet partes extra partes, extensas successive: ergo.

7 *Sit tertia conclusio*: motus, & tempus, sumpto tempore materialiter, non sunt species quantitatis distinctæ essentialiter inter se; sed solum accidentaliter. Ita Lalemandet de Ente disput. 9. part. 6. n. 18. Probatur prima pars: quia sicut partes motus proprié sunt successivæ, & quando vna est præterita, altera est futura: ita partes temporis materialiter sumpti; & indivisibilia vtriusque sunt eiusdem rationis: ergo. Secũdam partem probo, quia tempus supra motũ solú addit relationẽ criterionis mensuræ, ista est accidentalis motui: ergo solùm distinguũtur accidentaliter.

8 *Ad authoritatem Scoti*, respondeo, quòd sua intentio est, quòd tempus formaliter non est quantitas, & hoc probat sua ratio, quia vna quantitas non est in alia, tempus formaliter pro mensura est in motu, vt sub ecto: ergo tempus pro formali, non est quãtitas.

9 Ad authoritatem Arist. respondet Scotus, q. 23. prædicamẽtali, quod Arist. vocavit tempus, quantum per accidens, non, quia materialiter sumptum, sit quantit per accidens, cum constet intrinsice partibus extensis successivis; sed appellavit tempus quantum per accidẽs, vel ab alio, quia accipit suum esse à causa efficiente extrinseca.

10 Ad primam rationem dico, quod tempus pro formali non est ens reale, eo quòd est formalis ratio mensuræ; sed de materiali, nego, quod tempus non sit ens reale, cum Lalemandet de Ente metaph. disp. 9. part. 6. n. 23. Ad primam probationem dico, quòd ex eo, quòd præteritum iam non est, & futurum nondum advenit, non sequitur partes materiales temporis non esse reales, sed solum sequitur non esse entia realia permanentia. Ad secundum solùm probare, quòd tempus pro formali non est ens reale, quod à nobis statutum est.

11 Ad secundam, nego minorem. Ad probationem, quod illi motus, qui fierent in vna hora sine tempora: non enim sunt nisi puræ motus; non tempus; quia nõ sunt mensuræ: ibi non est tempus nisi in hora, quæ est mẽsura illorũ motuum.

Ad

12 Ad tertium respondet Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 3. lit. B. quod desumpsit ex Arist. 4. Physicorum text. 114. quòd tempus potest mensurari. Si per intellectum assignemus vnam partem determinatam, quæ cum post assignationem sit nota, & certa, est nata mensurare totum: sicut solemus in panno determinare vnam partem, & ista nota, per ipsam totum pannum mensurare.

CAP. IV.

De quantitate discreta.

QVÆST. I.

Vtrùm numerus sit propria species quantitatis discretæ.

1 HÆc quæstio, vt notavit in ea noster Merinero, duo supponit, vnum est, dari quantitatem discretam: *cuius quidditas est, habere partes extra partes extensas non copulatas termino communi.* Secundùm est, Aristot. non numerasse hanc quantitatem, vt speciem infimam, sed potius vt genus, vel vt speciem subalternam, sub se continentem duas species, quas Arist. numerum, & orationem appellavit.

2 Sed ad intelligentiam quæstionis oportet scire, quòd vnitates, ex quibus fit numerus quantitativus, debent esse quantitates: vt duæ lineæ, tres lineæ, quatuor superficies, &c. Vnde tres Angeli, vel quatuor relationes, non sunt species quantitatis, quia vnitates non sunt quantæ per se.

3 *Noster Ochamus* in 1. distinct. 24. quæst. 2. Gregorius Arimino ibidem art. 2. Suarez in Metaphys. disputat. 41. sect. 1. Vazquez 1. p. disput. 26. cap. 3. Conimb. hic quæst. 2. art. 1. & alij tenent, numerum non esse veram speciem quantitatis discretæ. Fundamentum est: nam quod non est vnum per se, non potest esse species, sed numerus non est vnum per se: ergo. Minor probatur ex Arist. 3. Physicorum dicente cap. 3. *numerum esse plures vnitates*, & 8. Metaph. cap. 3. *nnmerum non esse vnum, sed sicut cumulum.* Ratione probant, quia vnum per se componi debet ex partibus, quarum vna se habeat, vt actus, & altera, vt potentia; sed vnitates, ex quibus componitur numerus, non se habet ita, quòd vna se habeat, vt actus, & altera, vt potentia; quia omnes sunt eiusdem rationis; ergo.

4 *Ex alia parte* Scotus in 3. distinct. 22. quæst. vnic. S. Thomas 5. Metaphysic. lectione 15. & libro 8. lectione 3. Cursus Carmelitan. disputat. 13, quæst. 7. & multi Moderni tenent numerum

merum eſſe veram ſpeciem quantitatis diſcretæ. Quia Ariſtot. hoc capite, & 5. Metaphyſicorũ cap. 13. numerum enumeravit inter veras ſpecies quantitatis.

5 Sed quamvis Thomiſtæ, Scotiſtæ conveniant in hoc, quòd numerus v. g. quinarius, eſt vnum per ſe, non conveniunt in aſſignando, in quo conſiſtat iſta vnitas per ſe. Albertus Magnus in prædicamentis titulo 8. Iabelus 8. Metaphyſicorum. Capreolus in 1. diſtinct. 24. quæſt. 1. dicunt, numerum eſſe vnum per ſe: quia ex pluribus vnitatibus, quas numerus includit; priores ſe habent vt materia, & poſteriores, vt forma.

6 Sed contra, quia omnes vnitates quantæ, nempè lineæ, ſunt eiuſdem rationis: ergo ab intrinſeco non habent, quòd vna ſit determinabilis, & alia determinativa.

7 Reſpondet Rubius, quòd in qualibet vnitate eſt duplex ratio, vna determinabilis, alia determinativa, quòd approbat Curſus Carmeliranus ſimilitudine matrimonij, in quo verba contrahentium habent vtramque rationem, nam ſi verba mulieris dicantur prius, ſe habent, vt materia, & verba hominis, vt forma, & è cõverſo.

8 Sed contra, quia ex hoc ſequitur, quòd in phyſicis numeris numquam ſint materia, vel quaſi materia, & forma, vel quaſi forma determinatæ. Item eſt mera fictio, quæ non habet, quo poſſit probari: nam illud de matrimonio in quantum contractus, eſt vnum morale, quòd completur vltimo conſenſu, & vltimis verbis moraliter, & non eſt ſimile.

9 Sotus hoc cap. quæſt. 2. dicit, quòd quamvis vnitates pro materiali non ſint vnum per ſe, tamen pro formali dicunt vnitatem per ſe rationis ordinis prioris, & poſterioris attributam per intellectum numerantem ſecundam ante tertiam.

¶ Sed contra, quia nullum per ſe rationis poteſt eſſe natura, quæ dicatur ſpecies quantitatis realis; ſed per Sotum, illa vnitas per ſe, eſt rationis: ergo.

10 Soncinas 10. Metaphyſicorum quæſt. 8. § *Reſpondeo*, quem ſequitur quidam modernus Complutenſis, ſuæ Familiæ dicit: quòd numerus, alter eſt in rerum natura, alter ſolùm per abſtractionem, numerus in rerum natura, vt duæ lineæ exiſtentes. Numerus in abſtractione non habet eſſe niſi in anima obiectivè. Eſt autem differentia inter iſtos numeros, quòd numerus primo modo, eſt pars numeri maioris, ſed numerus abſtractus non eſt pars alterius, ſed poteſt præſcindi ab alijs,

alijs, ita quod erit totum, & non pars; binarius enim per ſe acceptus per abſtractionem non eſt pars ternarij, binarius tamen, qui eſt in rerum natura eſt pars ternarij. His poſitis, inquit, hæc eſt prima concluſio, numerus abſtractus non habet eſſe niſi in anima obiectivè, & ſic eſt vnum per ſe. Quod probat per Auicenam 3. Metaphyſicorum 5. dicentem: *Illud quod dixerunt aliqui, quod numerus non habet eſſe in anima, non eſt attendendum, ſed quod dixerunt, quod numerus expoliatus à numeratis ſignificatis non habet eſſe niſi in anima, hoc verum eſt.*

11 Sed contra, quia illud, quod habet tantum eſſe in anima, eſt ens rationis, ſed numerus formaliter, ſecundum iſtos habet eſſe tantum in anima: ergo eſt ens rationis; ſed ens rationis non poteſt eſſe natura ſpecifica prædicamenti realis: ergo. Sic S. Thom. 1. diſt. 26. q. 2. art. 1. *nihil, quod eſt ens tantum in anima, in genere determinato collocatur.* Secundò, quia numerus binarius, v. g. abſtractus, vel habet eſſe ante abſtractionem, vel tantum per abſtractionem primum: ergo falſa eſt illa opinio; ſi ſecundum; ergo eſt tantum ens rationis.

12 *Reſpondeo ergo cum Scoto* in 3. diſt. 22. q. vnica §. *Modo ad propoſitum* num. 18. quod numerus formaliter eſt quoddam totũ reſultans ex vnitatib⁹, verba ſunt: *Si enim homo nil eſſet niſi partes vnitæ ſibi, homo non eſſet vnum niſi per aggregationem, ſicut nec quinarius eſt vnitates quinque; ſed illud totum, quod reſultat ex quinque vnitatibus, aliter ſi non eſſet illæ quinque vnitates, eſſet vnum ſicut aceruus,*

13 Itaque quinq; vnitates v. g. poſſunt conſiderari materialiter, & ſic eſt vnũ aggregatione, & poteſt conſiderari vnitas, quæ reſultat ex illis, & hæc vnitas per ſe realis, & abſtrahibilis eſt, quia cõſtat genere Metaphyſico, nempè *numero*, & differentia metaphyſica, *quinaria*, per quam differt à ternario, & iſtæ vnitates reſultantes, ex vnitatibus materialibus ſunt cõpletæ; nempè binaria, & ternaria, & eſſentialiter diſtinctæ, neq; vna eſt pars, ex qua altera cõponitur, neq; vt genus, neque vt differẽtia; ſolùm vnitates materialiter, vt duæ lineæ ſunt partes materiales maioris numeri materialis, nempè trium vnitatum.

14 *Ad fundamentum Suarij* ex diſtinctione numeri materialiter, & formaliter, facilis eſt ſolutio. Ad authoritates Ariſtot. quando dicit: *Numerum eſſe plures vnitates, & numerum non eſſe vnum, ſed ſicut cumulum.* Loquitur de numero materialiter. At quando dixit numerũ, & orationẽ eſſe ſpecies quantitatis, loquebatur de numero formaliter, nempè de vnitate reſultante ex vnitatibus materialibus.

15 Ad rationem concedo, quòd vnum per se debet componi ex per se actu, & per se potentia, vel physicè, vel metaphysicè, & licet vnitates materiales non se habeant, vt actus, & potentia, tamen totum resultans, vel illa vnitas formalis cõstat genere, & differentia, quę metaphys. sunt actus & potentia, neque requiritur necessariò, quod physicum præcedens naturam metaphysicam; sit vnum per se physicum propriè compositum ex actu, & potentia: nam corpus quantum, est species quantitatis continuæ secundum omnes, & tamen physicè non est compositum per se, neque vnum per se physicum compositum ex actu, & potentia, quia partes integrales ex quibus cõponitur; sunt eiusdem rationis.

16 Itaque quod est vnũ per se metaphysicè, potest esse species prædicamẽtalis; sed numerus pro formali est vnum per se metaphysicè constans genere, & differentia, vt probatum est: ergo est species quantitatis discretæ.

17 Sed contra, quia quantitas discreta, ex quo est discreta, non habet vnitatem per se: ergo quantitas discreta, vt talis, non potest esse species. ¶ Respondeo, quod nomen *quantitas discreta*, accipitur à discretione materiali vnitatum materialitèr non continuatarum, tamen per se significat rationem formalem, quæ est vna per se, & sic est discreta materialitèr, & vna formalitèr, per quod materialitèr non est vna per se, benè tamen formalitèr. Sicut anima, & corpus non sunt vnum per se, sed potius distincta materialiter, vt materia ex qua fit totum, & tamen ex illis resultat vnum formale, nempè homo, qui est vnum per se metaphysicè.

QVÆST. II.

Vtrùm oratio sit vera species quantitatis discretæ?

1 PRimo sciendum, quid intelligatur, per terminum *oratio*. Vbi dico, quod oratio dupliciter accipitur, vno modo, accipitur *pro voce significativa ad placitum, cuius aliqua pars separata significat*. Sic accepit eam Arist. 1. Periherm. cap. 4. Alio modo pro quacumque voce pluribus syllabis constante, quamvis non sit significativa, vt *blitiri*. Et in hac vltima acceptione accipitur in præsenti, quia sic illam accepit Arist. hoc cap.

2 Vlterius sciendum, quod in oratione reperiuntur syllabæ, seu soni. Secundò, reperiuntur motus productivi syllabarum. Tertiò, sunt plures discontinuæ prolationes, quæ ita sunt paruæ durationis, vt cõmunitèr morulæ nuncupentur. Quartò est armonia, seu sonoritas.

3 Syllabæ, seu soni non componunt orationem, neque sunt par-

partes orationis, quantitativæ, quia partes istius orationis debẽt esse quantitates, & soni sunt qualitates: ergo in sonibus, seu syllabis non consistit oratio. Item oratio ista non componitur ex motibus causantibus sonos, seu syllabas, quia fieri qualitatum pertinet ad prædicamentum qualitatis: sed isti motus sunt fieri sonorum, & sonus sunt qualitates: ergo isti motus pertinent ad qualitatem; sed quantitas discreta componitur ex quantitatibus continuis, & non ex qualitatibus: ergo. Item neque armonia, seu concentus sonorum, est ipsa oratio quãtitativa, sed effectus secutus ex syllabis.

4 Restat ergo, quod illæ plures durationes discontinuæ, quæ consummuntur successiue in prolatione illarum syllabarum sint partes orationis quantitativæ, quod probo, quia oratio quãtitativa discreta debet componi ex partibus quantitativis discretis: sed ibi sunt illæ durationes discretæ, quę consummuntur successivè, & discretè in prolatione syllabarum: & non reperitur alia quantitas: ergo. Vnde potest dari ista descriptio orationis materialiter sumptæ. *Oratio est quoddam vnum constans pluribus durationibus discontinuis, quæ consummuntur in prolationibus syllabarum.*

5 Supposita notitia orationis quantitativæ quæritur, vtrum sit propria species quatitatis discretæ. Ochamus, Gregorius Arim, Suarez, Vazquez citati quæst. antecedenti num. 3. dicunt, quod non: quia oratio non est vnum per se, eo quod vna pars non se habet, vt actus, & altera, vt potentia, & species debet esse vnum per se. ¶ Secundò, quia quantitas discreta debet componi ex cõtinuis, sed neque syllabæ, neque motus, neque morulæ, seu durationes syllabarum, sunt quantitates continuæ: ergo.

6 *Vera sententia est*, orationem esse veram speciem quantitatis continuæ loquendo de oratione pro formali. Sic Scotus q. 19. prædicamentali, sic Sanctus Thomas opusculo 48. tract. 3. cap. 2. & in 4. dist. 3. q. 1. art. 3. quæstiũcula 3. Ad primum. Cursus Carmelitanus disp. 13. q. vltima citans plures. Probatur ex Arist. in hoc cap. dicente: *Quod autem oratio quantitas sit, manifestum est.* Nota ly manifestum est.

7 Sed vt procedamus cum brevitate, & claritate. Advertendum est, quod oratio potest sumi materialiter, nempè pro partibus discretis, ex quibus constat; & formaliter, pro toto quoddam resultãte ex illis partibus, sicut dictum est, de numero quęstione antecedente.

8 Loquendo de oratione pro materiali. *Dico primò*, partes orationis sunt quantitativæ. Probatur, quia omnis duratio est quãtitas,

titas, sed oratio constat durationibus, quę consummuntur in prolatione syllabarum: ergo.

9 *Dico secundò*, oratio pro materiali est quantitas discreta. Probo, quia quantitas discreta est illa, quæ constat quantitatibus continuis non copulatis aliquo medio communi: sed oratio constat quantitatibus continuis non copulatis medio communi: ergo est quantitas discreta.

10 *Dico tertiò*, quòd quantitas discreta, prout constat partibus continuis, non est vnum per se. Probatur, quia vna pars non se habet, vt actus, & altera vt potentia, quia omnes sunt eiusdem rationis; sed vnum per se componitur ex parte habente se, vt actus, & parte habente se, vt potentia: ergo.

11 Loquendo de oratione pro formali. *Dico quartò*, quod illud totum formale, quod resultat ex oratione materiali, est quid reale, quia quod consurgit, & resultat ex partibus realibus, est reale: sed illud totum formale resultat ex partibus orationis realibus: ergo.

12 *Dico vltimò*, quod illud vnum resultans ex partibus orationis, est vnum per se. Probatur, quod constat genere, & differentia, est vnum per se; sed illud vnum resultans ex partibus orationis, constat genere, & differentia: ergo. Probatur minor, quantitas discreta est genus; ly nata consugere ex durationibus; quæ consummuntur in prolationibus syllabarum, est differentia: ergo.

13 *Ex his deducitur* conclusio responsiva quæstionis; nempè quod oratio est vera species quantitatis discretæ. Quia quod est vnum per se, & quantum discretum speciali quantitate, & discretione, est vera species quantitatis discretæ; sed oratio pro formali est huiusmodi, vt probatum est: ergo est vera species quantitatis discretæ.

14 Ad argumēta, ad primū nego maiorem, ad provationem dico, quod loquitur de oratione pro materiali; cuius partes non se habent, vt actus, & potentia; sed non probat de oratione pro formali, hæc quidem genere constat, & differentia. ¶ Ad secundum, nego, quod partes propriæ orationis non sint veræ quantitates, quia veræ sunt durationes.

QVÆST. III.

Vtrùm oratio sit species quantitatis discretæ distincta à numero?

1 QVidam dicunt, quod non. Fundamentum est, quia vtraque constat ex quantitatibus successivis discretis: nam numerus motuum, durationum, & temporum, sunt quantitates successivæ, & discretæ: at durationes orationis sunt quantitates con-

cōtinuæ, & discretæ successiuę: ergo sunt eiusdem rationis. Item quia in durationibus syllabarum est etiam numerus, ternarius triū durationū, quaternarius quatuor durationum, &c. ergo numerus, & oratio sunt idem essentialiter.

2 Authores citati, quæst. antecedente num. 2. tenentes orationem esse speciem quantitatis discretæ, etiam tenent esse specie distinctam à numero, sed in reddēdo rationem istius conclusionis, non conveniunt.

3 Quidam dicunt, rationem differentialem istius distinctionis specificæ esse: quia numerus est multitudo quantitatum permanentium continuarum, & oratio multitudo quantitatum continuarum successivarum.

4 Sed contra istam rationem sic arguitur: nam quòd quantitates, ex quibus componitur numerus, sint permanentes, & quòd quantitates, ex quibus componitur oratio, sint successivæ, tantum sunt differentiæ materiales. Hæc patet, quia sunt ex parte materiæ, ex quibus numerus, & oratio componuntur; sed differentia materialis non sufficit ad distinctionem specificam: ergo. Probatur minor, quia si differentiæ materiales se tenentes ex parte numeri, & orationis sufficerent ad diuersificandum specificè, & formaliter numerum, & orationem, sequeretur hoc absurdum, nempè, quod numerus ternarius, ex tribus lineis compositus, esset formaliter, & specificè diversus à numero terminario ex tribus superficiebus composito. Patet, quia tres lineæ, ex quibus componitur primus ternarius, specie differunt à tribus superficiebus, ex quibus secundus ternarius componitur.

5 Secundò, quia id, quod supponit ista ratio, est omnino falsum, nempè numerum prædicamentalem componi tantùm ex quantitatibus continuis permanentibus. Patet falsitas; nam numerus trium dierum, & trium horarum, verè numerus ternarius est quantitatum: & tamen dies, & horæ, non sunt permanentes; sed quantitates successivæ: ergo.

6 Didacus à Iesu disput. 13. quæst. 2. & Cursus Carmel. disp. 13. quæst. vlt. dicunt, rationes differentiales, per quas essentialiter differunt numerus, & oratio, esse, quia oratio dicit extensionem secundum multitudem armonicam, & sonoram, quam non dicit numerus, in sua extensione. ¶ Sed contra, quia species quantitatis non possunt differre essentialiter per id, quod non est de prædicamento quantitatis, sed armonia, vel sonoritas non pertinet ad prædicamentum quantitatis, sed ad prædicamentum qualitatis, quia percipitur per auditum: ergo.

7 *Subtilis Doctor* quæst. 19.

prædicamentali duo dicit certa; primum eſt, numerum, & orationem non poſſe differre eſſentialitèr ſpecificè, niſi per differentias proprijſsimas, & eſſentiales: has tamen eſſe nobis ignotas. Secundum, quod dicit, eſt, à poſteriori, & à ſigno poſſe probari eſſe numerum, & orationem ſpecies inter ſe eſſentialiter diſtinctas. Sic, nam quando alicui rei convenit ſemper aliqua conditio, vel effectus, & non convenit vnquam alteri rei, differunt ſpecie, ſed armonia, & concentus competunt ſemper orationi, & nunquam competunt per ſe numero, niſi quando cadit ſupra orationem: ergo differunt ſpecie.

8 *Ad fundamentum* in oppoſitum dico, quod, ſicut forma albedinis eſt talis conditionis, quod eſt in multis ſubiectis eiuſdem rationis, nempè in tribus parietibus, nec propter hoc ſequitur, quòd parietes ſint eſſentialiter albi, quamvis parietes ſint inter ſe eiuſdem rationis; ita numerus formaliter, licèt ſit in ſubiectis eiuſdem rationis, non ſequitur, quod numerus formaliter, qui eſt in oratione, & oratio in qua eſt numerus tanquàm in ſubiecto, ſint idem eſſentialiter.

9 Ad ſecundum reſpondeo, quod numerus formaliter eſt forma, ſed habet pro materia lineas, ſuperficies, corpora, tempora, & orationes. V. g. numerus ternarius eſt in tribus lineis, & in tribus orationibus, tanquam in materia, vel ſubiecto, ibi eſt natura orationis, & eſt natura ternarij, natura orationis tanquàm ſubiectum, natura ternarij, tanquam forma numerica. Sed non ſequitur propter hoc, quod numerus, & oratio ſint idem ſpecificè, ſicuti ex eo, quod ex albedine conſurgat ſimilitudo, non ſequitur, quod albedo ſit eſſentialitèr ſimilitudo: nam vna natura vnius ſpeciei benè poteſt eſſe materia, vel ſubiectum rationis alterius ſpeciei.

10 Obijcies: numerus eſt natus conſurgere ex vnitatibus quantitativis; ergo ex vnitatibus quantitativis diſtinctis ſpecie cõſurget numerus diſtinctus in ſpecie: ergo numerus trium orationum, erit diſtinctus â numero trium linearum. Reſpondeo negando conſequentiam, quia numerus natus eſt conſurgere tantùm ex vnitatibus quantitativis, non ex vnitatibus ſpecificis, ſicut ſunt aliqua accidentia conſurgentia ex aliqua ratione communi, & non ex ratione ſpeciali.

11 Ex dictis in hoc capit coligitur ordinatio prædicamenti quantitatis, quantitas, vt ſic eſt genus generaliſsimum, dividitur in quantitatem continuam, & diſcretam; diſcreta ſubdividitur in numerum, & orationem; numerus autem in ternarium, & quaternarium; oratio in orationes ſpecie diverſas penes diver-

ſa

tas armonias. At quantitas continua in lineam, superficiem, corpus, tempus. Aliæ autem divisiones quanti in permanens, & successivum, & quanti in habens positionem in continuo, & non habens positionem in continuo, sunt materiales, ideò non pertinent per se ad hoc prædicamentum.

CAP. V.

De ad aliquid, seu de relatione.

1 HOc caput tres habet partes. Prima continet definitionem relativorum iuxta opinionem antiquorum. Secunda recenset quatuor proprietates relativorum. In tertia reijcit Arist. antiquorum definitionem, & propriam introducit; & ipsius aliam propriam passionem explicat. ¶ Circa primam, definitio antiquorum erat, *Relativa sunt ea, quæ id, quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo modo dicuntur.*

2 Quoad secundam, prima proprietas assignata ab antiquis est, habere contrarium. Secunda, habere magis, & minus. Tertia dici ad convertentiam, quia mutuo se explicant. Quarta, quòd relatiua sint simul natura.

3 Quoàd tertiam reijcit antiquorum definitionem, quia illa etiam convenit aliquibus substantijs; sicùt caput, & manus dicuntur alicuius, & tamen non sunt relationes. Ideò traddit propriam definitionem dicendo: Quod *relatiua sunt, quorum totum suum esse est ad aliquid se habere.* Vndè sequitur tanquàm propria passio, quòd sint simul cognitione, ideſt, quòd qui definitè scit vnum relativum, scit, & alterum.

QVÆST. I.

Vtrùm sint relationes reales?

1 AD statum quæstionis advertendum est, quòd relatio alia non est propriè, sed tantùm secundum dici, hoc est tantùm secundùm nomen, non in re. Alia, si est, est propria in re, quæ definita fuit ab Aristot. in textu, vt vidistis. De hac relatione propriè accepta quæritur, an sit?

2 Per antiqua fuit opinio negans, cuius meminit Averroes 12. Metaphysic. comment. 19. & Avicena lib. 3. suæ Metaphys. capit. 10. illam suscitavit, Ochamus in 1. distinctione 3. quæst. 1. quam sequutus est noster Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 30. q. 1. & cæteri Nominales. Et probant: quia relatio, vt relatio, solùm dicit esse ad aliud, sed esse ad aliud nil ponit in subiecto,

quod sit reale; ergo relatio non est aliquid reale. Minorem probant, tum, quia esse ad aliud, reperitur etiam secundùm proprietatem in relativis rationis, vt in genere, & specie, quæ nil reale ponunt in subiecto relato. Tum etiã, quia esse *ad* præscindit ab esse in subiecto, ac perconsequens, non solùm ab esse substantiæ, sed etiam ab esse accidentis, in quæ membra dividitur ens reale, reliquas rationes ponam pro obiectionibus.

3 *Communes sententiæ* tenet dari relationes reales. Fuit sententia Platonis, & Arist. hic, & omnium Interpretũ. Eam tenet Scotus 1. dist. 31. q. vna, & in 2. dist. 1. q. 5. & omnes eius discipuli (deptis Nominalib⁹) eam tenet S. Thomas 1. p. q. 13. & omnes eius discipuli. Primum argumentum est à similli, omnes catholici fatentur in diuinis relationes Paternitatis, & Filiationis, non ex alio capite, nisi quia vna persona procedit ex alia, sed hoc idem in humanis filius verè procedit à suo patre: ergo propter hanc rationem debent dari relationes reales in creatis.

4 Secundò, quia vnitas vniuersi consistit in ordine, quẽ dicunt partes inter se, & ad primum ens, vt probatur 12. Met. sed vnitas vniuersi est realis: ergo iste ordo est realis: iste ordo est relatio: ergo. Tertiò, quia dependentia creaturæ ad Deum, formaliter est relatio realis secundum esse, sed de facto datur dependentia essentialis, & formalis: ergo.

5 *Ad primam rationem* concedo maiorem, & nego minorem. Ad primã probationẽ dico, quod esse ad aliud in re, non reperitur in relatione rationis, quia sicut relatio rationis est ficta, ita illud esse ad aliud est fictum: esse ad aliud absolute acceptum, solùm competit relationi reali; esse ad aliud fictum, cum ista restrictione competit relationi rationis. Ad secundã probationem nego, quod esse *ad*, præscindat à substantia, & accidẽti, potius est ratio contrahens, accidens cuius proprietas est *esse* inaptitudinaliter.

6 Obijciunt Nominales, omne accidens reale in subiecto immutat illud, sed denominationes relativæ, vt Pater, non immutant realiter substantiã: ergo. Si respondeas negando minorẽ, quia sunt relationes reales. Cõtra, quia Philos. 5. Phys. tex. 12. dicit: *ad relationẽ non datur per se motus*. Sed omne reale producitur per motũ per se: ergo. Resp. negando minorem, nã aliqua sunt realia, ad quæ non terminatur motus per se, sed per resultantiã, vel pullulationem sunt, vt risibilitas, & flebilitas sunt à parte rei, & motus productivus terminatur per se ad Petrum, qui producitur per se, risibilitas autẽ, & flebilitas habent esse per resultantiã; ita relationes reales habẽt esse per resultantiam, vel pullulationem, & ad ea, ex quibus resultant, datur per se motus.

7 Ob-

7 Obijciunt secundò: si relatio est ens reale: ergo in quolibet subiecto sunt pene infinitæ relationes. Patet consequentia, quia in quolibet subiecto sunt pene infinitæ relationes, similitudinis, & diversitatis. Noster Meriuero de *ad aliquid*. q. 1. num. 20. negat consequentiam, quia relationes non dicunt perfectionẽ, eo quòd non sunt quantæ.

QVÆST. II.

Quæ relationes pertineant ad hoc prædicamentum?

1 EX conditionibus, seu regulis requisitis ad relationem prædicamentalem facilè resolvitur, quæ relationes pertineant ad hoc prædicamentum. Prima est, vt sint finitę. Secunda, vt sint reales. Sed ad hoc, vt sint reales tres conditiones requiruntur secundum Scotum in 1. dist. 31. q. vnic. Prima, quod fundamentum, & terminus sint à parte rei. Secunda, quòd ea, quæ referũtur, sint realitèr distincta. Tertia, quòd ex fundamento, & termino sequatur ipsa relatio.

2 Thomistæ addunt quartam conditionem solum ad relationes mutuas primi generis, vt sint reales; nempè quòd fundamentum proximum sit distinctum in vtroquo extremo. Vnde, quia essentia divina, quæ est fundamentum relationum identitatis, similitudinis, & æqualitatis, quæ sunt inter divinas personas, est eadem numero in illis; negant esse relationes reales.

3 Subtilis vero Doctor hanc quartam conditionem refellit, & meritò; nam si non est requisita ad relationes secũdi generis, cur requiritur ad relationes mutuas primi generis? Præcipuè cum istæ fundentur in aliquo, quatenus vnum est, & illæ non. Vnde consequentèr defendit Scotus, prædictas relationes identitatis similitudinis, & æqualitatis inter divinas personas esse reales: in 1. dist. 31. q. 1. & quodlib. 6.

4 Tertia conditio requisita ad relationes prædicamentales, est, quod non possint poni adhuc reductivè in aliquo prædicamento, nisi in isto. Et quarta est, quòd sint intrinsecus advenientes; hoc est, quod posito fundamento, & termino, quæ immediatè referuntur, necessario consurgat relatio, quocumque alio extrinseco secluso. Hanc conditionem requirit Scotus 4. dist. 12. lit. M. & dist. 23. q. 1. lit. C. & quolib. 11. lit. K. & colligitur ex Philos. 5. Physic. text. 12.

5 Ex his conditionibus deduco primò, quæ relationes ab hoc prædicamento excludũntur. Ex prima, nempè ex finitate, excluduntur relationes divinæ ab hoc prædicamento. Ex secunda, nempe realitate, excluduntur relationes rationis. Ex tertia exclu-

dun-

duntur relationes tranſcendentales, vt relationes creaturæ ad creatorem. Ex quarta, quòd, poſitis extremis, neceſſario reſultent; excludũtur omnes relationes extrinſecùs advenientes. De quibus in 6. vltimis prædicamentis.]

6 Ex eiſdem conditionibus deducitur, quòd relationes Paternitatis in Petro, & Filiationis in Paulo; itèm relationes, identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis inter ipſos, ſunt prædicamenti iſtius: quia ſunt finitæ, reales, non tranſcendentales, & poſitis ſuis fundamentis, & terminis, neceſſario reſultant, quocũque alio extrinſeco deficiente.

7 Obijcies, Ariſt. 5. Metaph. cap. 15. inter relationes ſecundi generis, ſcilicét producentis ad productum, numeravit relationẽ facturi, ad faciendum. Et inter relationes tertij generis, nempè menſuræ, & menſurabilis, numeravit relationẽ imaginis ad imaginatum præteritum: Sed iſtæ nõ ſunt reales, quia futurum, & præteritum non exiſtunt: ergo non requiritur ad relationes huius prædicamenti quòd ſint reales: ergo malè excluduntur relationes rationis.

8 Noſter Merinero cap. de *ad aliquid* diſp. 1. q. 2. n. 9. reſpõdet, quòd præteritum, & futurũ, ſunt entia realia, ſed non exiſtentia. Ideò ſolùm ſequitur, quòd illæ relationes non ſunt exiſtentes: ſed non ſequitur, quòd non ſint reales. ¶ Dicendum eſt, quòd eũ prædicaméta ſint coordinationes prædicatorum eſſentialium connexorum eſſentialitèr, ſolùm requiruntur prædicata eſſentialia; præſcindentia ab exiſtentia, & ab eſſe rationis diſtincta. Quòd autẽ de facto exiſtant, quid accidẽtale eſt: nam ſi Deus omnem quantitatem deſtrueret, prædicamentũ quantitatis Angelus formaret. Ideo ſolùm requiritur ad relationem prædicamentalem eſſe eſſentiæ, & quòd fundamentum, & terminus habeant eſſe eſſentiæ: quòd autem exiſtant, accidentarium eſt ad prædicamentum, & ſcientiam, ſicut eſt accidentaria individuatio. Quando autem fundamẽtum, & terminus exiſtunt, etiam relatio intrinſecùs adveniens exiſtit: ſed vtrũm dentur relationes extrinſecus advenientes? Diputabitur in ſex vltimis prædicamentis in principio.

QVÆST. III.

Vtrũm ſit tantum vnum generaliſſimum in hoc prædic, & quale ſit?

1 QVantum ad primum videtur non eſſe vnum genus generaliſſimum in hoc prædicamento: quia genus generaliſſimum debet eſſe ſupremũ ad omnia genera illius prædicamenti, & non habere aliud æquale. Sed hic non poteſt eſſe coordinatio, ſed æqua-

æqualitas inter relativa: ergo non est vnum genus generalissimum; sed duo. Minorem probo: quia, sicut de ratione correlativi specialis est habere correlativum speciale, ita de ratione relativi in cõmuni est habere correlativum in communi: sed hæc correlativa nõ possunt coordinari: quia non est ratio, cur vnum sit superius, & aliud inferius. Secundò: quia correlativa sunt simul natura, & omne superius est prius natura inferiore: ergo non possunt coordinari.

2 *Communis sentẽtia est*, in hoc prædicamento esse vnum genus generalissimum. Ita Scotus q. 25. prædicament, & Porphyrius c. de specie, & ratio est, quia si non esset vnicum genus generalissimũ, non esset vnum prædicamentum: sed duo. Secundo, quia datur vnũ genus *in quid* supremum pertinẽs ad relationes intrinsecùs advenientes, quod ostendetur in secundo quæsito istius quæstionis: ergo.

3 Ad rationem in oppositum concedo maiorẽ, & nego minorẽ. Ad primam probationem, dico; quòd à duobus correlativis formaliter potest abstrahi, vel præcisivè concipi relatio, vt sic. Ad secundam probationẽ, quod correlativa sunt simul natura pro formali, non pro materiali: tamen à correlativis formaliter potest abstrahi relatio vt sic, quia in illa conveniunt.

4 *Quantum ad secundum* quæsitũ quæstionis dico primo, quòd genus generalissimum huius prædicamenti non stat in relatione vt sic, vt præscindit à divina, & creata. Ratio est: quia omne genus supremum prædicamentale est quid finitum. Nam ens finitũ divisum fuit ab Arist. in decem prædicamenta.

5 *Dico secundò*, quòd relatio vt sic respectu realis, & rationis non est genus supremum huius prædicamenti: quia naturæ prædicamẽtales, etiam supremæ, vel existunt, vel possunt existere: & ens rationis nõ potest existere: ergo.

6 *Dico tertiò*: quod relatio realis secũdũ esse, prout præscindit à transcendentali, & determinata, non potest esse genus supremum huius prædicamẽti: quia de ratione generis supremi prædicamentalis est, quod sit determinatum ad vnum prædicamentum, & ratio abstracta à determinata relatione, & transcendentali, non est determinata: ergo.

7 *Dico quarto*, quòd relatio abstracta à relatione intrinsecus adveniente, & à relatione extrinsecùs adveniente, non est genus supremum huius prædicamẽti: quia, quod est transcendens ad plura prædicamenta, non est genus supremum vnius prædicamenti, quia debet esse determinatũ: sed relatio abstracta ab intrinsecè advenientibus, & ab extrinsecè advenientibus, est transcendens,

ergo

ergo. Probatur minor, quia est communis huic prædicamento, & sex vltimis.

8 *Dico quintò*: quod relatio intrinsicè adveniens finita, & non transcendentalis, est genus supremum huius prædicamẽti: ita Lalemander disp. 16. part. 16. num. 71. in decisione: quia est primum prædicatum specialiter determinatum, sub quo continentur omnes relationes intrinsicè adveniẽtes finitæ, & non transcendentalis: ergo.

QVÆST. IIII.

Vtrùm definitio relativorum sit exacta?

3 DEfinivit Arist. relativa formaliter, dicendo, *relativa sunt, quorum totum suum esse est ad aliud se habere*, de ista quæritur, an sit bona? Et videtur, quod non; quia competit relativis rationis, nempe generi, & speciei: & relativis divinis, nempè Patri, & Filio. ¶ Secundo, quia relatio est accidens: ergo habet rationem accidentis: ergo habet aliquid præter ad aliquid: ergo non totum esse relationis est, ad aliquid se habere. ¶ Tertio, verba indefinitione non dicunt actũ, sed aptitudinem, ista dicit actum. ergo non est bona.

2 *Respondeo primò*; quod definitio, vt iacet, est relationis vt sic, præscindens à transcendentali, & prædicamẽtali. Et ratio est, quia ipsa definitio potest vere prædicari de relatione creaturæ ad creatorem, de similitudine creata, de relatione locali, &c. Sed quando definitio est communis definitum est commune, & è conuerso: ergo, vt iacet est communis.

3 *Respondeo secundò*, quod sub intelligendo ea, quæ præmisserat Arist, prædicta definitio est bona respectu relationum realium creatarum transcendentalium. Ad quod notandum, quod Arist. divisserat ens creatum in substantiã & accidens, & accidens sub diuiserat in absolutum, & relatiuũ: ergo supponit in diffinitione rationem accidentis realis. Quæ dicat: *relativa sunt accidentia realia, quorum totum suum esse ad aliquid se habere* accidens reale est genus, per quod excluduntur relationes diuinæ, & transcendẽtales, & relationes rationis: & per ly *ad aliquid* differt ab accidenti absoluto.

4 Et notando, quod relatio, & relatiuum formaliter sumptũ, sunt idem, patet bonitas definitionis respectu relationis prout præscindit ab intrinsecè adueniẽtibus, & ab extrinsecè adveniẽtibus ex legibus bonæ definitionis: nam explicat distinctæ naturam talis relationis, convertitur cum illa, neque est defectuosa, neque superflua: ergo.

5 *Respondeo tertiò*: quod non

non est bona respectu generis generalissimi huius prædicamenti. Probo, quia deficit illi ratio, per quam differt à prædicamẽtis extrinsice advenientibus, vel per quam differt à relatione extrinsecus adveniente, quæ est communis sex vltimis prædicamentis. Sed diffinitio carens differentia explicante naturam rei, & per quã differt ab alia, non est bona: ergo neque ista.

6 *Respondeo quartò*, quod ista definitio generis generalissimi huius prædicamenti est bona, nempè; *est accidens non rationis ad aliquid, natum consurgere ex fundamento, & termino.* Dixi, nõ rationis, quia ad prædicamentum non requiritur, quòd naturæ, ex quibus componitur, existant, sufficit, quòd sint secundùm esse metaphysicum. Vel dic, auferendo negationem. *Est accidens metaphysicum ad aliquid natum consurgere ex fundamento, & termino.* Vbi *accidens metaphysicum ad aliquid*, est genus respectu relationum intrinsece advenientium, & extrinsece advenientium. Et per ly *natum consurgere ex fundamẽto, & termino*, differt genus supremum huius prædicamenti à relatione extrinsecus adveniente: huic quidem definitioni competunt omnes conditiones bonæ definitionis.

7 *Ad primum dico*, probare meam primam conclusionem de diffinitione, vt iacet. Sed sub intelligendo, *accidentia realia, seu metaphysica*: Est bona illa definitio respectu relationis præscindẽtis, ab intrinsecè, & extrinsecè advenientibus, vt dictum est in secunda conclusione.

8 Ad secundum respondeo, quòd ex *esse in subiecto*, idest ex ratione accidentis, & ex esse *ad*, fit quoddam tertium scilicèt *relatio accidens*; quæ, cum sit forma accidentalis, primò respicit subiectum, & secũdò refert ad aliud, ideò dicitur totum suum esse, esse ad aliud finalitèr, non verò quidditativè, alioquin careret ratione, vel prædicato accidentis.

9 *Ad tertium dico*, quòd illud axioma, verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem; intelligitur, quando definiuntur ea, quæ non consistunt in actu; sed in aptitudine. At essentia relationis consistit ratione differentiæ in actuali respectu ad aliud. Vndè non bene diffinitur, nisi per actuale esse ad aliud.

QVÆST. V.

Vtrùm relationes distinguantur realitèr à suo fundamento?

1 VIdetur, quòd non; loquẽdo de relationibus realibus creatis secundùm esse; quia relatio creaturæ ad creatorẽ est relatio secundum esse realis, & creata. Sed non distinguitur realitèr à fundamento, quia est identificata

tificata cum illo: ergo. ¶ Ex alia parte videtur, quòd diſtinguatur realitèr à ſuo fundamento. Quia relatio paternitatis in Petro eſt relatio ſecundùm eſſe, realis, & creata, & mortuo filio, deficit in eſſe, ſtante Petro: ergo talis relatio diſtinguitur realitèr à ſuo fundamento. Patet conſequentia: Nam quando, vnum exiſtit, & alterum non, diſtinguuntur realitèr.

2 Ad reſolutionem claram advertendum eſt, quòd relatio ſecundum eſſe, alia eſt tranſcendentalis, & dependentiæ eſſentialis, vt eſt relatio creaturæ ad creatorem. Alia eſt prædicamentalis: Loquendo de primis dicendum eſt non diſtingui realitèr à ſuis fundamentis. Et hoc probat primum argumentum: nam tales relationes ſunt idem realitèr cum ſuo fundamento, cum ſubſtantia eſt ſubſtantia; cum qualitate qualitas; cum quantitate quantitas; cum relatione relatio. Ita Scotus 2. diſtinct. 1. quæſt. 4. §. *Ad quæſtionem* n. 21. quia ſine contradictione non poteſt dari creatum ſine relatione dependentiæ ad Deum: ergo illa relatio eſt idem realitèr cum creatura.

3 Loquendo de relationibus prædicamentalibus, dico, quòd diſtinguuntur realitèr à ſuo fundamento; hoc modo diſtinctionis realis negativo, hoc eſt, quod poteſt dari fundamentum non exiſtente relatione. Sed deficiente. Sic Scotus quolib. 11. § *De primo*. & 2. diſtinct. 1. q. 4. § *Sed contra iſtam opinionem* num. 5. Ratio generalis Scoti eſt. Quia non eſt contradictio, quòd abſolutum, & prius alio, à quo non dependet, ſit ſine poſteriori; ſed fundamenta relationum prædicamentalium ſunt abſoluta, & priora relationibus iſtis, & à relationibus non dependent in eſſe: ergo non eſt contradictio, quòd fundamenta ſint ſine ſuis relationibus. Confirmatur, quia omne accidens per accidẽs diſtinguitur realitèr modo dicto ab eo, cui eſt accidens per accidens; ſed relationes prædicamentales ſunt accidentia per accidens ſuis fundamentis: ergo.

4 *Si quæras*, quomodo poteſt eſſe, quòd maneat fundamentum, & deficiat relatio prædicamentalis? Reſpondeo, quòd poteſt eſſe dupliciter, vno *modo* deſtructo termino, deſtruitur relatio, & manet fundamentum. Alio modo ſuſpendente Deo concurſum conſervantem relationem, manent fundamentum, & terminus, & perit relatio.

5 Obijcies contra iſtam ſecundam concluſionem; quando duo ſunt idem realitèr implicat, quòd vnum exiſtat, non exiſtente alio, quia tunc idem exiſteret, & idem non exiſteret: Sed actio, & paſſio ſunt idem realiter in motu ſecundùm Philoſoph. 3. Phyſicorum: ergo non poteſt dari motus ſine

actione

actione, & passione: at actio, & passio sunt relationes prædicamentales: ergo non potest dari fundamentum sine relatione.

6 Ad solutionem nota, quòd actio, & passio sunt dupliciter, vno modo materialiter, nempè pro forma fluente, quæ quatenùs nata est esse ab agente, dicitur actio, & quatenùs nata est esse in passo, dicitur passio; & sic sunt duæ proprietates motus sumpti pro forma fluente. Alio modo actio, & passio accipiuntur formaliter, actio pro relatione existente in agente, & passio pro relatione existente in passo. Nunc cõcedo maiorem, ad minorem dico, quòd Arist. loquitur de actione, & passione materialiter: & quæstio est de relationibus formalibus, & de actione, & passione formaliter.

QVÆST. VI.

De proprietatibus relativorum.

1 EX sententia antiquorum, & propria quatuor proprietates relativorum enumeravit Arist. hoc capite; prima est, habere contrarium. Secunda suscipere magis, & minus. Tertia dici ad convertentiam. Quarta esse simul natura, quæ hic sunt examinandæ.

2 Circa primam occurrit, quod Aristot. cap. *de quantitate* dixit, relativa non habere contrarium; & hoc capite ait, relativa habere contrarium: ergo sibimet est contrarius. Respõd. quod contraria secundum Arist. cap. *de oppositis*, alia sunt propria, nempè, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellũt: & hæc cõtrarietas solùm reperitur inter qualitates. Alia sunt impropria, vt pater, & filius, quæ solùm habent oppositionem relativã. Quãdo dixit cap. *de quantitate* relativa, non habere contrarium, loquebatur de contrarietate propria: quando hic dicit, relativa habere contrarium, loquitur de contrarietate impropria, & relativa.

3 *Quæres*, vtrùm habere cõtrarium relativè, sit proprietas relativorum secundũ esse? loquor de proprietate quarto modo. Respondeo, quod non. Quia proprietas quarto modo debet competere omni; sed habere contrarium relativè, non competit relativis, non mutuis: ergo non est propria passio relationis secundum esse. Dico tamen, quòd habere cõtrarium relativè est proprietas relativorum primi, & secũdi generis: quia producens formaliter acceptum, & productum formaliter, habent oppositionẽ relativã. Itèm relatio identitatis, & diversitatis, æqualitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis.

4 Circa secũdam, quæ est, *suscipere magis, & minus*, loquendo

de relativis formaliter, non eſt propria paſſio: quia ſuſcipere magis, & minus intenſivè, ſolùm cõpetit qualitatibus. ¶ Etiam loquendo de relativis materialitèr, non eſt propria paſſio relativi materialitèr, vt ſic, quia ſubſtantia, & quantitas ſunt relativa materialitèr: & tamen ſubſtantia, & quantitas, non ſuſcipiunt magis, & minus intenſive. ¶ Sed loquẽdo de relationibus, quæ fundantur in qualitatibus, dicẽdum eſt, quod iſta relativa materialitèr ſuſcipiunt magis, & minus intenſivè: quòd eſt idem, quòd dicere, qualitas ſuſcipit magis, vel minus intenſivè.

5 Circa tertiam proprietatem, quæ eſt, *dici ad convertẽtiã*. Sciendum eſt, quomodo intelligatur, *dici ad convertentiam*, non eſt idem, quòd mutuo referri: quia ſolum competeret relativis mutuis: quia hæc tantum ſunt, quæ mutuò referuntur; neque etiam eſt idem, ac quòd vnum relativum inferatur ex alio per bonam conſequentiam: quia ſic homo, & riſibilis converturntur, & non ſunt relativa: *dici ad convertentiam in hoc paſſu*, eſt idem ac vnum relativum explicari per ordinem ad aliud in obliquò poſitum, & èconverſo. Vt cum dicimus. Pater, alicuius filij eſt pater: filius, alicuius patris, eſt filius.

6 Vbi primum advertendum eſt, quòd etiam notavit Ariſt. nẽpe hanc convertentiam non fieri ſemper in eodem caſu: nam ſcientia dicitur ſcibilis ſcientia: & ſcibile non dicitur ſcientia; ſed ſciẽtia ſcibile. Et hoc dicunt plures ſignificari illis verbis poſitis in definitione relativorum, quam ex mente antiquorum retulit Ariſt. *vel quomodolibet aliter ad aliud*.

7 Secundum, quòd advertit Ariſt. eſt, aliquando nõ fieri hanc convertentiam inter relativa, ex eo quòd, non aſſignatur proprium correlativum prioris, v.g. quando quis dicit, proprium correlativum alæ eſſe avem: tunc non fit mutua convertentia, nam etſi omnis avis habeat alas, non tamen omnis ala eſt alicuius avis: quia muſcæ, & apes ex Ariſt. 6. de hiſtoria animalium, habent alas, & tamen non ſunt aves.

8 Vt ergo fiat converſio, docet Ariſt. quærẽdũ eſt id, ad quod aliquid primo refertur, & illud ponẽdũ eſt pro correlativo inconvertentia. Quod ſi non fuerit illi nomen impoſitũ, fingendum eſt; dicit Ariſt. quòd facile fiet, ſi ex altero relativo nominato formetur nomen correlativo: *vt ex ala alatum, ex clavo clavatum, ex capite capitatum, &c.* tunc rectè fit converſio, nam ſicut omnis ala eſt alati ala, ita omne alatum ala, eſt alatum.

9 Circa quartã proprietatẽ, nempè quòd *relativa ſint ſimul natura*; advertẽdum eſt, quòd, vt aliqua ſint ſimul natura duæ conditiones ſimpliciter requiruntur

ex

et Arist. in prædicamētis cap. 13. Prima est, vt mutuo se inferant, defectu cuius conditionis homo, & animal non sunt simul natura. Secunda est, vt neutrum sit causa alterius. Defectu istius conditionis essentia, & passiones, vt homo, & risibile, non sunt simul natura, quia homo est causa risibilitatis.

10 *Quæritur*, vtrùm esse simul natura, sit proprietas quarto modo relativorū? Videtur, quod non: quia scientia, & scibile sunt relativa, & tamen non sunt simul natura, quia scibile est prius tempore scientia. Item causa multoties est prius tempore suo effectu: & tamen causa, & effectus sunt relativa.

11 Respondeo, quòd relativa duplicitèr accipiuntur, vno modo materialitèr, alio modo formalitèr. Accipiendo relativa materialitèr, non semper sunt simul natura; vt probant argumēta. Ex quo sequitur, quod materialitèr sumptis, simultas naturæ non est proprietas relativorum secundum esse: loquendo de relativis formalitèr, dicendum est, esse simul natura, esse proprietatem eorum quarto modo, quia conuenit omnibus, solis, & semper.

12 Sed contra, quia scibile formalitèr, vt scibile, est priùs tempore ipsa scientia: ergo non sunt simul natura. Ad hoc potest dici, quod est scibile remotum, & proximum. Scibile remotum potest dari in re non stante scientia; at quando generatur scientia, in signo naturæ, quo est scientia, est scibile proximum in re. Aliter potest dici, quod in statu Metaphysico, & abstractionis non intelligitur adæquatè scientia sine scibile, neque scibile sine scientia. Et sic Metaphysicè sunt simul cognitione, & natura, & sic in statu Metphys. negandum est antecedens.

CAP. VI.

De Relatione respectu fundamenti.

QVÆST. I.

Quot sint fundamenta relationū huius prædicamenti?

1 REspondetur esse tria. Nà Aristot. 5. Metaphysic. capit. 15. ex triplici fundamento relationum collexit, esse tria genera relationum intrinsecè aduenientium. Primum fundamentum est earum relationum, quæ fundantur in vnitate, & numero. Secundùm earum, quæ fundantur in actione, & passione. Tertium earum, quæ fundantur in mensura, & mensurabili.

§. I.

De relationibus primi generis.

2 PEr vnitatem intelligit Arist. non vnitatem quantitativã, neque pro numero intelligit multitudinem oppositã vnitati, quãtitativæ: sed pro vnitate intelligit conuenientiam duorum, & pro numero disconuenientiam illi oppositam.

3 Vndè cum conuenientia, & disconuenientia possit esse in substantia (nota, quòd substantia hic, idem significat, quod essentia) vel essentia, & in quantitatibus, & in qualitatibus; hinc diuisit Arist. tria fundamenta relationum. Vnum est identitas, & diuersitas in essentia: identitas in essentia fundat relationem identitatis, vt Petrus, & Paulus sunt idem in essentia: & duæ albedines. At diuersitas in essentia fundat relationes diuersitatis, vt inter hominem, & equum, sunt relationes diuersitatis, quia naturæ fundantes tales relationes, sunt diuersæ essentialitèr. Similitèr inter essentiam albedinis, & nigredinis, quia diuersæ species sunt.

4 Alterum fundamentum est, conuenientia, & disconuenientia in quantitatibus, quòd, si duæ lineæ sunt æquales in longitudine, æqualitas est fundamentum relationis æqualitatis. Et, si lineæ sunt inæquales in longitudine, illa inæqualitas, est fundamentum relationum inæqualitatis.

5 Tertium fundamentũ est, conuenientia in gradibus intensionis qualitatis: quòd, si duæ albedines sint intensæ, vt quatuor, conuenientes in illo gradu, illa conuenientia in gradibus est fundamentum relationum similitudinis. At, si vna albedo sit intensa, vt quatuor, & alia, vt quinque, illa disconuenientia in gradibus est fundamentum relationum dissimilitudinis.

6 Et ex his reperies, quod duæ albedines, vt sex, v. g. habent relationes identitatis, secundùm essentiam, & duas relationes similitudinis in gradibus intensionis, quòd si vna est intensa, vt sex, & altera, vt quinque, habẽt relationes identitatis in essentia, & aliæ duas dissimilitudinis in gradibus.

§. II.

De relationibus secũdi generis.

7 SEcundum fundamentum relationum secundi generis secundùm Arist. est mera potentia agendi, vel patiendi, vt calefactiuum, & calefactibile, vel in potentia agendi, vel patiendi, vt subsunt actioni, vel passioni, vt calefacientis, & calefacti. Et hanc secundam speciem dividit secundum varias temporis differentias. Nam aliæ, inquit, fundantur in actione, vel passione præterita, vt relationes patris, & filij. Aliæ in actione, vel passione præsenti-

senti: vt efficientis, & effectus. Aliæ in actione, vel passione futura, vt facturum, & faciendum.

Dubium non leve.

8 QVodnam sit fundamentum relationum, quæ fundantur in potentia activa, & passiva, vt subsunt actioni, vel passioni; vt sunt paternitatis, & filiationis? An scilicèt hoc fundamentum sit ipsa potentia activa, vel passiva? An verò actio, & passio? An substantia ipsa, quæ est principium radicale actionis, & passionis?

9 *Soto*, *Dominicanus* hoc cap. & 5. Metaph. q. 2. art. 2. quē sequuntur multi Thomistę, tenet, fundamentum harum relationum esse ipsam actionem, vel passionē. Probant, quia Arist. 5. Metaph. cap. 15. dixit has relationes fundari in actione, & passione.

10 Sed contra: quia relatio inſieri, & conservari dependet à fundamēto: ergo, deficiente fundamento, deficit relatio; sed deficit actio, vel motus agentis, quia transijt, & persistit relatio: ergo fundamentum istarum relationum non stat in actione.

11 Respondent aliqui, quòd relatio dependet ab actione inſieri, & à potentia activa in conservari. Sed quæro, vtrùm dependēat ab actione tanquàm à fundamento, vel tanquàm à conditione? Si tanquàm à conditione: ergo non tanquam à fundamento, in quo est, de quo est quæstio. Si dicas, quòd dependet ab actione tanquàm à fundamento: ergo illa relatio, v. g. paternitatis, priùs fuit in motu, seu actione, & postea in agente: ergo migrat de subiecto in subiectum; & nullum accidens migrat de subiecto in subiectum. Si dicas, quòd non est illa relatio priùs in actione, sed quod dependet tantùm in fieri ab actione tanquā à fundamento. ¶ Cōtra: quia omnis relatio intrinsecè inhęrens dependet essentialitèr à fundamento, & termino inſieri, & conservari, tanquàm à duabus concausis: ergo, si relatio paternitatis dependeret ab actione, tāquàm à fundamento, deficiente actione, deficeret illa relatio.

12 *Suarez in Metaphys.* disput. 27. sect. 12. Hurtado disp. 15. Metap. sect. 10. sub sectione 2. §. 104. Caverus disput. 3. dub. 9. dicunt, neque à actionē, neque potentiam activam, vel passivam esse fundamenta istarum relationū: sed solum ipsammet substantiam producentis, vel producti, quæ est radicale principium actionis, vel passionis. Ratio est: quia fundamentum relationis debet durare quandiù durat relatio: sed actio non durat, neque potentia generativa, vt patet in illo, qui habet filium, & amittit potentiā generativam: ergo potentia generativa, neque generatio sunt fundamentum illius relationis. Restat ergo, quod substantia, quæ

stæ

est radicale principium generationis, vel actionis, sit fundamentum istarum relationum.

13 Sed contra arguo ex descriptione fundamenti, nam fundamentum relationis est ratio, seu causa, ob quam resultat, & inhæret relatio in isto subiecto potius, quam in alio; sed substantia producentis, & producti, secundùm rationem substantiæ nõ sunt rationes, seu causæ, ob quas in ipsis resultent, & inhæreant istæ relationes: ergo. Probatur minor, quia ratio substantiæ, vt substantia, communis est vtrique, & quod est commune, non est ratio specificans, vel determinãs. Et sic relatio filiationis reperiretur in Patre, & Filio, & essent eiusdem rationis.

14 *Inter ista extrema vitiosa*, media via graditur sententia Scoti in 4. dist. 10. §. *Sed restant*, & dist. 13. q. 1. lit. V. §. *Ad quintum* vbi se citat ad dist. 27. primi dicens, quod fundamentum istarum relationum est potentia activa, & passiva; actionem verò, & passionem in motu esse conditiones simpliciter necessarias. Ratio Scoti est, quia relationes dependent inferi, & conservari à fundamento, & termino, & deficiente fundamento, deficit relatio. Sed actio deficit, & substantia vt substantia non habet rationem fundamenti: Restat ergo, quod sit potentia.

15 Confirmatur, quia ad fundamentum, quo nititur relatio, duo requiruntur, vnum, quod sit ratio ob quam resultet, & inhæreat relatio in isto subiecto, potius quam in alio. Secunda, quod maneat, stante relatione; sed istæ duæ conditiones non reperiuntur simul in actione, neque in substantia, vt substantia, vt probatum est contra Aduersarios: & reperiuntur in potentia activa, vel passiva, quia potentia activa existit, & præter rationem substantiæ habet rationem specialem potentiæ activæ: ergo ista sola est fundamẽtum, &c.

16 Actio autem, vel passio solum sunt conditiones simpliciter requisitę, quia relationes, v.g. Patris, & Filij, ab intrinseco petunt, quod præcedant motus, actio, & passio, vt ex fundamẽto, & termino resultent, & habeant esse.

17 Ad authoritatem Arist. adductam à Soto, respondet Scotus locis citatis, Arist. dixisse has relationes fundari in potẽtia activa, & passiva, vt subsunt actioni, & passioni, non quia actio, & passio sint fundamentum, aut aliquid complens formaliter fundamentum; sed quia sunt conditiones præviæ per se, & essentialitèr requisitæ.

18 Ad argumentum Suarij, & modernorum positum num. 12. Nego, quod in senibus deficiat potentia generativa, quia, vt dicemus lib. 3. de anima, quævis potentia vitalis componitur ex par-

te corporea, & anima. Quare est impossibile, quod vivente homine deficiat illi potentia generativa simpliciter; solùm possunt deficere spiritus vitales requisiti ad erectionem, sed non sunt de ratione potentiæ.

§. III.

De relationibus tertij generis.

1 FVndamentum relationum tertij generis ex intrinsece advenientibus, est mensurabilis ad mensuram. Obiecta actionum sunt mensura, habitus autem, & actus mensurantur cum obiectis, & sic scientia mensuratur cum suo scibili, idest, cum suo obiecto, & sensatio cum suo sensibili, visio cum visibili, auditio cum audibili.

2 Hoc fundamentum mensurabilis ad mensuram distinctum est ab vnitate, & numero, & etiam est distinctum à potentia activa, & passiva, vt per se notum est, neque reperitur aliud fundamentum relationum intrinsecè advenientium. Ex quibus deducitur, quod fundamenta relationum intrinsecè advenientium, istius prædicamenti sunt tantùm tria.

3 Obijcies Arist. hoc cap. dicentem: *Aliæ sunt relationes mẽsuræ ad mensurabile, scibilis ad scientiam, sensibilis ad sensum.* *P. Villaverde.* &c. ergo scibile est fundamentum relationis ad scientiam. Et sensibile est fundamentum relationis ad sensationem: ergo si scientia est fundamentum relationis ad scibile, & scibile est fundamentum relationis ad scientiam. Sequitur, quod est aliud fundamentum, præter tria numerata.

4 Respondeo, quod Arist. hoc cap. dixit: Relationes primi, & secundi generis dicuntur ad aliquid, quia id ipsum quod vnumquodq; est ad aliud dicitur: at relativa huius tertij generis, licet dicantur ad aliquid, tamen terminus non dicitur ad aliquid, quasi dicat Arist. relativa primi, & secundi generis sunt mutua; relativa autem tertij generis non sunt mutua: ergo si ex parte termini nempè scibilis non est relatio mutua, neque fundamentum: frustra enim ponitur fundamentum relationis, vbi non est esse relatio. Ex hac doctrina Arist. ab omnibus recepta explicandus est Aristot. dicendo, quod in mensura est relatio denominative, denominationè proveniente à mensurabili.

5 *Dubium.* Quæritur inter Authores, vtrùm relationes huius tertij generis sint reales? Quidam dicunt, quod non sunt reales, sed tantùm denominationes extrinsecæ ab alijs relationibus existentibus in alijs extremis.

6 Communis verò sententia tenet, esse relationes reales: sic Scotus 1. dist. 35. numero 9. &

in 1. dist. 30. quæst. 2. num. 19. & 5. Metaphys. quæst. 13. & quolib. 13. lit. M. & S. Thomas 5. Metaphys. lect. 17. & omnes veri discipuli vtriusq; Doctoris, & Suar. disp. 47 Metaph. sect. 10. Probatur primò, nam relationes similitudinis, & æqualitatis positis fundamentis, & terminis statim consurgunt realiter: ergo similiter istæ. Secundo à priori, quia vbi concurrunt fundamentum, & terminus cum conditionibus requisitis ad relationes reales consurgunt relationes reales, nisi sit aliquod impedimentum. Sed in nostro casu sunt fundamentum, & terminus cum conditionibus requisitis; ergo. Patet minor, quia extrema sunt realia, & realiter distincta.

7 Obijcit Cavero oppositam sententiam tenens in Logica tract. 5. disp. 3. dub. 8. neque rationes mensurabilis ad mensuram, neque similitudinis, & æqualitatis sunt reales: quia si essent reales ni nium, & sine necessitate cresceret multitudo entitatum. ¶ Respondeo, relationes esse levissimæ entitatis, nec præmere subiecta. Et esse necessarias, vt denominent intrinsecè subiecta. Quarè illi quæro, ad quid est necessaria relatio Patris ad Filium, & omnes secundi generis, quas ipse admittit, vt reales, & prædicamentales, & quod ipse dicet: ego dicã.

8 Obijcit secundò, nam relationes identitatis, & similitudinis in divinis non sunt reales: ergo neque istæ. Respondeo, negando antecedens, nam sunt reales, quia extrema sunt realia, & realiter distincta.

9 Obijcit tertiò, denominatio coexistentis est extrinseca: ergo & denominationes similis, æqualis, & sciẽtiæ, sunt extrinsecæ. Nego consequentiam, quia prima denominatio est à forma extrinseca, aliæ autem à formis intrinsecis. Si dicat, non esse necessarias has formas intrinsecas. Quæro, quare ipse admittit formã, & relationes intrinsecas secundi generis, vt Paternitatis, & filiationis, vel nulla est admittenda relatio intrinseca, & realis, vel numeratæ admittendæ sunt, quia omnium est vna ratio.

QVÆST. III.

Vtrùm vna relatio possit fundari super aliam?

1 DIvus Thomas 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. tenet partem negativam, quẽ sequuntur Caiet. Canariensis, Vazq. & Molina super hunc art. Sonzinas 5. Metap. p. 29. Didacus à Iesu disp. 14. q. 3. Caverus disput. 3. dub. 1. Probant primò, quia relatio est forma, qua alia referuntur: ergo nequit referri, neque esse fundamentum alterius relationis. Consequẽtia probatur, quia ideo vnio non vnitur alia vnione, quia vnio est forma, qua alia vniuntur; & existẽ-

tia

tia non existit alia existentia, quia est qua alia existunt. Sed sicùt existentia est, qua alia existunt, ita relatio est, qua alia referuntur: ergo sicut existentia non existit alia, ita relatio non refertur alia. ¶ Secundò, quia si vna relatio posset fundare aliam, daretur processus in infinitum. Patet, nam si relatio identitatis fundaret aliam, ita, & ista aliam, & sic in infinitũ. ¶ Tertiò, quia si vna relatio posset fundare aliam maximè identitatis, & diversitatis: Sed istæ relationes fundantur in substantia secundum Arist. 5. Metaph. cap. 13. ergo nõ fundatur in relatione.

2 *Ex alia parte Scotus* in 4. dist. 6. q. 10. §. *Secunda ratio* n. 5. & dist. 12. q. 1. lit. D. ipsum sequuntur omnes eius discipuli, Liquetus, Maironius eisdem locis. Antonius Andræas 5. Metaph. q. 13. Merin. de *ad aliquid* disp. 2. q. 2. n. 4. & ex Thomistis Suarez disp. 47. sess. 11. Rubi' q. 11. & alij plures ex Thom. dicunt, quod sic. Probat primò Scot. ex Euclide lib. 5. geometriæ, vbi definiens *proportionalitatem*, inquit: *esse similitudinem duorum proportionum*; proportiones sunt relationes: ergo similitudo fundatur supra relationem.

3 Secundò, quia sicùt Petrus, & Paulus sunt idem in natura; ita duæ relationes paternitatis sunt idem in natura; sed quæ sunt idem in natura, fundant relationes identitatis; ergo duæ relationes paternitatis fundant relationem identitatis.

4 Respondet Didacus à Iesu in fine quæstionis, non esse diversas relationes positivè, sed negativè, hoc est, quod non sunt distinctæ. ¶ Sed contra, quia relatio identitatis in essentia est positiva species, & distincta essentialitèr à relationib' paternitatis: ergo relatio paternitatis, & identitatis sunt diversæ positivè specificè, & essentialitèr; item sunt in diversis subiectis: ergo.

5 Obijcit idem Didacus, relationes sunt tam minimæ entitatis, & tam imperfectæ, quod indigent fundaméto absoluto, vt sint, & in quo substententur: ergo vna relatio propter nimiam debilitatem suam non potest esse fundamẽtum alterius. ¶ Resp. quod etiam relationes identitatis resultantes ex duabus paternitatib' sunt minimæ entitatis, & sic possunt dependere à primis. Et omnes ordinatæ à subiecto absoluto radicaliter dependent.

6 *Ad primũ respondeo*, quod relatio filiationis v. g. dupliciter se habet respectu diversorũ, nam respectu filij se habet, vt *quo*, & respectu alterius relationis, nempè identitatis, se habet, vt *quod refertur*. Cum probas cõsequentiã instantijs vnionis, & existẽtiæ. Dico, quod non sunt ad rem: quia se habent tantũ, vt *quo*, & ideo sunt vltimę rationes. Relatio autè filiationis se habet vt *quo*, & vt *quod*

respectu diversorū, & dictum est, quod non sunt vltimæ rationis.

7 Ad secundum respondet Scotus in 2. distinct. 1. q. 4. §. *Ad quæstionem istam*, & quolib. 3. lit. P. negādo, sequi processum in infinitum, quia natura sistit in relationibus eiusdem rationis terminativæ, ne detur superfluitas, quod sic ostenditur: Duæ relationes filiationis sunt eiusdem essentiæ; Fundant relationes mutuas identitatis, terminatur natura, quia superfluæ darentur aliæ relationes identitatis super istas; vel melius, quia relationes identitatis natura sua sunt vltimæ, quod ego sentio, vt discurrenti per hæc genera patebit.

8 Ad tertium, concedo maiorē, ad minorem dico, quod Arist. non intellexit pro substantia ens per se, sed essentiam, vel quidditatem, quæ est in omnibus prædicamentis.

CAP. VII.

De Relatione respectu sui termini.

QVÆST. I.

Vtrùm relatio terminetur per se ad absolutum, an ad respectivum?

VT benè, & clarè procedat disputatio, necesse èst intelligere qualiter intelligatur terminus relationis?

§. I.

Proponitur intelligentia termini relationis.

1 QVidam modernus Thomista lib. 2. Logicæ q. 24. §. 2. sic inquit; dico ergo primò, terminus relativi semper à nobis intelligitur, vt quid relativum. In relativis primi, & secundi ordinis, realitèr: in relativis tertij ordinis, solùm secundum rationem. Ita sumitur aperte ex D. Thoma lib. 2. contra gentes cap. 11. ratione prima dicente, *non potest intelligi aliquid relativè dici ad alterum, nisi èconverso, illud relativè diceretur ad ipsum.* & in 1. dist. 30. q. 1. art. 3. docet relationes Dei ad creaturas esse in Deo *secundum rationem tantùm: quia intellectus noster non potest accipere aliquid relativè ad alterum dici, nisi ipsum sub oppositæ habitudine intelligat.* Et in primo ad Anivaldum dist. 30. art. 2. ad 3. verificat S. Thomas, *quod cuilibet relationi opponitur alia relatio, quæ quandoque est in re, ad quam ratio terminatur, quandoque est in intellectu tantùm, non sicut in relato; sed sicut in intelligente aliquid sub relatione.*

2 *Ego autem dico primo*, quod quæstio non est de termino relationis, prout concipitur à nobis; sed solùm de termino relationis, vt terminus est in se. Vnde totus §. *Non est ad rem.*

3 Di-

3 *Dico secundò*: esse manifestè falsum, *quod non potest intelligi, aliquid relativè dici ad alterum, nisi concipiatur terminus, sub relatione.* Quia bene percipitur, quòd scientia sit ad obiectum, & quòd obiectum non sit relativè ad scientiam. Probatur, nam in obiecto non est relatio realis ad scientiam: quia non est relatio mutua. Secundò, potest intelligi obiectum sine relatione rationis, quia relatio rationis non est, nisi ego velim fingere illam. Possum non fingere illam. Ergo possum concipere relationem scientiæ terminari ad obiectum, sine eo, quòd in obiecto sit relatio in re, neque concepta, vel ficta.

4 *Dico tertiò*: quòd terminus relationis; sic debet intelligi, nempè, quòd sit id, quòd per se terminat relationé. Cumque in terminis relationis mutuæ duo reperiantur, & absolutum, & relatio realis, hinc oritur dubium, vtrũ relatio similitudinis, v.g. terminetur per se ad aliam relationem similitudinis correlativi? An ad absolutum, quòd subest relationi similitudinis correlativæ?

§. II.

Ponitur prima conclusio Thomistarum de relativis mutuis.

5 Est sententia Thomistarum, loquendo de relativis mutuis, quòd terminantur formaliter realiter ad respectivum, vt respectivum. V.g. relatio similitudinis inter duas albedines, vt quatuor, terminatur per se, & formaliter ad aliam relationem similitudinis. Hanc conclusionem probant Ir. Auctorit. S. Thom. 1. p. q. 40. art. 2. ad 4. dicentis. *Cum dicitur, quod relativi esse, est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlativum, quod non est prius: sed simul natura.*

6 Secundò à simili, nam relationes divinæ terminantur formaliter, & per se ad respectivum, alioquin distinguerentur, & opponerentur formaliter in aliquo absoluto; sed hoc habent formalissimè ratione oppositionis, & distinctionis relativæ: ergo in relationibus realibus creatis, primi, & secundi generis erit similiter.

7 Tertiò, nam relatio, vt relatio, includit oppositionem relativam: sed oppositio relativa essentialiter includit rationes referendi, & terminandi; ergo terminus relationis realis est aliquid respectivum. Maior patet, quia relatio realis est respectus realis vnius ad alterum. Oppositio autem relativa definitur à Philosopho in post prædicamẽtis his verbis: *quæcunque relativa dicuntur, ea ipsa, quæ sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea*: ergo relativa per ipsas relationes opponuntur. Et sic etiam est probata minor, quia in oppo-

si-

sitione respectus vnius ad alterū per se includitur ratio referendi, & terminandi relativa.

8 Sed contra istam opinionē fic arguo. Demus duas albedines vt quatuor, & quod Deus concurrat ad pululationem vnius, & non concurrat, vel impediat pululationem alterius relationis: tunc relatio pullulans habet terminum per se, & in re non est altera ratio, quæ terminet; ergo relatio non est terminus per se alterius relationis; casus est manifeste possibilis, quia nulla est contradictio, in hoc, quod Deus impediat resultantiam vnius relationis.

9 Secundo arguo: Fundamentum per se, & terminus per se relationis sunt prius natura ipsis relationibus consurgentibus: sed vna relatio non est prius natura, altera correlatione: ergo vna correlatio non est terminus per se alterius correlationis. Tertio, quia terminus per se relationis est, vel concausa, vel conditio sine qua non, præcedens relationem; sed vna correlatio, neque est concausa, neque conditio sine qua non præcedens alteram correlationē: ergo vna correlatio non est terminus per se alterius correlationis.

10 Respondet ille Modernus, quòd ista argumenta postrema. Probant de fundamento proximo, & de ratione proxima fundandi rationem terminandi, sed non probant de ipsa ratione formali terminandi, quæ est relatio.

11 Sed contra hoc est primū argumentum: vbi datur relatio, vel potest dari in vno extremo, in quo non est alia relatio, quæ sit terminus per se relationis resurgentis in fundamento deducitur, quòd relatio non petit per se alteram relationē pro termino per se. Et etiam confirmant ista duo posteriora argumenta, quòd terminus per se est illud, quòd est prius natura relationibus: quia relatio dependet essentialiter in conservari, & fieri à termino per se: & vna relatio non depēdet essentialiter ab alia, quia iam illa, à qua ista dependet essentialiter in fieri, & conservari, esset prius natura ipsa relatione dependente, & si vna relatio mutua esset per se terminus alterius, sequeretur, quod ad invicem dependeret essentialiter in fieri, & conservari ab altera, & quod ad invicem vna esset prius altera; imò, & quod vna sit prius, & non sit prius altera.

§. III.

De relativis non mutuis.

12 Caietanus 1. p. q. 13. art. 7. quem sequuntur Cursus Carmel. disput. 14. q. 6. citans plures alios dicunt, terminari ad relationem rationis: quia scientia & obiectum sunt relativa: ergo in ob-

obiecto est relatio: non realis: ergo rationis. Sed relativa sunt simul natura formaliter sumpta, & relatio scientiæ ad obiectum, non est simul natura cum obiecto entitativo: ergo cum obiecto, sub ratione relativa rationis.

13 Sed contra, quia nullo intellectu considerante, in obiecto scientiæ nulla est relatio rationis, & tamen in scientia est relatio realis ad obiectum: ergo relatio rationis, non est terminus per se illius relationis realis. Patet cōsequentia, quia quòd non est adhuc ficte, non potest esse terminus: sed nullo intellectu fingente non est relatio rationis: ergo.

14 Mirum est, quot fictiones inventent aliqui Thomistæ, vt defendant suam conclusionem: Magist. Ortiz §. 5. *in fine* dicit: quòd relationes tertij generis sunt reales ex parte fundamenti, sed sunt tantum transcendentales, & fiunt prædicamentales, quando intellectus fingit ens rationis intermino.

15 Sed contra, primò, non ficto ente rationis ex parte termini, illa relatio scientiæ est realis in se: vel consurgit ex fundamento, & termino? vel non? Si nō: ergo falsa est illa maxima, posito fundamento, & termino consurgit relatio intrinsecus adveniens. Si consurgit ex fundamēto, & termino? ergo iam habebat terminum ante formationem entis rationis.

16 Præterea, quando illa relatio ex transcendentali transivit ad prædicamentalem, quid habuit de novo? Vel extensionem, vel solam terminationem ad ens rationis? Si habuit solam extensionem de novo: ergo non fit prædicamentalis: quia prædicamentales sunt diversæ à transcendentalibus: si addit solam terminationem ad ens rationis, ista est extrinseca relationi: ergo per solam attingentiam ad ens rationis fit illa relatio realis realitate prædicamentali.

17 Nazarius respondet: quòd in relativis non mutuis ratio terminādi, est relativa denominatio à relatione alterius extremi proveniens, per quam constituitur formaliter terminus, & correlativum.

18 Sed contra, quia illa denominatio extrinseca, vel est formalissimè ipsa relatio, vel extremum esse denominatū? Nil aliud excogitari potest, non est ipsissima relatio: quia tunc ipsa relatio esset relatio, & terminus sui ipsius, neque denominatio passiva potest esse terminus illius relationis: quia terminus formalis, vel est prius natura relatione, vel simul natura cum relatione. Sed hæc denominatio passiva est posterior natura ipsa relatione, quia causatur ab illa: ergo.

§. IV.

Proponitur sententia Scoti, & probatur.

19 SVbtilis Doctor in 1. dist. 26. q. 1. & dist. 30. q. 2. §. *Respondeo*, quem sequuntur omnes eius discipuli in vniuersum, affirmat omnes relationes huius prædicamenti tàm mutuas, quàm nõ mutuas terminari ad absolutum. Sed claritatis gratia divido istam sententiam in duas conclusiones.

20 *Sit prima conclusio*, relationes mutuæ terminantur per se ad absolutum. Præter Scotistas, ex Thomistis, deserentes sententiam S. Thomæ, illam tenent Capreolus q. 1. art. 2. ad 3. Soncinas 5. Metaph. q. 30. ad 2. Suarius accurate tom. 2. Metaph. disp. 47. sect. 16. Lalemandet de Ente disput. 9. part. 1. n. 7. illam probo hac ratione. Si inter duo alba, ve sex, resultaret in vno relatio similitudinis, & Deus impediret in alio resultantiam relationis similitudinis, quòd est possibile, eo quòd, nulla apparet repugnãtia, tunc in vno extremo esset relatio similitudinis, & essentialitèr dependens à termino, & prædicamentalis realis: sed in isto casu non esset ex parte termini aliquod relativum formalitèr, sed tantũ absolutum: ergo relatio per se terminatur ad absolutum.

21 Itèm, quòd dependet essentialitèr ab alio, stante illo alio, stat dependens essentialitèr, & deficiẽte illo, deficit etiam illud, quòd dependet essentialitèr; sed relationes intrinsecè advenientes dependent essentialitèr à termino: ergo stante termino cum alijs requisitis, stat illa relatio; & deficiente termino deficit illa relatio: sed deficiente relatione in altero extremo, & stante absoluto stat relatio: ergo terminus per se relationis est absolutum, & nõ correlatio. Patet, quòd terminus per se, & essentialis est absolutum: Minor patet impediente Deo resultantiam in termino.

22 *Sit secunda conclusio*, in relativis non mutuis, relatio terminatur per se ad absolutum. Præter Thomistas citatos illam tenent Ferrara 2. Contrag. cap. 11. Numphius 5. Metaph. disput. 14. Rubius q. 7. Masius sect. 3. Gallego controv. 29. & alij plures Thomistæ: & novissimè quidam Dominicanus Complutensis q. 24. n. 16. Vide quo modo deserunt sententiam S. Thomæ.

23 Hanc conclusionem probo duabus rationibus, quibus prima probata est: nam in scientia ad obiectũ est relatio realis (loquor de obiecto reali) & prædicamentalis, & habet actu terminum: sed relatio in obiecto non est terminus: quia quòd non est actu, non est terminus: restat ergo, quòd absolutum sit terminus. Secunda est, quia relatio dependet in fieri,

&

& conservari essentialiter à suo termino. Si relatio esset suus terminus essentialiter peritus, deficiente relatione, non esset illa relatio: existit illa relatio prædicamentalis deficiente relatione, & stante absoluto: ergo absolutum est terminus essentialiter peritus à relatione non mutua. Responsiones Thomistarum iam sunt eversæ. §. 3. huius quæstionis.

§ V.

Respondetur argumentis in oppositum.

24 AD primum argumentum dicens, quòd relationes divinæ terminantur formaliter, & per se ad respectivum. Dico, quòd si per respectivum intelligat relationes tantum, hoc est, quòd relatio Paternitatis terminatur per se ad filiationem, est falsa, nam non terminatur nisi ad personam: quia extrema, quæ referuntur sunt personæ, & rationes, quibus referuntur sunt relationes paternitatis, & filiationis. Et sic filius refertur ad patrem totum, & totus Pater est terminus illius relationis. At totus pater non est sola relatio paternitatis, sed est totum constans Paternitate, & deitate absoluta.

25 Ad minorem, nego, quòd ratione oppositionis relativæ habeant personæ divinæ, quòd una relatio terminetur per se ad aliã: quia in opinione probabili Ioãnis de Ripa, & Scoti in 1. dist. 26. personæ divinæ constituuntur rationibus absolutis. Et tunc relatio paternitatis, & filiationis haberent oppositionem relativam, *vt quo*, & tamen terminarentur ad absolutum: ergo ex oppositione relativa non habent intrinsece, quòd vna relatio terminetur ad aliam. Item in creatis inter Patrem, & filium est oppositio relativa, & tamen non petit per se, quòd vna relatio terminetur ad aliam, vt ostensum est, per cõditionem, vel ex hypothesi, quòd Deus impediret, quòd in filio nõ resultaret relatio filiationis, tunc relatio paternitatis terminaretur ad absolutum, non ad relationẽ, quia tunc non esset filiatio: ergo oppositio non petit per se terminari ad relationem. Quòd si in divinis dicas, quòd personalitates sunt relativæ hoc est, quia personalitates sunt relationes secundũ communem oppinionẽm. Si autem personalitates essent absolutæ, Paternitas nõ terminaretur ad personam relativã, sed ad absolutam.

26 Ad secundum dico, quòd illa maior (relatio, vt relatio, includit oppositionem relativam) est omnino falsa, quia oppositio relativa versatur inter duas relationes oppositas, & inter duo relata: ergo quando est vna relatio talis naturæ, vt non habeat correlationem, ex na-

latio: sed variata quaque concausa, essentialiter requisita ad vnam speciem, variatur species: ergo variato fundamento formali, vel termino formali, variantur essentialiter relationes. Cumque relatio illico, quòd habet esse respiciat fundamentũ, & terminum, à quibus essentialiter dependet, hinc est, quòd per fundamentũ, & terminum notificatur species: quasi clamando, dicit relatio, ab istis sum.

7 *Ad rationes dubitãdi resp.* idem album posse fundare diversas relationes in specie, sed nõ secundum eãdẽ rationem formalẽ, sed potius secundùm diversam: & idem dicendum est de termino: nã si vna albedo posita pro termino habet aliam albedinem pro fundamento eorundem graduum, est illa relatio, quæ resultat, similitudinis: quia fundamentum, & terminus sunt vnitas in gradibus. Quando autem ponitur nigredo, vt fundamentum in diversis gradibus, sunt dissimilitudinis relationes resultantes, quia fundamẽtum, & terminus proximè, & formaliter est numerus, vel diversitas in gradibus. Ecce, quòd eadẽ albedo secundum convenientiam in gradibus est terminus similitudinis, & secundum disconvenientiam in gradibus, est terminus dissimilitudinis. Idem dicendum est de rationibus fundãdi proximis, quæ sunt convenientia, & disconvenientia: & ita neque terminus formalis est communis: neque fundamentum formale, relationibus similitudinis, & dissimilitudinis.

8 Illud de relatione Filij ad Patrem, & Matrem, in sententia Scoti nullam habet difficultatẽ. Quia in 3. dist. 4. q. vnic. cum Galeno lib. 4. de vsu partium, & lib. 2. de semine tenet, quòd Mater habet potentiam activam sicut Pater, & ita illæ duæ relationes Filij ad Patrem, & Matrẽ sunt eiusdẽ speciei. At Thomistæ, quia tenẽt, quod Mater se habet passivè. videant quomodo respondere debent.

9 *Quæres* 1. Vtrùm relationes similitudinis inter duo alba, & duo nigra, sint eiusdem speciei? Respondetur, quod sic: nam licet albedo, & nigredo differant specie, se habent materialiter: cõvenientia autem in gradibus est ratio formalis fundandi, & terminandi has relationes: Sed specificatio sumitur solùm à rationibus formalibus: ergo.

10 *Quæres* 2. à quo sumantur in relatione ratio generis, & ratio differentiæ? Respondeo, quod in toto specifico est vna ratio communis, & cõtracta, alia specialis, & contrahens. Ratio generis est abstracta à ratione contracta, & sic ab illa abstrahitur, & sumitur ratio generis. A ratione contrahente fit abstractio differentiæ: & sic ab illa sumitur ratio differentiæ logice loquendo.

QVÆ-

QVÆST. III.

Vtrùm multiplicatio numerica relationum sit ex subiecto.

1 ISta quæstio inquirit rationẽ individuandi relationes. Thomistæ dicunt, relationem individuari à subiecto; & consequẽter, si in vno patre sũt habitudines ad plures filios, non sunt plures relationes numero, sed vnica; quia subiectum est vnicum. Sic D. Thomas in 3. dist. 8. q. 1. & 3. p. q. 35. art. 5. Cursus Carmel. disp. 14. q. 7. §. 4. & alij plures, quos ipse citat. Præcipuum fundamentum est ista propositio, accidentia individuantur à subiecto. Probatur ex Arist. 3. Metaphys. cap. 3. & 5. Metaph. capit. 6. dicente in formis omnis distinctio, aut est formalis, & hæc est specifica, aut est materialis, vel numerica, & hæc est ex materia, vel subiecto. Tũc sic; sed relationes sunt formæ accidẽtales: ergo individuãtur à subiecto.

2 *Vera sententia est*, relationes non individuari à subiecto; sed ab ecceitatibus, & singularitatibus proprijs eiusdem prædicamenti. Sic subtilis Doctor in 3. dist. 8. q. vnica, & quolib. 11. §. *De tertio* & 5. Metaph. quæst. 7. ipsum sequuntur omnes sui discipuli, & ex Thomistis, deserentes S. Thomam, Suarez in Metaphys. disp. 5. sect. 8. & disp. 47. sect. 17. Fonseca 5. Metaph. cap. 10. q. 1. sect. 3. & Molina. 1. p. q. 1. art. 3. Propter claritatem divido sententiam istam in duas conclusiones.

3 *Sit prima*, relatio nulla prædicamentalis individuatur à subiecto. Hanc probo sic: in quolibet prædicamento, individua pertinent per se ad illud, vt fundamenta: sed qualitas, quæ est fundamentum relationis similitudinis, non pertinet per se ad prædicamentum relationis intrinsecè advenientis: ergo relatio similitudinis non individuatur per subiectum, nempè per qualitatem. Secundò, quia omnis species prædicatur *in quid*, & per modum per se stantis de suo individuo. Sed relatio similitudinis non prædicatur *in quid*, & per modum per se stantis de albedine, quæ est subiectum eius: ergo non individuatur per subiectum. Minor probatur: quia ista, *albedo est similis*, nõ est speciei de individuo, sed quinti prædicabilis. Tertiò, quia omnis singularitas est idem realiter cum specie: Fundamentum non est idem realiter cum relatione ista: ergo.

4 *Sit secunda conclusio*, quælibet species relationis prædicamentalis individuatur per singularitatem pertinẽrem ad hoc prædicamentum. Primò, quia individua cuiusvis prædicamenti pertinent ad prædicamentum, ad quod pertinent species, quia sunt idem realiter cum speciebus: ergo species

cies istius prædicamenti individuantur, per ecceitates pertinentes ad hoc prædicamentum. Secundò, quia omnis species prædicatur *in quid*, *vt totum* de suis individuis; sed species istius prædicamenti prædicantur *in quid*, & *vt totum* de suis ecceitatibus: ergo ab istis individuantur. Patet minor, quia istæ prædicationes sunt speciei, *hæc Paternitas est Paternitas*, *hæc similitudo est similitudo*.

5 Ex his deduco, quod in vno homine ad plures filios sunt plures relationes numero distinctæ. Quia positis Patre, & Filio materialiter, resultat relatio Paternitatis hæc: & producto alio filio resultat alia relatio hæc: & per hanc primam relationem denominatur hic Pater huius filii, & per secundá denominatur hic Pater huius filij: ergo.

6 Respondent Thomistæ, quod quando producitur secundus filius, non consurgit noua relatio Paternitatis, sed quæ præerat, extenditur.

7 Sed contra, quia omne extensum habet partes extra partes, vel quantitativas, vel entitativas: ergo noua extensio habet novas partes, ita quod hæc non sit illa, & vltra sunt eiusdem essentiæ: ergo si est, hæc pars, & illa, differunt numero. Præterea quælibet relatio dependet essentialiter à fundamento, & termino adæquato inferi, & conservari. Quæro, vel primus filius est adæquatus terminus Paternitatis, vel non? si non: ergo non consurgit relatio: si est terminus adæquatus: ergo non potest illa relatio habere simul alterum terminum ad quem: patet, quia tunc primus filius esset terminus adæquatus illius Paternitatis, & nõ esset terminus adęquatus illi, quia admitteret alterum.

8 Obijcit Rubius, non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; sed non est necessitas multiplicandi tot relationes numero: ergo. Minor probatur, quia vnus habitus sufficit ad plures actus. ¶ Secundó, quia ad effectum formalem Patris sufficit vna Paternitas: nam hæc tribuit effectum formalem, quem tribuerent tot Paternitates: ergo.

9 Respondeo concessa maiori, negando minorẽ, quia cum probatum sit, vnum relativum non posse referri ad plures terminos per vnam relationem numero, necesse est ponere tot relationes numero, vt referatur ad plures terminos, & vt singulariter dicatur Pater determinatus huius Filij, & Pater illius. Ad primam probationẽ concedo, quod vnus habitus numero, sufficit ad plures actus numero, quia hoc fit in genere causæ efficientis, relationes autem sunt in genere cau-

sæ

sæ formalis. ¶ Ad secundã dico, quod licet vna Paternitas sufficiat ad denominandum Patrem, & Patrem huius Filij, non sufficit ad referendum Patrem ad alium filium, & denominandum illum Patrem alterius filij.

10 Obijcit Masius. Vbi multiplicantur formæ, multiplicantur concreta; sed in vno homine habente plures filios non sunt plures Patres: ergo neque plures Paternitates. Respondetur maiorem esse diminutam, quia ad multiplicationem concretorum accidentalium, non sufficit multiplicatio formæ, sed etiam requiritur multiplicatio subiecti. Aliter potest dici, quod sunt concreta physica, & metaphysica. Concreta physica accidentalia petunt multiplicationem formæ accidentalis, & subiectorũ: ad multiplicationem metaphysicam, & physicam immediatam, requiritur multiplicatio naturæ specificæ per singularitates, sicuti albedo in specie multiplicatur per hanc, & illam albedinem: ita relatio Paternitatis in specie multiplicatur per hanc, & illam Paternitatem, & Paternitas abstracta à subiecto, est considerata respectu singularitatis, quia concernit illam; sicut homo hunc hominem.

(§?)

Coordinatio prædicamenti relationis.

11 RElatio intrinsecus adveniens, alia non mutua, alia mutua: non mutua mensurabilis ad mensuram. Mutua subdividitur in eam, quæ fundatur in potentia activa, & passiva, vt producentis ad productum, & producti ad producens. Et in eam, quæ fundatur in vnitate, & numero. Ista, quæ fundatur in vnitate, alia quæ fundatur in vnitate essentiali, & quidditativa, vt relatio identitatis: alia, quæ fundatur in vnitate quantitatis, vt æqualitas, alia, quæ fundatur in vnitate graduum, vt similitudo. Illa autem, quæ fundatur in numero, seu disconvenientia, vna est, quæ fundatur in disconvenientia essentiali, quæ est diversitatis. Alia, quæ fundatur in disconvenientia in quantitate, & est inæqualitas. Alia, quæ fundatur in disconvenientia in gradibus, & est dissimilitudo. Ex quibus patet, quod in hoc prædicamento non est nisi vnum genus generalissimum, nempè relatio intrinsecus adveniens, vt sic, prout præscindit à mutua, & non mutua.

(§)

CAP. VIII.

De Qualitate. Summa capitis.

1 IN hoc cap. quatuor facit Arist. Primò definit qualitatẽ, & dividit species eius. Secundò agit de quale inconcreto. Tertiò tradit proprietates qualitis. Quartò solvit quoddã dubiũ propositum.

2 *Quoad primum.* Qualitas dicitur id, quo res dicuntur quales. Dividitur autem qualitas in quatuor species. Prima divisio est in habitum, & dispositionẽ. Secunda est naturalis potentia, & impotentia. Tertia est passio, & passibilis qualitas. Quarta est forma, & figura; inter quas ponit Aristot. differẽtias, quia habitus est dispositio difficile mobilis â subiecto: At dispositio est facilè mobilis. Similiter potentia est naturalis potestas, seu aptitudo ad aliquid: At impotentia naturalis ineptitudo, qua difficilè aliquid agit, vel resistit. Passio est qualitas breui transiens, quæ aut sẽsum mouet, aut ex motu oritur. Passibilis qualitas est diu permanens, quæ aut sensum movet, aut ex motu oritur. Forma est qualitas resultans ex terminatione quãtitatis prout est in aliqua re naturalis. Figura est qualitas resultans in terminatione quantitatis secundum se, & sine respectu ad rem naturalem, vt triangulus, circulus, &c.

3 *Quoad secundum. Qualia inconcreto dicuntur ea, quæ denominativè à qualitatibus, vel aliquo alio modo dicuntur denominativè*, vt album ab albedine, vbi seruatur eadem vox: aliquo aliomodo, vt studiosus, & honestus à virtute.

4 *Quoad tertium* numerantur tres proprietates qualitatis. Prima, habere contrarium. Secunda, suscipere magis, & minus. Tertia, quod secundum qualitatẽ aliquid dicatur simile, vel dissimile.

5 *Quoad quartum* proponit hoc dubium: habitus, & dispositio numerantur inter relativa capite præcedenti: ergo non debent poni inter qualitates. Respondet primò, hoc conuenire habitibus in communi acceptis, non in particulari, exprimitur enim nomine scientiæ, v.g. ordo ad id, cuius est scientia, quod non exprimitur in nomine particularis scientiæ, v.g. grammaticæ; vbi solùm insinuat esse relativa secundum dici, quæ non pertinent ad prædicamentum relationis. Secundo respondet, pertinere ad duplex prædicamentum secundum diuersas rationes.

QVÆST. I.

Quid sit qualitas in communi?

¶ AD intelligentiam subiecti quæstionis advertendum est cum Arist. 5. Metaphys. cap. 13. & Scoto ibidem: quod iste terminus *qualitas* est æquivocus, aliquando accipitur pro differentia quidditativa cuiusvis naturæ, & in hoc sensu accepit illam Porphyrius cap. de Differentia, & in hac acceptione differẽtia est transcendentalis. Aliquando accipitur pro quocunque accidente prędicamentali; sic illam accepit Porphyr. cap. de Accidenti, quando dixit, quod accidens prædicatur in quale accidentale. Et sic accepta, qualitas est transcendens per novem prædicamenta. Aliquando accipitur qualitas magis strictè, pro genere generalissimo determinato huius prædicamenti. Sic accepit illum Aristot. hoc cap. quando dixit: *Qualitas est, qua quales denominamur.* Et per quam respondemus interrogationi factæ per quale, vt cum quæritur, qualis est Petrus? Respondemus, est iustus, vel est pravus, & de qualitate in hac acceptione est quæst.

2 Præterea suppono, quod definitio alia est Physica, alia Logica, vt dictum est in Logica directiva capit. de definitione. Ex quo dico, quod illa definitio Aristot. de qualitate est bona physicè, quia in ea ly *qua* refertur ad formam, quasi dicat, *qualitas est forma, qua quales denominamur*, in qua definitione *forma* est quid cõmune physicè, *& per aptitudinẽ ad qualificandum subiectum* differt ab alijs formis physicis accidentalibus. Sed non est bona Logicè, quia non constat ratione *in quid*, & differentia essentiali. ¶ Tandẽ suppono, quod ratio communis *in quid* quantitati, & qualitati est *accidens absolutum*, quia fundamentaliter, & *in quid* de quantitate, & qualitate prędicatur. Tota difficultas est in aperiendo modũ, quo constituitur, & distinguitur à quantitate; non enim habet differentiam essentialem qualitas, alioquin haberet genus supra se, & non esset primum genus.

3 Quidam dicunt, quod *accidens absolutum consequens formam*, est essentia qualitatis, sicut est essentia quãtitatis, *esse accidẽs absolutum consequens materiam.* Et ita exigentia ad consequendũ formam, est modus quo distinguitur à quantitate. ¶ Sed contra, nam id, quod non est adhuc proprium quarto modo, non potest esse modus intrinsecus constitutivus qualitatis; sed exigentia ad consequendũ formam, non est proprietas qualitatis: ergo. Probo minorem, quod convenit superiori convenit omni contento sub illo: figura non exigit consequi formam, sed materiam, & est spe-

cies qualitatis: ergo non convenit qualitati vt sic. Ideò non est proprietas quarto modo qualitatis, nam proprietas convenit omni, quando est quarto modo. ¶ Vbi nota, quod qualitas materialis cõsequitur formam materialem, sed qualitas spiritualis, & qualitas vt sic, non habẽt hoc.

4 Suar. in Metaph. disp. 42. sect. 1. dicit, qualitatem hoc habere peculiare inter cætera accidentia, quod per se primo instituta est, ad ornandum intrinsecè, & perficiendum substantiam, vt cõvenientèr affecta sit in suo esse, vel in virtute agendi. Vndè qualitatem incommuni sic definit: *Qualitas est quoddam accidens absolutum adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius, tam in existendo, quàm in agendo.*

5 Hanc definitionem reijciunt, vt superfluam, & insufficiẽtem Cursus Carmel. disp. 15. q. 2. & Merinero cap. de Qualitate q. 1. à num. 6. sed ego dico, quod illud peculiare assignatum à Suario, adhuc nõ est proprietas quarto modo: ergo non est modus intrinsecus constituens qualitatem, quia datur aliqua qualitas, quæ non ordinatur primo, & immediatè ad ornandum substantiam: ergo non est proprietas quarto modo qualitatis, vt sic. Patet consequentia, quia proprietas, vel modus proprius superioris, competit omni inferiori. Antecedens patet, quia *forma* est species qualitatis, & primo, & immediatè instituta est ad ornandum quantitatem, quia resultat ex terminatione quantitatis, & in ea primo subiectatur.

6 Hurtado in Metaphys. disp. 14. sect. 1. §. *Quarto*. Dicit: *essentiam qualitatis esse accidens absolutum, à quantitate distinctũ.* Hanc definitionem reijciunt, vt non exactam Cursus Carmel. loco citato, & Gallego controuersia 27. Sed ego illam reijcio, quia non ostendit modum, vel proprietatem positivam, quo qualitas, vt sic constituitur, & differt à quantitate.

7 Cursus Carmelitanus loco citato, & alij Thomistæ, cum S. Thoma 1. p. q. 28. art. 2. dicũt, quod peculiare, per quod differt qualitas à quantitate, est esse dispositionem substantiæ in se ipsa. Vbi notandum est, quod est duplex dispositio, vna est, inter partes quantitatis in ordine ad se, & ista est relatio situs. Alia dispositio est, super partes substãtiæ, nam secundum Phil. 5. Metaph. tex. 24. dispositio est ordo habẽtis partes. Et conclusio procedit non de prima dispositione, sed de secunda.

8 Sed contra, quia formà est species qualitatis, & tamen nõ est nata disponere substantiam in se ipsa, sed ornare, & qualificare immediatè quantitatem terminatam, ex qua resultat: ergo esse dis-

posi-

positionem substantiæ in se ipsa non est adhuc proprietas quarto modo qualitatis vt sic. Patet cõsequentia, quia quod conuenit superiori conuenit omni contento sub illo: Sed disponere primo substantiam in se ipsa, non conuenit formæ: ergo neq; qualitati vt sic.

9 In re tam obscura, & difficili sub correctione melioris sententiæ pro nunc dico: quod *qualitas essentialiter est accidens absolutum habens partes entitativas, qualificativas, radicaliter.* Sicut essentia quãtitatis est accidens absolutum habens partes extra partes. Primum speciale, quod reperitur in qualitate, est habere suas partes entitativas, per quod differt immediatè à quãtitate, cuius partes sunt quantitativæ, & vna extra aliam. Et hoc considerando qualitatem secundum esse omninò absolutum.

10 Nam considerando qualitatem, vt qualitas est, vt exprimitur per nomen *qualitas*, quod dicit habitudinem secundum dici ad subiectum suum, dicit specialiter exigentiam ad qualificandum subiectum, præter habitudinem communem, quam habet ad subiectum secundum rationem communem accidentis. Sic potest definiri *est accidens absolutum natum ab intrinseco qualificare subiectum.* In qua exigentia intrinseca ad qualificandum subiectum, est proprietas quarto modo qualitatis in esse absoluto: Notanter explicui qualitatem, vt qualitas est, per habitudinem ad subiectum suum, & non determinatè per ordinem ad substantiam, vt comprehenderem etiam formam, quæ est species qualitatis, cuius subiectum immediatum non est substantia, sed quantitas.

11 Sed si ab ista definitione qualitatis, quam tradunt Thomistæ, nempè *est accidens absolutum dispositivum substantiæ in se ipsa* tollas *substantiæ in se ipsa*, & ponas *sui subiecti*, erit sufficiens descriptio qualitatis vt sic, quia cum isto addito comprehendit omnes species qualitatis.

QVÆST. II.

Vtrùm divisio qualitatis sit exacta?

1 STatuta diffinitione, & ratione qualitatis vt sic, divisit illam Aristot. in habitum, seu dispositionem, in naturalem potentiam, seu impotentiam, in passionem, seu passibilem qualitatem, & in formam, seu figuram. De ista divisione quæritur, an sit exacta, & bona?

2 Et videtur, quod non: quia in omni bona divisione, membra dividentia debent habere rationem divisi; sed membra istius divisionis non includunt qualitatem: ergo. Minor patet, nam habitus est relatio prædicamentalis;

Dispositio pertinet ad prædicamentum situs, quia stare, & sedere, dispositiones sunt corporis, & nulla relatio est qualitas. ¶ Præterea naturalis potentia, si sumatur active, etiam convenit substantiæ, quia substantia naturaliter est activa: Petrus enim naturaliter habet potentiam generativam substantialem: & alij sunt impotentes naturaliter ad generationem. Si sumatur potentia passiuè etiam est communis substantiæ, & quantitati. Præterea passio est relatio prædicamenti passionis: ergo non est bona.

3 Ex alio capite ista divisio est insufficiens, quia sunt aliæ species qualitatis, quæ in ista divisione non numerantur, quia intellectio, volitio, species intentionales, sunt qualitates, & sub nullo membro istius divisionis continẽtur. ¶ Præterea raritas, densitas, lenitas, asperitas, sunt qualitates, & sub nullo membro divisionis cadunt: ergo est diminuta.

4 *Communis sententia tenet* esse bonam divisionem, ita Scotus q. 16. prædicamentali §. *Ad aliam quæstionem.* & licèt Suarez 2. 1. Metaphys. disp. 4. sect. 3. adducat plures rationes huius sufficientiæ mihi sufficit illa divisio clara, quam facit subtilis Doctor loco citato §. *Ad omnes istas* verficulo *Sic pura.* Et est ista: qualitas, aut est interior, aut exterior, si interior, & est acquisita, est habitus, & etiã si est infusa, & prima species qualitatis. Si est interior, & innatum principium operandi faciliter, vel difficulter, est naturalis potentia, aut impotentia, quæ est secunda species qualitatis. Si qualitas est exterior, aut est primo sensibilis, & sic est passio, vel passibilis qualitas, & tertia species. Si exterior, & non primò sensibilis, sic est forma, seu figura, & quarta species. Sed præter istas non est alia: ergo est divisio adæquata.

5 Obijcies, Arist. in littera numeravit frigus, & calorẽ inter habitus, & dispositiones; sed frigus, & calor sunt qualitates primò sensibiles: ergo ratio huius divisionis non est bene assignata ab Scotẽ. Respondetur ad hoc cum Alberto, Alexandro, Simplitio, & alijs, quod ista numeratio fuit facta ab Arist. non quia existimasset pertinere ad illud membrũ. Sed vt per quandã analogiam ostenderet per res sensibiles, vt sunt frigus, & calor, quo modo habitus, & dispositio sint qualitates insensibiles.

6 *Ad omnes rationes* adductas primo cap. contra sufficientiã huius divisionis, dico, quod fundantur in æquivocatione illorum nominum, nam habet plures significationes, & acceptiones, & secundùm vnam non sunt qualitates, secundũ alterã sunt qualitates. Infra declarabo æquivocationes, & tunc apparebit, qua ratione sint veræ qualitates.

7 Ad

7 Ad rationes adductas ex secundo cap. ex forma divisionis Scoti iam constat, quòd habitus acquisiti, & species intentionales sunt qualitates internæ. Ad illud de raritate, densitate, asperitate, & lenitate, multi dicunt, quòd pertinent ad quartam speciem, nempè ad formam, & figuram: cum Arist. 7. Physic. cap. 2. & Averroe Commentatore: quia sunt sensibiles non primò. Alij dicunt, quòd formaliter pertinent ad situm, & materialiter ad partes quantitativas in ordine ad locum, ut docuit Arist. hoc capite. Et in simili philosophatus est subtilis Doctor in 1. dist. 17. quæst. 2. lit. O. § *Sed oppositum* & quol. 18. lit. I.

QVÆST. III.

Vtrùm hæc divisio qualitatis sit generis in species?

1 CIrca istam quæstionem S. Thomas 1. 2. quæst. 49. art. 2. & cum eo omnes sui discipuli tenent, quod sic. Fundamẽtum est, nam qualitas prædicatur *in quid* de habitu, de naturali potentia: de passione, & de figura: vlteriùs habitus, naturalis potentia, passio, & figura, differunt specie, quia habent diversas rationes formales: ergo est divisio generis in species.

2 Sed huic rationi deficit ratio vltimo probativa; nam deficit illi medium ad probandum has qualitates esse essentialiter, & specificè distinctas, in quo stat cõplementum argumenti, nam si contrarij negẽt differre essentialiter, non adducit probationis medium.

3 Subtilis verò Doctor in 4. distinct. 6. q. 10. & in prædicamẽtis q. 36. duas adducit opiniones, vnã tenes, istam divisionem esse in varios modos accidẽtales: quam sequuntur plures Scotistæ: altera est, quod est generis in species: Quod autem ista divisio sit in varios modos accidẽtales, probat sic. Differentiæ essentiales, constituẽtes diversas species qualitatis, non possunt sui qualitati competere, sed eidem qualitati secundum essentiam competunt, ratio habitus, & ratio potentiæ, & ratio passionis: ergo. Probatur, nam calor radicatus, est habitus, & vt est principium naturale agẽdi, est naturalis potentia: & passibilis qualitas; ergo istæ differentiæ non sunt essentiales; sed tantũ modi accidentales.

4 Sed contra hanc opinionem deduco: ergo non est prædicamẽtum qualitatis, quæ consequentia est contra omnes, & contra ipsum Scotum concedentem prædicamentum qualitatis. Probo illam, nam si tantùm est differentia accidentalis in istis qualitatibus: ergo tantùm differunt accidentaliter: ergo non differunt in essentia: ergo est tãtũ vna essentia specifica qua-

qualitatis, & solùm differunt istæ qualitates nempè habitus, naturalis potentia, &c, numero, & accidentaliter; Sed vbi non sunt genera, & species non est prædicamentum: ergo ista opinio destruit prædicamentum qualitatis.

5 Teneo ergo istam divisionè esse generis in species. Tum, quia Arist. hoc cap. dicit, has qualitates esse species. Tum, quia est prædicamentum qualitatis, & omne prædicamentum, debet constare genere, & speciebus. Tùm, quia in illam magis inclinat Scotus; & quamvis ad probandum, quòd est generis in species, sufficiat illud argumentum, nempè, quòd est prædicamentum qualitatis; tamè specialitèr probandum, esse species distinctas essentialitèr probatione, quia, vel à posteriori.

6 Ad cuius claram probationem, memento illius divisionis qualitatis positæ quæst. anteced. num. 4. quam fecit ille Subtilis Doctor q. 36. vniversalium. Nam qualitas vna petit ab intrinseco esse interior, alia petit ab intrinseco esse exterior, & non interior. Istæ exigentiæ oppositæ sunt proprietates, ex quibus à posteriori colligitur, habitum, & calorem differre specie: quia habitus petit ab intrinseco esse interior, & color esse exterior. Ex quo tenemur dicere, quod facilitas Citharędi, nõ est propriè habitus: sed remotio impedimenti.

7 Vlterius qualitas, quæ petit esse interior, alia est, quę ab intrinseco petit acquiri, quæ est habitus: & alia quæ petit dari à natura, quæ est naturalis potentia: istæ exigentiæ vna ad acquiri per se, & alia ad habere esse non per acquisitionem; sed à natura, sunt proprietates diversæ, ex quibus à posteriori colligitur habitum, & naturalem potentiam esse species qualitatis internæ,

8 Præterea, qualitas, quæ ab intrinseco petit esse exterior, alia est passio, alia forma. Passio, quidem est qualitas nata causare passionem in sensibus. Forma est decens dispositio, seu delineatio rei animatæ. Et hæc non est nata causare passionè; sed ex istis proprietatibus, nempè, quòd passio sit nata causare passionè, & quod forma non sit nata causare passionem, colliguntur diversæ species qualitatis exterioris: ergo.

9 Ad argumentum positum num. 2. concedo maiorem, nego minorem: ad probationem dico, quod calor multum radicatus, est passibilis qualitas, sed non est habitus, quia non est interior, neque petit acquiri per repetitionem actuum, neque naturalis potentia, quia non est internus.

10 Ex dictis facile resolvitur vnum dubium, quod solet quæri, vtrùm divisio qualitatis in illas quatuor species sit immediata? Nam respondetur, quod non: quia vt visum est immediatè dividitur qualitas in internam, & externã,

&

& interna, in habitum, & naturalem potentiam, & externa in passionem, & formam.

QVÆST. IIII.

Vtrùm rectè ordinavit Philosophus ista membra?

1 QVæstio est vtrùm rectè ordinavit Philosophus ista membra, appellando primam speciem habitum, seu dispositionem; secundam naturalem potentiam, seu impotentiam, &c. & videtur, quòd non: quia Arist. 5. Metaph. considerando istas species qualitatis, dixit, primam speciem esse formam, secundam passionẽ, seu passibilem qualitatem; tertiã naturalem potentiam, seu impotentiam, & quartam habitum, seu dispositionem. ¶ Sed contra, quia Arist. hoc capite dixit, quòd habitus est prius naturali potentia, & hæc, est prius, quàm passio; & passio, prius forma: ergo.

2 Ad solutionem claram istius difficultatis, notandum est cum Subtili Doctore q. 36. prædicamentali, quod hæ species possunt duplicitèr considerari: vno modo physicè, & quoad suã generationem: alio modo logicè secundum quod habẽt rationem superioris, & inferioris.

3 Loquendo de istis speciebus primo modo physicè, & secundũ generationem, inquit Scot. ¶ *Ad argumenta sextæ quæstionis*, quòd sic ordinandæ sunt, vt forma sit prior, & habitus sit posterior; & hoc modo ordinavit illas Arist. 5. Metaph. & bene. Et ordinationem probat Subtilis Doctor sic. Nam illæ species dicuntur priores, quæ antecedunt alias via generationis; sed forma, seu figura antecedit alias via generationis: ergo. Minorem probat Scotus §. *Iuxta hoc quæritur*, quia inter omnia accidentia quantitas primo inhæret substantiæ: ergo illæ qualitates, quæ immediatè consequuntur quantitatem, erunt priores via generationis. Tales sunt forma, seu figura: ergo. Item secũdum Arist. 3. topic. priùs est illud, quod est à natura, quam id, quod à natura non est; sed naturalis potentia est à natura, & habitus, seu dispositio non est à natura, quia acquiruntur: ergo via generationis priùs est naturalis potentia, quam habitus.

4 Loquendo autem de istis speciebus secundo modo, idest logicè secundum rationem superioris, dicendum est, recte ab Arist. fuisse ordinatas hoc cap. inquit Scotus ¶ *Ad argumenta sextæ quæstionis*: & præter authoritatem Arist. sic probatur, quia ordine logico illa species dicitur prior, quæ aliquomodo est superior; sed habitus seu dispositio est aliquo modo superior, quam naturalis potẽtia, & hæc quam passio, atque ista, quàm forma: ergo. Minorem probat Scotus in solu-

tione

tione secundi loco citato: quia illa species qualitatis dicitur superior alia, quæ minus addit supra rationem communem qualitatis: sed secunda addit rationem naturalis potentiæ, quam non includit prima: & tertia rationem exterioris, quam non includit secunda, & quarta rationem non sensibilis primo, quam non includit tertia: ergo prima est superior, quam secunda, & secunda, quam tertia, & tertia, quam quarta.

5 Obijcies; ex hac probatione, & ordinatione sequitur, quòd istæ species sint modò cathegorico, ita, quòd vltima, seu quarta includat tertiam, secundam, & primam. Et tunc erunt vt species infima, inter media, & suprema; & tunc forma erit naturalis potentia, & habitus, & consequentèr logicè erit vna tantùm species infima, neque in hoc prædicamento erunt genera, quia genus petit plures species æquales.

6 Respondeo, quòd est duplex superioritas, & inferioritas. Vna directa, in qua inferiora includunt formaliter, & quidditativè *in quid* superiora, vt homo includit animal, corpus substantiã, &c. alia est superioritas, per modos; superioritas, & inferioritas istarum specierum, est penès modos, quorum vnus latiùs patet, quàm alter, non penès prædicata quidditativa, & directa, ita quòd vna species sit prædicatum inclusum in quid in alia. Et sic nõ sequitur, quòd sit vna species infima tantum: neque sequitur, hoc non esse prædicamentum est enim hæc coordinatio indirecta.

QVÆST. IIII.

De habitu, seu dispositione.

1 VIso de qualitate in communi, nunc videndum est specialitèr de speciebus eius per ordinem. Et in primis de habitu, seu dispositione dubitatur, in qua acceptione spectent ad primam speciem qualitatis? nam habitus, & dispositio, vt advertit Scotus, q. 36. *prædicamentali*, § *Ad secundam quæstionem* plures acceptiones habet. Cumque habitus dicatur ab habendo, tot modis dicitur habitus, quot dici solet *habere*.

2 Primò *habere* significat idẽ, quòd possidere, & *habitus* significat in hac acceptione omne id, quod possidetur, seu habetur; *sivè* sit quantitas, quod habetur, *sive* sit qualitas, *sivè* pecuniæ, *sivè* amici: & quod habetur, *sivè habitus* in hac acceptione, non pertinet determinatè ad hoc prædicamentum: & ratio est, quia in hac acceptione transcendit per omnia prædicamenta: in hac quidem acceptione accepit habitum Arist. cap. de oppositis, quando dixit oppositionem privativam esse inter habitum, & eius privationem.

3 Secundò accipitur *habitus* pro

pro habitudine significata per modum actionis, & passionis, quæ habetur inter habentem, & rem habitam: nempè pro relatione inter vestitum, & vestem. Et in hac acceptione *habitus* constituit aliud speciale prædicamentum relationis: ergo sic non pertinet ad hoc prædicamentum.

4 Tertiò *habitus* accipitur pro forma accidentali difficilimo bilis à subiecto, quæ non est exterior, sed interior, neque innatum principiũ difficulter, vel faciliter operandi; sed nata est haberi, vel per acquisitionem, vel per infusionem; vt scientia, sic sumpsit habitum Arist. 5. Metaph. cap. 2. cũ dixit *habitus est dispositio secundũ quam bene, vel male disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliud.* Et in hac acceptione est species huius prædicamenti; & ratio est, quia in hac acceptione includit in se rationem qualitatis internæ.

5 Terminus etiam *dispositio* æquivocationem habet: nam dispositio primò accipitur pro relatione inter partes quantitativas in ordine ad se: & in hac acceptione pertinet ad prædicamentum *situs*: ergo non ad prædicamentũ qualitatis absolutum. Secundò accipitur *dispositio* pro forma absoluta dispositiva subiecti; qua bene, vel male se habet, vel in ordine ad se, vel in ordine ad aliud. Sicut acceperunt eam Arist. in definitione habitus nuper relata, & Scotus q. 36. prædicamentali §. *Ad secundam quæstionem*, vers. *dispositio autem*. Et in hac acceptione est genus generalissimum huius prædicamenti: quia est id é, quod qualitas. Tertiò *dispositio* accipitur pro forma absoluta, qua subiectum, bene, vel male se habet, quæ non est exterior, sed interior, neque innatum principiũ operandi; sed acquisita: & facilè mobilis à subiecto. Et in hac acceptione est species qualitatis. Et ratio est, quia includit in se rationem qualitatis internæ.

6 Dubitatur secundo: vtrùm habitus, & dispositio differant specie? Hoc dubium, neque est leue, neque parum controversum inter Scotistas, & Thomistas. Ad cuius resolutionem, notat Caiet. hic, quòd alicui potest convenire esse facilè, vel difficile mobile dupliciter, nempè, vel ex ratione speciei, vel ex conditione individui. Illud dicitur esse difficile mobile per se, seu ex ratione speciei, quòd ex natura sua vendicat sibi causas difficile variationem compatientes, vt scientia, cuius causæ sunt lumen intellectus agentis, & possibilis, quæ aliter se habere non possunt. Similiter illud dicitur facile mobile per se, seu ex ratione speciei, quod ex natura sua sibi vendicat causas facile transmutabiles: vt sanitas, quæ causatur ex calido, & frigido, quæ propter alterationes continuas facile trãsmutatur. Illud autem dicitur esse

facile, vel difficile mobile per accidens, seu ex conditione individui, cui ex eo, quòd est in hoc subiecto sic dispositio, facile, vel difficile transmutabile est: vt scientia, quæ ex se est difficile mobilis, & in illo, in quo est inchoative, est facile mobilis: & per oppositum infirmitas, quæ ex se est facilis moveri, ex eo, quòd est sic firmiter radicata in hoc subiecto, difficile mobilis est.

7 Ex hoc tenet Caietanus, quòd habitus, & dispositio differunt essentialiter. Sic S. Thomas 1. 2. quæst. 49. art. 2. Conradus super S. Thomam loco citato. Suarez in Metaph. disp. 42. sect. 6. Montesinos 1. 2. disp. 30. num. 27. Lorca ibidem sect. 3. Cursus Carmelitanus disput. 15. quæst. 3. fundamentum est, quia habitus natura sua ex ratione speciei est difficile mobilis à subiecto per se, & dispositio natura sua, & ex ratione per se est facile mobilis à subiecto, istæ sunt proprietates diversæ: sed ex proprietatibus diversis colligitur esse diversas species: ergo habitus, & dispositio, &c.

8 Sed contra, primò, quia S. Thomas quæst. 7. de Malo, art. 2. ad 4. dicit expressè, quod habitus, & dispositio non differunt specie. Respondent Auctores citati. Quod in partibus loco citato retractavit hanc sententiam, quia partes fuerunt posteriora scripta: de quo non curo: saltem ratio D. Thomæ, qua etiam vtitur Subtilis Doctor est irrefragabilis; nam eorum, quæ essentialiter distinguuntur, vnum non potest fieri aliud, sed ex dispositione intellectuali fit habitus, & transit in habitum: ergo non differunt essentialiter.

9 Vlterius arguo sic, supponamus dispositionem in intellectu genitam ex vno actu circa vnum obiectum formale, adveniat alter actus intensior circa idē obiectū formale generans habitum. Quæro, illa dispositio præcedens, vel transit ad habitum sine corruptione sui, vel permanet in intellectu? Si trāsit sine corruptione sui, habeo intentum, quia ex vna specie non fit alia. Si permanet? ergo, ibi est superflue.

10 Præterea sicut dispositio transit in habitum ita habitus transit in dispositionem: ergo non sunt species distinctæ. Probo antecedens; nam habitus, vel corrūpitur totaliter, vel remittitur? Si corrumpitur totaliter? ergo non suscipit minus, neq; erit qualitas. Si remittitur? ergo transit in dispositionē: ergo dispositio per maiorē intensionem trāsit in habitū.

¶ Item quando est eadem causa substātialitèr, effectus sunt eiusdem speciei: sed eadem causa substantialitèr est dispositionis, & habitus, nempè idem intellectus, & idem obiectū formale: ergo. Tā dē principiū, quo probant cōclusionem est suppositum fictè, & est pro-

probandum. Eadem quidē qualitas penès maiorē, vel minorē intēsionē est difficile, vel facile mobilis à subiecto, & dicitur dispositio vel habitus. Vndè habitus nō est differentia essentialis illius qualitatis, neque dispositio, neque facilitas, neque difficultas in moveri à subiecto.

11 *Vera sententia est*, habitum internum, & dispositionē internā in eodem intellectu, vel voluntate circa idē obiectū formale eodem modo propositū, esse eiusdē speciei; nam si aliquod istarū mutetur, & mutetur actus in specie, iam erit, vel altera dispositio distincta specie, illud, quòd gignitur ex actu; vel si actus est intensus erit id, quòd gignitur ex actu, vel si actus est intēsus, erit id, quòd gignitur, habitus specie distinctus. Hanc sententiā tenet Subtilis Doctor q. 26. prædic. §. *Ad secundū*, & in 2. dist. 3. q. 10. & omnes eius discipuli. Merin. de qualit. q. 4. à n. 8. & ex Thomistis Vaz. 12. disp. 78. c. 2. Salas ibid. q. 52. disp. 5. sect. 1. Lalem. disp. 16. p. 15. n. 65

12 Probat Subtilis Doct. suā sententiam, quia facile, vel difficile mobile à subiecto, nō sunt differentiæ per se spectantes ad prædicamentū qualitatis: ergo nō possunt esse differentiæ essentiales distinguētes essentialitèr habitum à dispositione. Antecedens probat, quia pertinent etiam ad motum, qui est cōsequēs plura prædicamēta, ideo ab Arist. inter post prædicamenta numeratur. Præterea, quia facile, & difficile mobilis à subiecto etiā cōvenit passioni, & passibili qualitati; sed differentiæ conveniētes pluribus speciebus, non sunt essentiales: ergo.

13 *Dico ergo*, quòd habitus, & dispositio, non differunt specie, sed tantùm penès maiorem intensionē. quòd declaro secūdū illud, quòd omnes concedunt, nempè, quòd qualitas suscipit magis, & minus; nā quādo est parū intensa, est facile mobilis à subiecto, & quādo est intensa, & fortis, est difficile mobilis à subiecto. Et sicùt gradus intensionis accedunt essentiæ qualitatis, sic difficultas, vel facilitas moveri à subiecto, accidit qualitati in sua essentia. Et sic istæ differentiæ accedunt cuilibet speciei. Et sic non possunt esse differentiæ essentiales: ergo. Secundò probatur, quia habitus fit ex dispositione, & ex dispositione fit habitus, & vna species non fit essentialiter ex alia.

14 Dices, quòd iste terminus *habitus* impositus est ad significādū vnā speciē qualitatis, & iste terminus *dispositio* ad significādū aliā: ergo differūt specie. ¶ Resp. quòd prima species qualitatis nō habet nomē proprium. Ille termin. *habitus* impositus est ad significādū qualitatē internā, non inditam à natura, nō vtcūq; sed quādo est in intēsione, & difficultate in moveri à subiecto, quæ difficultas est effectus intensionis, & sic *habitus*

eſt nomẽ accidẽtale, quia ſignificat qualitatẽ materialitèr, & intẽſionẽ formaliter: ſimiliter nomen *diſpoſitio* ſignificat per ſe paucam intenſionẽ, & materialiter qualitatẽ internã nõ indiram à natura.

15 Dices, habitus, non poteſt intelligi ſine difficultate in moveri, neq; diſpoſitio poteſt intelligi ſine facilitate in moveri à ſubiecto: ergo difficultas eſt de eſſentia habitus, & facilitas de eſſentia diſpoſitionis. Reſpõdeo, quòd ſicut in albo eſt ſubiectũ denominatũ, & forma denominans: & tamẽ albũ cõcretive, non poteſt intelligi ſine albedine, & tamen albedo nõ eſt de eſſentia denominatè, ſed potius accidens: ita habitus eſt cõcretũ ex prima ſpecie qualitatis, & gradibus intẽſionis illi accidẽtalib⁹, & quãvis habitus cõcretiue non poſſit intelligi ſine intẽſione, & difficultate in moveri à ſubiecto: tamen neque intenſio, neq, illa difficultas ſunt de eſſentia illius qualitatis, quæ denominatur habitus, quia ſine contradictione poteſt eſſe illa ſpecies ſine illa intẽſione, & ſine illa difficultate. Similiter dicẽdũ eſt de diſpoſitione.

16 Obijcies, difficultas in moveri convenit habitui, ſoli, & ſemper: & facilitas diſpoſitioni omni, ſoli, & ſemper. Iſtæ ſunt diverſæ proprietates; ergo habitus, & diſpoſitio differunt ſpecie. ¶ Reſp. quod ſicut albo convenit ſoli, & ſemper diſgregare viſum: & tamẽ diſgregare viſum, non eſt proprietas illius, quod denominatur albũ, ſed ſolũ albi, vt albi: ita difficultas in moveri à ſubiecto nõ eſt proprietas illius, quòd denominatur habitus: ſed ſolùm cõpetit habitui, vt habitus eſt, quod eſt accidentale qualitati, quæ dicitur habitus. Vnde habes, quòd diviſio primæ ſpeciei qualitatis in habitũ, & diſpoſitionẽ eſt ad modũ ſubiecti in accidentia. ¶ Ad argumẽtũ oppoſitæ ſententiæ iã dictũ eſt, quod deficit illi probare, difficultatẽ, & facilitatẽ in moveri à ſubiecto, eſſè differentias eſſentiales, vel proprietates in quarto modo.

QVÆST. VI.

De naturali potẽtia, & impotẽtia.

1 PRimo dubitatur, in qua acceptione naturalis potẽtia, & impotentia pertineant adhoc prædicamentũ? Et ratio dubitandi eſt, quia triplicitèr accipiũntur. Primo accipitur naturalis potentia pro naturali, & intrinſeca non repugnãtia in extremis, vt coniungantur, & dicitur logica, quia ad logicum ſpectat componere, & dividere extrema. In hac acceptione naturalis potẽtia, non pertinet ad prædicamentum qualitatis determinatè, neq; cõſtituit tertiã ſpeciem qualitatis. Primò, quia eſt tranſcendens, eò quòd convenit omnibus prædicatis cuiuſvis naturæ: Secundò: quia non eſt aliquid poſitivum.

2 Secundò accipitur pro naturali virtute intrinſeca agendi, vel pa-

patiendi. Et in hac acceptione dico contra Thomistas, quod nō pertinet ad tertiam speciem qualitatis, quia est transcendens, eo quòd substantia naturalem potētiam intrinsecam habet agendi, & generandi, vt ostendam in physica, & potentiæ animæ sunt substantiæ secundum Scotum in 2. d. 16. q. *vnica*, & habent potentiam naturalem intrinsecam producēdi. Item passibilis qualitas habet potentiam naturalem intrinsecā producendi: sed quod est transcēdens, non est vna species determinata: ergo.

3 Tertiò, naturalis potentia accipitur, non pro ipsa virtute intrinseca agendi, sed pro accidēte extrinseco naturę, dans illi virtutem ad agendum cum agilitate. Et in hac acceptione pertinet ad tertiam speciem qualitatis; teste subtili Doctore 2. dist. 16. q. vnica. Hoc probat Arist. exemplis de pugilatoribus, & cursoribus, qui sic denominantur, non quia habēt virtutem intrinsecam ad pugnandum, & currēdum, sed quia habent potentias expeditas ad illas actiones. Hæc expeditio est vltra virtutem intrinsecam naturæ, quia illi est ab authore naturæ superaddita, neque est relatio, neque quantitas, neque habitus, quia iste acquiritur, & ista expeditio est à natura: ergo ista est tertiæ speciei qualitatis.

4 Obijcies primò, si ex nos naturalis potētia est interior, expeditio ad cursum est exterior. Sed non apparet, quomodo sit interior: ergo. ¶ Præterea, si expeditio ad currendū est naturalis potentia: ergo male dividimus qualitatem internam in habitum, & naturalem potentiam. Respōdeo, quod Arist. non dixit, quod expeditio ad currendum est naturalis potentia: sed per expeditionem ad currendum probavit per similitudinem, & analogiam esse naturalem potentiam internam in animam ad intelligendum, & volendum. Expeditio ad currendum non est naturalis potentia, quia non est positiva; sed remotio impedimenti, & ita analogicè se habet ad naturalem potentiam, quare divisio qualitatis internæ bona est.

5 Obijcies secundò, habitus dat expeditionem, facilitatē, & promptitudinem; sed hoc idem præstat naturalis potentia: ergo non sunt distinctę species qualitatis internæ. Respondeo, quòd ex effectu communi non sequitur veritas causarum; nam sol calefacit, & calor calefacit, & non sequitur, quod sol, & calor sint eiusdem speciei. Distinguuntur habitus, & naturalis potentia, quia naturalis potentia petit esse à natura, & habitus petit non dari à natura; sed acquiri, vt per artem, & studium acquiramus facilitatem discurrendi, quam naturam nobis omnibus non dedit.

6 *Dubitatur secundò*, quo pacto

passo differant naturalis potentia, & impotentia? Quidam dicunt, quòd specie, quia naturalis potentia, & impotentia videntur significare oppositas species qualitatis. Cui adde, quòd naturali potentiæ competit dare expeditionem: & naturali impotentiæ, difficultatem ad operandum: hæ sunt proprietates diversæ: ergo differunt specie; sicut arguebant Thomistæ de habitu, & dispositione.

7 *Vera sententia est*, non differre essentialiter, sed solùm accidentaliter, penès magis, & minus. Ita Scot. q. 36. prædicamentali §. *Ad aliam quæstionem.* Suarez disp. 42. sect. 4. num. 13. Merinero de qualitate q. 4. sect. 7. num. 24. & communiter recentiores, Lalemandet disp. 16. par. 15. sub num. 65. §. *Resolutio secunda.* Et ratio est, quia *impotentia* non accipitur hic pro obice ad agendū, sed pro non tanta virtute ad agendum, ita quod naturalis potentia, & impotentia non differunt, nisi vt magis, & minus in eadem linea, sicut habitus, & dispositio; sed magis, & minus non variant speciem: ergo.

8 Ad argumenta, ad primū nego, quod naturalis impotentia hic accipiatur formaliter pro positivo opposito naturali potentiæ; sed pro minori virtute activa indita à natura. Ad secundum dico, quod naturali potentiæ competunt semper v. g. quatuor gradus intensionis & naturali impotentiæ cōperunt semper duo gradus v. g. sed duo gradus, & quatuor gradus non sunt proprietates diversæ illius qualitatis, quia sunt illi accidentales.

QVÆST. VII.

De passione, & passibili qualitate.

1 *Hic primo dubitatur*, in qua acceptione pertineant ad tertiam speciem qualitatis. Et ratio dubitandi est, quia nomen *passio* multipliciter accipitur, vt ex Arist. 5. Metaph. cap. 21. colligit Scotus q. 36. prædicamentali §. *Ad quæstionem.* Primo accipitur *passio* pro quacumque proprietate consequente essentiā: vt risibilitas dicitur passio hominis. Et in hac acceptione nō pertinet, neque est qualitatis tertia species. Et ratio est, quia vt sic transcendit per omnia prædicamenta.

2 Secundò accipitur pro relatione extrinsecus adveniente, quæ ex receptione alicuius formæ resultat inter recipientem, & producentem talem formam, quę relatio tripliciter est, eo quòd forma est tripliciter, nam alia est receptio formę sine adiectione contrariæ: in quo sensu intellectus dicitur patiens in receptione speciei intelligibilis. Alia acceptio formæ est cum adiectione contrariæ, & sic forma recepta est conve-

niens

miens subiecto, & adiecta disconvenies, dicitur passio perfectiva; si verò contingat è contrario, dicitur passio corruptiua. ¶ Et in hac acceptione *passio* non pertinet ad tertiam speciem qualitatis, quia nulla relatio prædicamentalis pertinet per se ad prędicamentum qualitatis: sed passio in hac acceptione est relatio prædicamentalis: ergo.

3 Tertiò accipitur *passio* pro passionibus animæ, vt sunt amor, & gaudium, spes, timor, ira, audatia, dolor, delectatio, &c. dicuntur passiones, quia causantur in anima cum aliqua passione, & alteratione corporali. Videatur Scotus in 3. dist. 15. §. *Potest dici*, & in 4. dist. 49. q. 7. & in hac acceptione *passio*, non pertinet ad tertiam speciem qualitatis, quia in tertia specie qualitatis secundũ Arist. in hoc cap. & Scotũ q. 36. prædicamentali, solùm ponuntur qualitates primo sensibiles. Sed isti actus animæ, seu passiones nõ sunt primo sensibiles: ergo. Maior patet ex Arist. definiente istã speciem dicendo: *Esse qualitates facilè, vel difficilè mobiles à subiecto afficientes sensum*: ergo sunt sensibiles.

4 Quartò accipitur *passio*, pro qualitate externa primo sensibili, quæ vel nata est causare aliquam passionem in sensu, vel ex aliqua passione causari, quæ si cito transit, dicitur *passio*, si verò multum durat, dicitur *passibilis qualitas*. Et in hac acceptione est tertia species qualitatis, quia est qualitas, & non est habitus, neque naturalis potentia, neque forma, seu figura: ergo est tertia.

5 *Dubitatur secundò*, quæ sit ratiò, per quam ista species distinguitur à reliquis? Quidam dicunt: hanc differentiam consistere in hoc, quod est esse qualitatem causatam per aliquam passionẽ, vel corruptivam, vel perfectivã. Ita videtur sentire D. Thomam 1.2.q.49. art.2. dum dicit: qualitates huius tertiæ speciei constitui in esse tales; quia sunt per se termini alicuius actionis perfectivæ, aut corruptivæ. Et expresse hoc defendit Rubius q.4. dub. 4. Et probat primò ex Aristot. hoc cap. dicente; obiecta visus, vt sunt colores, non esse passibiles qualitates, quia causent passionẽ in sensu, vt causant obiecta gustus, & tactus: sed quia per passionem sunt factæ. ¶ Secundò probat, quia cum obiecta visus non causent passionem in sensu, excludendæ essent huiusmodi qualitates ab hac specie, si aliàs solùm constituerentur in illa qualitates, per hoc quod est, esse natura sua causativas passionum in sensibus, & non per hoc, quod est, esse causatas per passionem.

6 *Subtilis Doctor q.36. prædicamentali §. Ad omnes istas quæstiones*, tenet differentiam, per quam constituuntur qualitates huius tertiæ speciei, & per quam distin-

diſtinguuntur à reliquis ſpeciebus eſſe, cauſativas eſſe paſsionem in ſenſu. Sic Scotiſtæ. Et probatur ex Ariſt. hoc cap. dicente: *qualitates paſsivæ dicuntur, non idcò, quod eæ, quæ ſuſceperunt paſſa aliud ſunt, &c. Sed quia quælibet qualitas dicta paſsionis in ſenſibus eſt efficax.* Vbi negat differentiã, qua qualitates ſunt tertiæ ſpeciei, eſſe, quia cauſantur per paſsionem: & affirmat eſſe, quia efficaces ſunt ad cauſandam paſsionem in ſenſibus.

7 Secundò probatur ab inconvenienti, quia ſequeretur, ex oppoſita ſententia, quod operationes immanentes, vt ſunt intellectio, & volitio, eſſent qualitates huius tertiæ ſpeciei. Probatur, quia ſunt termini actionis perfectivæ. Hæc ſequela non ſolùm eſt contra Scotum ſubtilem; ſed etiã contra S. Thomam 3. p. q. 63. artic. 2. *Ad ſecundum* dicentem: *in tertia ſpecie qualitatis non ſunt, niſi ſenſibiles paſsiones, & ſenſibiles qualitates.*

8 Tertiò, ratione Scoti. Nã ex Ariſt. hoc capite, ſecundùm qualitates huius tertiæ ſpeciei poteſt fieri alteratio ſenſibilis; ſed ſecundùm operationes immanentes non poteſt fieri alteratio: ergo operationes immanentes non pertinent ad hanc ſpeciem. Probatur minor, quia anima eſt incapax alterationis, ſed operationes immanentes petunt eſſe in anima: ergo non poſſunt alterare.

9 Ad authoritatem Ariſtot. adductam à Rubio. Reſpõd. Ariſt. prædictis verbis non aſsignaſe rationem conſtitutivam huius tertiæ ſpeciei; ſed tantùm cauſam, ob quam impoſitum eſt nomẽ iſtis qualitatibus. Et quod hoc ſit verum, conſtat primò, quia eſſet cõtrarius verbis adductis pro noſtra ſententia. Secundò, quia iam aſsignaſſet aliud conſtitutivum pro qualitatibus quæ ſunt obiecta tactus, & guſtus, & aliud pro qualitatibus, quæ ſunt obiecta viſus. Et tunc obiecta viſus, & tactus differrent ſpecie ſecundum rationem qualitatis.

10 Ad rationem reſpond. quod obiecta viſus, licet non cauſent paſsionem phyſicã in ſenſu, cauſant paſsionem intentionalẽ, quæ paſsio ſufficiens eſt. Et quia paſsio intentionalis non eſt ita rigoroſa ſicut phyſica, ideò nõ ſummunt nomen ex paſsione, quã cauſant, ſed ex paſsione phyſica, per quam cauſantur.

11 *Dubitatur tertiò*, quo pacto paſsio, & paſsibilis qualitas differant inter ſe? Reſpondetur cum ſubtili Doctore q. 36. prædicamentali, quòd ſolùm differunt accidentaliter, eſtque communis ſententia. Et ratio eſt, quia durare parùm, & durare multum ſunt accidentia reſpectu qualitatis: ſed paſsio, & paſsibilis qualitas ſolùm differunt per hoc, quod paſsio durat parum, vt rubor ex verecundia, & paſsibilis qualitas

tas durat inultùm, vt rubor causatus ex bono temperamento: ergo solùm differunt accidentaliter.

12 Sed illi authores, qui tenebant, habitum, & dispositionem differre specie; quia habitus petit difficile moveri à subiecto, & dispositio est facilé mobilis à subiecto: vt consequéter procederent, debent dicere; quòd etiam passio, & passibilis qualitas differunt specie, passio facilis est moveri, & passibilis qualitas est difficilis. ¶ Sed dicendum est eodē modo, quod ista species est innominata, & quòd durare parùm, vel multùm, non variant speciem, homo enim durans vno anno, & alter durans viginti, non sunt diversæ speciei: quia est differentia temporis, & in tantùm durant, in quantùm causæ qualitatum harum durant. A passionibus non denominantur quales; quia citò transeūt, & formæ; quibus sumitur denominatio, durabiles debent esse.

QVÆST. VIII.

De forma, & figura.

1 PRimo dubitatur, in qua acceptione sint species quartæ qualitatis? Et ratio dubitandi est, quia multipliciter accipiuntur. Primò accipitur *forma*, pro forma substantiali, nempè pro anima. Et in hac acceptione non est species qualitatis, quia est substantia. Secundò accipitur pro forma accidentali quacumque, & dicuntur formæ, quia sunt actus; & in hac acceptione, forma non est quarta species qualitatis, quia sic est transcendens omnia prædicamenta.

2 Tertiò accipitur *forma* pro exteriori delineatione decenti rei animatæ; in quo sensu accepit illam Porphyrius cap. de specie cum dixit: *Species vno modo sumitur pro forma vniuscuiusque*, & Psalmo 44. dicitur de Christo Domino; *speciosus forma præ filijs hominum*, & in hac acceptione est quarta species qualitatis, quia est qualitas externa, in quo differt ab habitu, & dispositione. Et est sensibilis non primò, in quo differt à tertia specie.

3 Sed contrà, quia forma, vel est delineatio decens terminata quātitate, vel dispositio partium terminata quantitate, vel ipsa quantitas sic, & sic disposita: sed delineatio in se est quantitas: & dispositio partium formaliter sumpta est relatio, quantitas disposita est quantitas. Ergo non est quarta species qualitatis. Præterea, quia Scotus 4. dist. 12. q. 3. inquit: *Figuram vltrà quantitatem non dicere nisi relationem partium ad se invicem, vel terminorum claudentium partes.* Et in 1. dist. 17. quæst. 3. litt. O. §. *Quātum* num. 2. dicit: *Quod pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed est ag-*

gregatio omnium conuenientium tali corpori, puta, magnitudinis, figuræ, & coloris, & aggregatio respectuum, qui sunt istorum ad corpus. Sed pulchritudo est forma: ergo forma non est qualitas absoluta.

4 Respondeo, quòd forma, & figura non consistunt formaliter in delineatione terminata quantitate; sed solùm præsuppositivè. Et posita delineatione in quantitate extensa resultat forma, vel figura: vt patet in arte Pictorum, nam posita delineatione statim consurgit figura, & ablata delineatione deficit.

5 Ad primam authoritatem Scoti respondeo, quod loquitur præsuppositivè, non formaliter, & figura formaliter, nil præsupponit nisi relationem inter partes, & delineationem terminatam quantitate. Ad secundam dico, quod loquitur, non de forma, sed de pulchritudine, vt constat ex textu, pulchritudo consistit in illa aggregatione, forma autem potest dari sine pulchritudine, ex defectu alicuius ex partibus requisitis. Nam teste Dionisio de divinis nominibus cap. 4. *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Et Augustin. 8. de Trinitate capit. 3. vel 8. inquit: *Bona facies hominis dimensa periliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata.* Ex his aggregatur pulchritudo.

6 *Loquendo de figura*, dico, quòd etiam accipitur multipliciter. Primò accipitur, pro imagine, seu signo alicuius. Et in hoc sensu dicitur illud primæ Corint. 10. *omnia in figura contingebant.* Et in hac acceptione non est species qualitatis, quia hæc figura formaliter est relatio. Secundò accipitur, pro superficie inclusa, & terminata lineis, neque in hac acceptione est species qualitatis, quia quantitas terminata lineis non est qualitas. Tertiò accipitur pro eo, quòd resultat ex quantitate lineis terminata. Et in hac acceptione pertinet ad quartam speciem qualitatis, quia formaliter sumpta non est quantitas, neque relatio, & est sensibilis, non primo, sed secundo: ergo est quarta species qualitatis.

7 *Dubitatur secundò*, an forma, & figura differant essentialiter, vel accidentaliter? Et respondetur, quòd non differunt essentialiter, sed accidentaliter, quia solùm differunt in hoc, quòd forma physicè dicit connotationem ad subiectum sensibile. Figura autem mathematicè dicit eandem rem præcisam, & abstractam ab accidentibus, & subiecto sensibilibus; quæ differentia est extrinseca, & materialis: ergo sunt eiusdem speciei.

Coordinatio huius prædicamenti.

1 QValitas, vt sic est genus generalissimum, dividitur

a internam, & externam. Interna dividitur in habitum, & naturalem potentiam. Vlterius habitus dividitur in per se infussum, & per se acquisitum, & ista membra in alia. Qualitas exterior dividitur in passionem, & formam, passio dividitur in multas passiones. Et figura in multas figuras, ex quibus patet, quod illæ quatuor species non sunt infimæ.

LIBER SEPTIMVS.

De Sex vltimis prædicamentis.

CAP. *Præambulum ad sex vltima prædicamenta.*

QVÆST. I.

Vtrùm sex vltima prædicamenta sint formaliter relationes?

1 THomistę communiter tenent, quod non, ita Caiet. super prædicamenta, Soncinus 5. Metaph. q. 38. & 39. Iabellus q. vltima, Fonseca capit. 15. q. 7. Suarez disp. 48. sect. 1. Cursus Carmel. disp. 16. q. 1. Probãt primo, quia ad relationem non datur per se motus. Ex Aristot. 5. Metaphysicorum; sed ad *vbi* datur per se motus teste eodem Philos. 5. Metaph. cap. 9. ergo *vbi* nõ est relatio.

2 Secundò, quia si sex prædicamenta vltima dicunt de formali relationem: ergo non distinguuntur à prædicamento ad *aliquid*. Consequens est falsum, & contra Scotum: ergo pro formali non dicunt relationem. Probatur antecedens, quia sicut essentia prędicamenti *ad aliquid* est esse ad aliud; ita essentia istorum prædicament ru esset esse *ad aliud*: ergo non distinguerentur, &c.

3 Tertiò, propria ratio relationis est esse *ad*, sed sex vltima prædicamenta formaliter sumpta non sunt *ad*, sed esse *in*: ergo formaliter sumpta non sunt relationes. Minorem probant inductione, nam *vbi* idem est, ac esse in loco, *quando* in tempore, & sic de reliquis.

4 Sed si ab eis inquiras, quid dicunt pro formali sex vltima prędicamenta? Respondent, non dicere pro formali entitatem absolutam præcisè, neque relationem præcisè; sed dicere pro formali quendam modum absolutum in-

cludentem intrinsecè respectum transcendentalem. Et probatur: quia actio ex Arist. 3. Physicorū est motus, vt procedens ab agente, & passio idem motus, vt receptus in passo: sed motus prout receptus in passo, & prout procedit ab agente, præter respectum ad agens, & patiens, dicit entitatem absolutam, nempè ipsam formam in via: ergo saltem de his duobus prædicamentis dicendum est, cōsistere in modo absoluto, & respectu transcendentali.

5 *Dico primò*, sex vltima prædicamenta formaliter sumpta non consistunt in absoluto, & relativo in re, sic Scotus 4. dist. 13. q. 1. lit. D. nam vel illa relatio, quam includunt, est tantùm secundum dici, hoc est tantùm secundum nomen, vel secundùm esse? non primum, quia relatio secundùm dici est denominatio extrinseca, & nulla denominatio extrinseca includitur in reali absoluto, neque potest esse relatio secundùm esse, quia nullum absolutum includit formaliter quidditativè relationem, quia tunc absolutum esset quidditativè compositum ex relatione, & alia ratione absoluta. Et vlterius sequeretur simpliciter, quòd esset absolutum, & nō esset absolutum. Restat ergo, quòd relatio secundùm esse sit extra esse absoluti, vt relatio creaturæ ad creatorem.

6 Et specialiter de actione, probatur, quia sex vltima prædicamenta consistunt formaliter in quodā accidente intrinsecè denominante subiectū. Sed actio nō potest denominare intrinsecè subiectum, quod dicitur agens, si consistat in motu includente relationem ad agens: ergo prædicamentum actionis formaliter non consistit in forma absoluta includēte relationem. Minorem probo, quia illa relatio est idem cum motu, vel fluxu formæ, & forma producta est in passo: ergo non est in agente: ergo non potest denominare intrinsecè agens.

7 *Dico secundò*, sex vltima prædicamēta formaliter sumpta cōsistunt in relatione. Probo, quia sunt accidentia, non absoluta purè, quia non possunt concipi sine ordine vnius ad aliud, neque sunt absoluta, & relativa simul, ita quòd relatio includatur in absoluto, vt patet ex conclusione antecedente: ergo sunt relationes formales illa prædicamenta formaliter sumpta.

8 *Dico tertiò*, hi respectus, in quibus formaliter consistunt illa sex prædicamenta, distinguuntur genere supremo, tàm inter se, quàm à respectu tertij prædicamenti. Sic Doctor subtilis in 4. distinct. 13. quæst. 1. lit. B. Probat, quia ex oppositā sententia nō possumus salvare famosam illam divisionem entis indecem prædicamenta, quam tradidit Arist. quem sequuti sunt omnes philosophi.

9 Ad argumentum primum respondet Subtilis Doctor in 3. dist. 1. q. 1. §. *Aliud*. Quòd illud dictum Arist. *Ad relationem, non est per se motus*. Intelligitur de relationibus intrinsecè advenientibus, de quibus loquebatur, nó de relationibus extrinsecè advenientibus, vt sunt illę, in quibus consistunt sex vltima prædicamẽta, vt patebit: quæst. sequenti.

10 Ad secundum, nego sequelam, ad probationem dico, solùm probare, quòd conveniunt cum prædicamento ad aliquid in ratione relationis, quòd concedo; sed non probat, non habere differentias, per quas distinguãtur, habent illas, vt dicetur, quæst. sequenti. ¶ Ad tertiam nego minorem. Ad probationem nego, *vbi* esse tãtum in alio, nam est formaliter ad aliud, quia est dispositio partium in ordine ad locum concavum, teste etiam D. Thoma.

11 Ad aliud, quòd adducunt adversarij ex 2. Physicorum de actione, & passione in motu: dico Arist. non sumpsisse actionem, & passionem pro formis constituentibus quintum, & sextum prædicamentum; sed sumpsisse actionem, & passionem pro re acta inferi, in qua consideratione materiali pertinent ad prædicamentum formæ productæ; quia actio, & passio materialiter sumptæ pertinent ad prædicamentum formæ productæ,

QVÆST. II.

Vtrùm istæ relationes sint intrinsecus, vel extrinsecus advenientes?

1 VIsso iam, quòd sex vltima prædicamenta formaliter sumpta, sunt relationes; nunc quæro, an sint intrinsecè, vel extrinsecè advenientes? Intelligo cum Doctore Subtili: illas relationes esse intrinsecus advenientes, quæ positis fundamẽto, & termino statim consurgunt ex intrinsecis visceribus fundamenti, & termini, alio quocumq; præciso: & illas esse relationes extrinsecus advenientes, quę posito fundamento, & termino, non statim consurgunt ex visceribus intrinsecis eorum, sed indigent causa extrinseca, hoc est efficiente causante illas.

2 Thomistæ tenent nullas esse relationes prædicamentales extrinsecè advenientes. Videantur illi citati, quæst. antecedenti n. 1. Et probant primò, quia Arist. non nominavit tales relationes, neq; divisit relationem in intrinsecus, & extrinsecus advenientes: ergo tales relationes sunt fictæ.

3 Secundò, quia vel loquitur Scotus de fundamento, & termino proximo, vel remoto? Si de remoto: ergo omnes relationes sunt extrinsecus advenientes. Patet consequentia, quia nulla relatio

sta-

statim resultat ex fundamento, & termino remotis, deficientibus proximis. Si loquitur de fundamento, & termino proximo: ergo omnes relationes sunt intrinsecùs advenientes. Patet, quia nulla est relatio, quæ statim non resultet posito fundamento, & termino proximo.

4 Quod confirmant aliquibus exemplis, & comparationibus relationum extrinsecè advenientiũ ad relationes intrinsicè advenientes. Nam sicùt posito agente, & pariete, quæ sunt fundamentum, & terminus remota actionis, quæ est relatio extrinsecus adveniens, non resultat necessario relatio actionis: sed si inter agens, & passum ponatur debita approximatio, quæ est fundamentum proximum, tunc resultat: ita similiter positis duobus parietibus, qui sunt fundamentum, & terminus remota relationis similitudinis, quæ est intrinsecus adveniens, nõ resultat inter ipsa statim similitudo: bene tamen si ponatur in eis vnitas in albedine, quæ est fundamentum proximum.

5 Tertiò; quia vnio secundum Scotum 3. dist. 1. q. 1. est relatio extrinsecus adveniens. Similiter inhærentia actualis accidentis ad subiectum: sed hæ relationes non colocantur in aliquo ex sex vltimis prædicamentis: ergo falsum est dictum Scoti, omnes relationes extrinsecus advenientes pertinere ad sex illa vltima prædicamenta.

6 *Vera sententia est*, quam tenet Subtilis Doctor in 4. dist. 13. q. 1. lit. B nempè relationes sex vltimorum prædicamẽtorum esse extrinsecus advenientes. Idem docuerat dist. 12. q. 1. litt. N. & distinct. 6. q. 10. lit. B. & in 3. dist. 1. q. 1. & quolib. 11. Lalemandet de ente, disp. 13. part. 1. num. 2.

7 *Et in primis dico* quòd sunt aliquæ relationes, quæ positis fundamento, & termino proximis nõ statim consurgunt, & indigent aliquo extrinseco fundamento, & termino, vt resultent, in quo stat difficultas prima: & hæ relationes dicuntur extrinsicè advenientes. Probo, quia in furno Babylonico erat ignis, & parvuli, & approximatio. Et non resultavit relatio agẽtis in igne, neque passionis in parvulis, non alia de causa, nisi quia defecit causatio ignis: ergo præter fundamentum, & terminum requiritur aliud, vt istæ relationes resultent, quod non contingit, neque requiritur in relationibus similitudinis, quia positis fundamento, & termino, omni alio præciso, consurgunt.

8 Dices, quòd causatio formæ transmutativæ, & approximatio sunt proximum fundamentum. Sed contrà, quia fundamentum proximum, vel ratio fundandi, debet esse in fundamẽto intrinsecè, sed approximatio, & causalitas nõ sunt in agente, vt in quo, sed in passo, quia causalitas est idẽ realiter cũ forma producta: ergo appro-

approximatio, & motus non sunt fundamentum proximum relationis actionis.

9 *Dico secundò*: omnes relationes sex prædicamentorum vltimorum sunt extrinsecè advenientes. Et ratio est, quia nulla illarum consurgit ex fundamẽto, & termino proximis, sed vlterius requiritur aliquis motus à causa extrinseca, qui motus non est fundamentum proximum, quia motus non est in movente, vt movens est. At relationes intrinsecus advenientes præciso omni motu, & quocumque alio, solùm ex fundamento, & termino statim consurgunt ab intrinseco fundamenti: ergo.

10 Ad illud, quòd Arist. non nominavit relationes extrinsecus advenientes. Respond. esse argumentum ab auctoritate negativa. Secundò: quòd Aristot. cap. de qualit. dixit, quòd quando invenitur aliqua species innominata, fingendum est nomen.

11 Ad secundum respondeo, quòd Scotus loquitur de fundamento, & termino proximis. Et quando inferunt, ergo omnes relationes sunt intrinsecus advenientes. Nego consequentiã: quia in agente virtus agendi est fundamentum proximum, & in passo, capacitas patiendi sunt fundamẽtum, & terminus proximè, & tamen non resultat relatio actionis, nisi ponatur motus, qui nõ est ratio fundandi, eoquòd non est in fundamento, hoc est, in agente.

12 Exempla illa, non sunt ad propositum, quia in ipsis falsò assumitur, quòd posito agente, & passo in debita approximatione necessario resultat relatio, secluso quocumque alio, sicut in relationibus tertij generis, quia vt dictum est, præter fundamentum, & terminum, requiritur aliquis motus, qui non pertinet ad fundamentum proximum.

13 Si dicas, illum motum esse conditionem simpliciter requisitam, vt resiliant illæ relationes. Et ego ex hoc dico primo, quòd ille motus non est ratio fundandi proxima. Secundò: ex hoc probatur esse relationes extrinsecus advenientes, quia petunt aliquam conditionem simpliciter, quæ proveniat ab extrinseco, quam non petunt relationes tertij generis.

14 Præterea, malè æquiparantur duo parietes respectu relationis similitudinis: & agens, & passum respectu relationis actionis, & passionis: quia duo parietes sunt extrema remota respectu relationis similitudinis: at agens, & passum sunt proxima extrema.

15 Ad tertiam concedo maiorem, & nego minorem. Nam cũ duo extrema sint formaliter vnita per relationem vnionis, relatio vnionis pertinebit ad prædicamentum actionis, si fuerit transmutantis ad trasmutatum. Si autem fueris transmutati ad transmutans,

mutans, pertinebit ad prædicamentum passionis. Idemque docuit Scotus in 4. dist. 12. quæst. 1. litt. E. de relatione actualis inhærentiæ: quia inhærentia actualis est transmutatio subiecti per accidentia.

CAP. I.

De actione.

1 Gilbertus Porretanus dicitur Author prædicamentorum, quia primus de illis fusiùs disputavit. Definivitque actionem sic: *Actio est, secundum quam, in id, quod subijcitur agere dicimur.*

2 De hac definitione dubitatur an sit bona? Quidam recentiores dicunt quòd non; primò, quia creatio est actio; sed creationi nil subijcitur: ergo non competit omni actioni. Minor patet, quia creatio est productio ex nullo præsuppositò subiecto: ergo creatio non habet aliquod, quòd subijciatur. Secundò, quia secundùm Commentatorem 4. Physic. cap. 84. nullus respectus est principium agendi: sed per nos actio est respectus: ergo non est principium agendi: ergo male ponitur in definitione actionis. Ly *secundùm quam agere dicimur.* ¶ Etsi ab his auctoribus quæras, quæ definitio actionis est bona? Respondent, quòd ista: *Actio est via, qua media effectus recipit esse, vel conservationem ab agente.*

3 Quando in termino confuse significante est æquivocatio, nó potest dari bona definitio, neque iudicari, an sit bona, vel mala, nisi prius sciatur, in qua acceptione accipitur. Quia æquivoca prius sunt dividenda, quam definienda.

4 Est quidem nomen *actio* æquivocum, secundum Subtilem, Doct. in 4. dist. 13. q. 1. § *Ex dictis patet.* num. 12. sic dicentem ex dictis patet æquivocatio multiplex huius nominis *actio*, vno enim modo dicitur de operatione, prout intellectio, & volitio dicitur operatio, & tamen in rei veritate est qualitas, vt declaratum est lib. 1. dist. 3. quæst. vlt. ergo ex hac acceptione non pertinet ad hoc prædicamentum. Alio modo *actio* dicit per se habitudinem, vel respectum producentis ad productum, sicùt Pater dicitur causa agens filij. Et hoc modo pertinet ad tertium prædicamentum. Quandoque accipitur pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum: vt calidum dicitur causa agens caloris in ligno. Aliquando etiam accipitur hoc nomen *actio* pro re acta, includendo tamen istum respectũ, quem exprimit hoc, quòd est ab alio, sicut in 3. Physicorũ. Et in hac acceptione non pertinet ad hoc prædicamentum: quia actio in hac acceptione pertinet

ad

ad prædicamentum rei actæ. Aliquando accipitur pro relatione transmutantis ad transmutatum, iuxta illam descriptionem lib. 6. princip. *Actio est secundùm quam in illud, quod subijcitur, agere dicimur.* Et in hac acceptione dico, quòd est obiectum, quod per se hac definitione definitur.

5 Vlterius sciendum, quòd est definitio physica, & logica, vt pluries ex Summulis notavi: nunc dico: quòd physicè est satis sufficiens definitio, quia æquivalet huic, *actio est forma, qua agere dicimur in illud, quòd subijcitur. Forma* ponitur loco generis, reliqua pro differẽtia: sicut definitur physicè anima per hoc, *quòd est act⁹ corporis physici, & organici:* à Philos.

6 Logicè autem meliùs potest definiri, dicendo, *quòd est relatio extrinsecus adveniens ad transmutabile, nata denominare, & referre agens.* In qua, *relatio extrinsecus adveniens*, est *in quid* respectu istius, & aliorum prædicamẽtorum quinque: *Et per habitudinem ad transmutatum, & exigentiam ad denominandum agens, & referre illud ad transmutatum*, differt à reliquis quinque. Nam fundamentum istius relationis est agens in quantum principiũ transmutandi, & terminus est transmutatum in quantum transmutatum. At, in alijs relationibus, quæ actiones dicuntur, fundamentum est agens in quantum principium producendi, educendi, vel inducendi est: Et terminus est forma, in quantum producta, vel inducta, vel educta est.

7 Ad primum argumentum respondeo, quòd creatio non est relatio realis denominãs agens, sed quidrationis. Quid mirum, quòd non pertineat ad hoc prædicamẽtum. Ad secundum dico, quod ly *secundum quam agere dicimur*, nõ significat virtutem agendi, sed tantùm denominandi: ideo facit istum sensum, *secundum quam denominamur agentes.*

8 Ex acceptione actionis, vt est de hoc prædicamento, cõstat, quàm prava sit definitio aduersariorum. Primo, quia non competit definito, ideſt relationi isti extrinsecus advenienti. Secundò, quia datur per *viam*, quæ est ens incõpletum, & nullum genus supremum est incompletum.

9 *Dubitatur secundò*: quomodo *actio* dividenda est? Moderni quidam dividunt actionem in eam, quæ præsupponit subiectum, vt est generatio, & in eam, quæ nõ præsupponit subiectum, vt creatio, &c. ¶ Sed contrà, quia vel actio sumitur pro fieri rei, vel pro relatione reali, qua agens denominatur? Si sumitur actio pro fieri formæ? non est ad propositum, quia est transcendens per prædicaméta. Si accipitur pro relatione reali? mala est diuisio, quia in creatore Deo, non est relatio realis, qua denominetur agens, quãdo aliquid creat; quia Deus non

est capax accidentium.

10 *Dico ergo*, quòd *actio* relativè sumpta, quæ fundatur in agente, secundùm quòd est principium transmutandi, dividenda est iuxta divisionem terminorum. Vnde cum termini, alij sint substantiæ productæ, alij accidentia, & istæ sint, qualitas, quantitas, vbi, &c. Ita *actio*, alia ad substantiam, alia ad accidens, ista alia, ad qualitatem, quæ est alteratio, alia ad quantitatem, quæ est augmentatio. Alia ad vbi, quæ dicitur *latio*. Vlterius alteratio alia interna, alia externa, & quælibet istarum in suas species.

11 *Dubitatur tertiò*, quot proprietates habet actio relativè sumpta? Resp. cum Gilberto Porretano, esse duas. Vna est, quòd semper fit cũ motu, vel mutatione. Alia, quòd actio infert per cõsequentiam passionem. V.g. est actio: ergo est passio.

CAP. II.

De passione.

1 *Passio* relativè accepta, opposita est actioni, cuiuscunque oppositorũ eadem sit ratio: hinc fit, quòd omnia, quæ dicta sunt de actione, acõmodãda sunt passioni cũ proportione debita oppositis.

2 Et tunc tantum dubitari potest, vtrùm *actio*, & *passio* sint distincta prædicamenta? Et videtur quòd non, quia quæ sunt idem realiter, non possunt constituere diversa prædicamenta: actio, & passio sunt idem realiter in motu secũdùm Philosoph. 3. Physic. Ergo. ¶ Secundò, quia actiuũ, & passiuum sunt eiusdẽ generis ex Arist. 1. de generat. ergo actio, & passio; patet consequentia, per locum à coniugatis. ¶ Tertiò: quia ex Arist. 3. Metaph. contraria sunt in eodem genere: sed actio, & passio sunt respectus oppositi, & contrarij: ergo sunt sub eodem genere: ergo non differunt genere.

3 *Respondetur* esse distinctum prædicamentũ ab actione. Primò quia non habent aliquod genus supremum, in quo cõveniant. Secundò, quia habent diversos modos afficiendi subiectum primò diversos. Tertiò: quia ex opposita sententia non essent, nisi novẽ prædicamenta; contra torrentẽ omnium Philosophorum.

4 Ad primum resp. concessa maiori, ad minorẽ, quòd Arist. loquitur de actione, & passione pro re acta. Non de actione, & passione purè relativis, vt sunt hæc prædicamenta. Vt notavit Scotus 4. dist. 13. q. 1. lit. K. Ad secũdũ resp. Arist. ibi loqui de genere Physico, non de logico. Vndè sensus illorum verborum est, activum, & passivũ versari circa eandem materiam; non verò, quòd cõveniant in eodem genere supremo. Ad 3. resp. actionẽ, & passionẽ non esse respectus cõtrariè oppositos: sed tantum relativè.

CAP.

CAP. III.

De quando.

1 QVid est *quando*? Resp. Gilbertus Porret. *Quãdo est id, quod ex adiacentia tẽporis relinquitur in re temporali.* Quid est id, quod relinquitur ex adiacentia tẽporis in re tẽporali? Nos Scotistæ dicimus, quòd est relatio coexistentiæ ad tẽpus, fundata in re temporali, & terminata ad tempus. Quarè interrogationi *quando* fecisti talem rem? Respòd. tali die, tali hora, ideſt, quando coexistebam, tali horæ tàlis diei. Illi verò, qui tenent sex prædicamenta vltima consistere in absoluto includẽte relationẽ, nõ possunt facile explicare, quid est id, quod relinquitur in re temporali ex adiacentia temporis.

2 Diuisio istius relationis facienda est per terminos, vnde cũ tempus sit terminus coexistentiæ relativæ, & tempus sit in triplici differentia, nempè præteritum, præsens, & futurũ, sic relatio *quãdo*, alia est ad tempus præteritũ, alia ad præsens alia ad futurum.

3 Quot sunt proprietates *quando*? Respondet Gilbertus, vna est non habere contrarium, altera non suscipere magis, aut minus: quæ non sunt quarto modo, quia alijs competunt, vt substantiæ, &c. Tertia est, quòd *quãdo* solùm competit his, quæ incipiunt esse. Et ista est, quarto modò, quia conuenit omni *quando*, & soli, & semper, denominare ea, quæ incipiunt esse.

CAP. IIII.

De vbi.

1 QVid est *vbi*? Respondet Gilbertus: *Vbi est circũscriptio passiua à circunscriptione loci, vel spatij proueniens.* Quæres, in quo stat formaliter circũscriptio passiua? Respondeo, non est formaliter quantitas circunscripta. Quia tunc *vbi* formaliter sumptum non esset prædicamentum à quantitate distinctum: neque essent decem prædicamenta. Præterea est aliquid nouum præter quantitatem circumscriptam, & circumscribentem. Vt tangant illa verba, *à circumscriptione loci proueniens*: Sed illud additum, non est absolutum, neque relatio intrinsecus adueniens: ergo est relatio extrinsecus adueniens præsentiæ circumscripti ad circumscribens. Quæ in abstracto dicitur *vbi*, & in concreto *esse in loco*, teste Scoto in 4. dist. 10. q. 1. § *Dico ergo*. & in 2. dist. 2. quæst. 7. & quolib. 11. Potestque *vbi* sic logicè definiri, *est relatio extrinsecus adueniens coexistentiæ inter locatum, & locans.*

2 *Quæres*, quomodo dividatur *vbi*? Respondeo, quòd *vbi*, aliud est activum, aliud passivum; *activum est relatio extrinsecus adveniens fundata in loco continente, & terminata ad locatum contentum.* ¶ Vlteriùs locus passivus, seu *vbi* passivum, aliud est diffinitivum, aliud circunscriptivum. *Definitivum est relatio fundata in locato existenti modo indivisibili, & terminata ad locum continens.* Vlterius *vbi* definitivum, alterum est spirituale, aliud materiale; *spirituale est relatio extrinsecus adveniens fundata in spirituali contento, & terminata ad locum continentem*: vt quando Angelus est in loco definitivè: *vbi materiale, est relatio extrinsecus adveniens fundata in contento materiali, existente modo indivisibili, & definitivo* (hoc est, quòd sit talitèr, vt totum contentum correspondeat toti loco, & totum contentum parti loci continentis) *& terminata ad locum continentem materialem.* Sic corpus Christi Domini est in Eucharistia.

3 *Vbi* verò circumscriptivũ, *est relatio extrinsecus adveniens medians inter contentum existens modo extenso, vel divisibili* (idest ita, quòd totum contentum correspondeat toti loco circunscribenti, & pars determinata locati ad partem determinatã loci circunscribentis,) *& inter locũ circunscriptivum continens.* Et hæc relatio est genus generalissimum huius prædicamenti.

4 *Vbi* circunscriptivum dividitur in passivum, & activum: passivum definitum fuit à Gilberto: *& est relatio extrinsecus adveniens fundata in corpore existente modo circunscriptivo, & terminata ad locum circunscribentẽ modo extenso.* Sed *vbi* circumscriptivum activum, *est relatio fundata in loco circunscribente, & terminata ad locatum existens modo extenso.* Vide Scotum quol. 21. § *De primo dico.*

5 Esse acquisibile per se per motũ localem, est proprietas *vbi* in quarto modo: non habere contrarium, & non suscipere magis, aut minus, nõ sunt quarto modo, quia sunt communes alijs. Itẽ esse immobile, & corruptibile, sunt communes.

CAP. V.

De Situ.

1 *Queres primò: quid sit Situs?* Respondet Gilbertus; *Situs est positio partium corporis, & generationis ordinatio.* Ad intelligentiam rectam *Situs* adverte, quòd *Situs* prærequirit, vt totũ, & partes sint extensæ in ordine ad locum. Et dum corpus extensum ponitur flexè, diversã positionẽ habet, ac quãdo ponitur rectè. Et in istis positionibus diversimodè se respiciũt partes corporis extẽsi-

ones

inter se, & ad totum. Vnde *situs*, adæquatè, & Logicè sic debet definiri, *est relatio extrinsecus adveniens partium extensarum inter se, & ad totũ extensum.* Quod patet, quia diversimode se respiciunt partes, quando corpus extensum est rectum, ac, quando est flexum. Et ex fundamento, & termino differt ista relatio à reliquis.

2 *Quæres secũdò*, vtrùm *situs*, & *vbi* distinguantur realiter? Aliqui recentiores cum Suarez 2. t. Metaph. disput. 52. sect. 1. & 9. dicunt, quod non, quia non apparet ratio talis distinctionis, neque entitates multiplicãdæ sunt sine necessitate.

3 *Sed vera sententia est*, quã tenet Merinero hic sect. 5. n. 30. Et ratio mihi est ista, quia quando vnum existit, seu non existente alio, distinguuntur realiter, tanquam esse, & non esse, sed stante positione curva, desinunt varia loca: ergo. Probatur minor, quia homine curuo ambulante, perseverat illa positio, & acquirit, & deperdit nova loca. Præterea relatio *situs* est ius completum distinctum in specie à loco. Sed talia distinguuntur realiter: ergo. Probatur minor, quia prædicamenta non fiunt nisi ex entibus completis quidditatiuè. Item, quia differunt specie, nam relatio *vbi* habet diversa extrema, nam versatur inter corpus contentum, & continens: At situs, vel positio, versatur inter partes extensas eiusdem corporis inter se. Ex diversis autem terminis diversitas relationum colligitur.

4 Ad argumenta, ad primũ patet esse rationes distinctionis inter *situm*, & *vbi*. Ad secundum, quòd natura dedit diuersas positiones corporib⁹ animalis, vt suas operationes aptiùs possit exercere, & vt se ipsum conservet, ideó aliquando iacet, & aliquando sedet, &c. illæ ergo relationes sunt necessariæ, vt denominent formaliter istas positiones.

5 *Quæres tertiò*, quomodo diuidatur *situs*? Respondeo, quòd Angelicus Doctor opusculo 48. & Albertus Magnus libro de sex principijs diuiserunt situm in positionem æquè, & non æquè, flexè, & rectè, & has species subalternas in infimas, nempè in stationẽ, sessionem, recubationem, &c.

CAP. VI.

De Habitu.

1 *Quæres primò*, quid sit *habitus*? Respondet Gilbertus, *est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia.* Hoc est relatio extrinsecus adveniens inter corpus vestitum, & vestem, quæ relatio differt à reliquis, quia habet diversum terminum: nam *quantò* habet pro termino

mino tempus: at *vbi* habet pro termino locum ambientem, & *habitus* habet pro termino veſtem.

2 Ex quibus deducitur, quòd genera, & ſpecies *habitus* accipienda ſunt ex varijs generibus, & ſpeciebus indumentorum. Vnde diuerſum genus eſt *habitus* eſſe armatum, ac eſſe veſtitum, & diuerſas ſpecies eſſe, loricatũ eſſe, & eſſe galearum. At ſpecies indumentorum ſunt habitus religioſi, & habitus ſecularis: At habitus religioſi ſpecies infimæ erunt habitus Benedicti, Bernardi, Dominici, & Franciſci, &c.

3 *Quæres tandem*, quas proprietates habet habitus? Reſpondet Gilbertus, habere duas communes, nempè, non habere contrarium propriè, & non ſuſcipere magis, aut minus intenſiuè. Et aliam addit tertiam, nempè, quòd adiacentia veſtitus ſit actualis: quia ſi veſtis in homine non ſit, non dicitur veſtitus.

LIBER OCTAVVS.

De poſt prædicamentis.

CAP. I.

De modis oppoſitionis.

1 MOdi ſunt quintuplicis ter. Primus eſt oppoſitionis. Secundus prioris. Tertius de ſimul. Quartus motus. Et quintus habendi. ¶ In hoc cap. agit Ariſt. de modis oppoſitionis, & illud diuidit in duas partes, in prima diuidit oppoſitionem in quatuor modos, ſeu ſpecies, & illas explicat; in ſecunda enumerat conditiones ſpeciales oppoſitionis contrariæ.

2 *Circa primam partem*, inquit Ariſtot. quod oppoſitio eſt quadruplex, relativa, contraria, priuativa, & contradictoria. *Relative oppoſita dicuntur illa, quæ id, quod ſunt, oppoſitorum eſſe, aut aliquo alio modo ad illa dicuntur, vt Pater, & Filius.*

3 *Contraria oppoſita ſunt illa, quæ cùm ad inuicem non ordinentur, ſunt tamen formæ repugnantes*: vt frigus, & calor. At cõtraria alia ſunt mediata, alia immediata, *Contraria mediata ſunt illa, quorum non eſt neceſſe alterũ illorum ineſſe ſuo proprio ſuſceptibili.* Vt vitium, & virtus, ſunt con-

contraria mediatè respectu hominis, quia potest dari homo, qui nec sit vitiosus, neque virtuosus; ideò non est necesse, quòd, vel sub vitio, vel sub virtute sit. *Sed contraria immediatè sunt illa, quorũ necesse est alterũ illorum inesse suo proprio susceptibili*: vt ægritudo, & sanitas respectu corporis animalis, nam necesse est animal, aut esse sanum, aut ægrum.

4 *Priuatiuè opposita sunt circa idem subiectum, ordine irregressibili, & tempore determinato à natura.* In qua definione tanguntur tres conditiones ad priuatiuè opposita requisitæ. Prima est, quòd debent esse circa idem subiectum; vt visus, & cœcitas circa oculum. Secunda est, quòd debent esse tempore determinato à natura, quia tunc dicimus, aliquid priuari, quando non habet, quòd natum est habere tempore determinato. Nonenim dicimus edentulum, quia non habet dentes; neque cœcum, quia non habet visum; sed quia non habet, quãdo natus est habere; quia sunt quædam res genitæ, quæ neque visum, neque dentes habent, & tamen non dicuntur identatæ, neque cœcæ.

5 *Opposita contradictoria sunt illa, quæ per affirmationem, & negationem repugnare censentur.* Et hæc est duplex, vna, quæ inter vniuersalem, & particularẽ reperitur, quarum vna est affirmatiua, & altera negatiua, *vt omnis homo currit, quidam homo non currit.* Altera, quæ versatur inter duos singulares, quorum vna est affirmatiua, & altera negatiua, *vt Petrus sedet, Petrus non sedet.*

CAP. II.

De Modis prioris.

IN hoc secundò cap. determinat Phil. de secundo post prædicamento, quòd est *prius*, dicẽs, quòd aliquid dicitur prius quadruplicitèr. Primò, dicitur aliquid priùs altero secundum tempus. Et in hac acceptione, quod est antiquius, dicitur priùs. Secũdo modo aliquid dicitur priùs alio, à quo non valet subsistendi consequentia. Et hoc modo animal dicitur priùs homine, quia nõ valet est animal: ergo homo. Tertiò modo aliquid dicitur priùs alio ordine naturæ, & compositionis: vt in geometria priùs sunt lineæ figuris, & in physica priùs natura sunt anima, & corpus, quã homo. Quarto modo aliquid dicitur priùs alio, quod est dignius, & honorabilius, vt Prælatus in religione dicitur Prior. Deinde subiungit Phil, alterum modum prioritatis naturæ inter ea, quæ conuertuntur, & vnũ est causa alterius: sic est homo respectu risibilis, nam licet conuertantur, homo est causa risibilis.

CAP.

CAP. III.

De Modis simul.

IN hoc cap. determinat Phil. de tertio postprædicamento, quod est *simul*, dicens: quòd tres sunt modi simultatis. Primò dicuntur aliqua *simul* tempore, quorum generatio est eodem tempore. Secundo modo dicuntur *simul* natura, quæcumque conuertuntur, secundùm essendi consequentiam, & vnum non est causa alterius, vt relativa duplum, & dimidium: nam si duplum est, dimidiũ est; & èconverso. Tertio modo dicuntur *simul* natura, quæcumque æqualiter diuidunt genus; vt rationale, & irrationale respectu animalis.

CAP. IV.

De Motu.

1 IN hoc capit. determinat Phil. de quarto post prædicamento, quod est *motus*, cuius assignat sex species, quæ sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & loci mutatio.

2 Deinde determinat de cõtrarietate motus, dicens, quòd vniuersaliter motui contrariatur quies. Sed aliquando motui contrariatur motus, vt generationi contrariatur corruptio; augmentationi, diminutio: & loci mutationi contrariatur quies secundùm locum. Et etiam sibi cõtrariatur mutatio secundùm contrarium locum: vt mutationi, quæ est sursum, contrariatur mutatio, quæ est deorsum. Deinde subdit, quòd motui alterationis non est facilè assignare contrarium; sed potest dici, quòd alterationi secundùm vnam qualitatem, cõtrariatur quies secundùm eandem qualitatem, vel alia alteratio, quæ est secundùm contrariam qualitatem, vt calefactioni contrariatur frigefactio.

CAP. V.

De Habitu.

IN hoc vltimo cap. determinat Phil. de quinto post prædicamento, quod est *habere*, dicens: quòd *habere* est octo modis. Primus modus est habere affectum, seu qualitatem, vt habere scientiam. Secundus est, habere quantitatem, seu magnitudinem. Tertius modus est habere, quæ circa tempus sunt, vt vestitum, & tunicam. Quartus est, habere aliquid in membro per modum ornamenti, vt anulũ in digito. Quintus est habe-

habere membrum, seu partem integralem, vt manum, vel pedem. Sextus est, habere contentum: vt lagena habet vinum. Septimus est, habere possessionē: vt domū, vel vineam. Octavus est, habere vxorem. Et iste modus est alienissimus, quia, qui habet, habetur

De Perhyermenias.

POstquam actum est prædicabilibus, & de his, quæ ponuntur in prædicamento (quæ sunt obiecta propositionum) sequitur agere de propositionibus. Sed de his multa dicta sunt in Logica directiva lib. 2. Præterea 3. lib. Logicæ directivæ multa dicta sunt de priori analysi, seu de priori resolutione, propter quòd solùm restat agere breuiter de posteriori resolutione, seu de posteriori analysi, ideſt de demonstratione.

De posteriori resolutione.

QVÆST. I.
Quid sit demonstratio.

1 DVas Phil. de demonstratione definitiones dedit. Prima est, *demonstratio est syllogismus appeditiuus.* Hoc est, *est syllogismus faciens scire.* Secunda definitio est, *demonstratio est syllogismus procedens ex primis veris immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis.*

2 Quæres, vtrùm istæ definitiones sint bonæ? Et videtur, quod non, quia de vno definibili non possunt dari duæ definitiones bonæ. Respondeo, quod definitio alia est formalis, alia materialis: formalis est illa, quæ datur per ordinem ad finem, seu effectum; at materialis illa est, quæ datur per materiam, & conditiones eius.

3 *Nunc respondeo primo*, quòd prima definitio est bona formaliter, quia illa definitio est bona in linea formali, quæ explicat distinctè rem, per ordinem ad finem, seu effectum suum: sed prima definitio est huiusmodi: ergo. Probatur minor, quia finis, seu effectus demonstrationis est scire, vel scientia. Sed ista datur per ordinem ad scire: ergo datur per ordinem ad suum effectum.

4 *Respon.* 2° quòd secunda definitio est bona in linea materiali, quia illa definitio est bona in linea materiali, quæ constat genere, & differētia, per quam ex parte materiæ differt definitum ab alijs. Sed secūda definitio est huiusmodi: ergo. Probo minorem, quia syllogismus est genus demonstrativo, & probabili, differentia ex parte materiæ est, quòd præmissæ sint veræ primæ, immediatæ, priores, notiores, causæque conclusionis, per quam differt demonstratio ab alijs syllogismis, qui nō sunt demonstratiui, quorum præmissæ non sunt primæ, immediatæ, &c. ergo.

5 Ad rationem dubitandi respondeo, quòd de vna essentia non possunt dari duæ definitiones diversæ, quæ sint bonæ in vna linea, tamèn secundum diversas rationes, quarum vna sit formalis, & altera materialis, nego, quòd non possint dari duæ definitiones bonæ, vnaquæque in sua linea. Sic contingit in præsenti.

QVÆST. II.

Expenuntur conditiones materiæ demonstrationis.

1 QVæres primò, quomodo intelligatur illa particula *ex primis* posita in definitione materiali demõstrationis? Respondeo, quòd Arist. intellexit pro primis propositionibus, illas, quæ sunt indemonstrabiles à priori, id est, eas, quæ carent medio, quo possint demonstrari à priori: nam sicut in omni genere illud dicitur primum, quod caret principio, & causa: ita in propositionibus, illæ dicuntur primæ, quæ carent causa, vel medio priori, quo possint demonstrari. Quod probat Arist. quia conclusio nó scitur propriè, nisi per demonstrationem, *quia tunc scire opinamur vnumquodque simpliciter, & non sophistico modo (quod est secundum accidens) cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, & quoniam illius causa est, & non est contingens aliter se habere.* Inquit primò posteriorum. Tunc sic, vel præmissæ scire, vel scientiæ sunt demonstrabiles, vel non? Si non? habeo intentum. Si sic? ergo datur processus in infinitum, ne detur processus in infinitum, dicendum est, quòd primæ propositiones sunt indemonstrabiles.

2 *Quæres secundò*, quomodo intelligatur illa particula *veris*. Respondeo, quòd intelligitur ex veris necessariis, ita quòd propositiones demonstrationis sint veræ circa materiam necessariã, quod dixit Arist. illis verbis, *& non est contingens aliter se habere*. Et probat Arist. in textu, quia cõclusio demonstrationis est vera, & necessaria, idest de materia, quæ aliter se habere non potest; sed conclusio vera, & necessaria non colligitur nisi ex veris necessariò: ergo.

3 *Quæres tertiò*, quomodò intelligatur illa particula *immediatis*, ad quod sciendum, quòd termini obiectiui propositionum sunt immediati dupliciter, vno modo in linea recta, taliter quod inter subiectum, & prædicatum nullus terminus directus medier, vt in ista propositione, *homo est animal*. Alio modo, quod ly *immediatis* neget omne mediũ probandi à priori, vt in ista *omne animal rationale est risibile*. Nunc dico, quod intelligitur de immediatis, quæ negant omne mediũ probandi à priori: & sic ly *immediatis* coincidit cum ly *ex primis*.

4 Quæ-

4 *Quæres quarto*, quomodo intelligitur illa particula *prioribus*. Respondeo, quòd prioritas in propositionibus est duplex, vna situ, & positione, & hæc prioritas competit præmissis respectu conclusionis, quia prioribus locis ponuntur. Prima dicitur maior, & secunda minor. Alia prioritas est naturæ: ideſt, quòd termini maioris, & minoris sunt priùs natura, quàm terminus, qui probatur de subiecto, sicut definitio hominis, & subiectum homo, sunt prius natura, quàm risibilitas, quæ demonstratur. ¶ Nunc dico, quod ly *Prioribus* non intelligitur de situ, & loco præmissarum; quia hoc competit etiam propositionibus probabilibus; sed intelligitur de propositionibus, quæ sint de terminis, qui sint priores natura termino, qui demonstratur, qui est propria passio. Quod probat Arist. quia termini definitionis sunt priores natura termino, qui demõstratur; sed medium in demonstratione est definitio: ergo.

5 *Quæres quintò*, quomodo intelligitur illa particula *notioribus*? Ad quod dicit Aristot. quòd notiora sunt dupliciter; vno modo simpliciter, alio modo, quoad nos. Illa sunt notiora simpliciter, quæ sunt re notiora sensui, cuiusmodi sunt vniversalia. At notiora quoad nos sunt illa, quæ sunt propinquiora sensui, cuiusmodi sunt singularia. Vnde ly *marioribus* intelligendum est, de notioribus simpliciter, quia propositiones demonstrationis debent esse vniuersales, eo quod sunt necessariæ, & singulares sunt contingentes.

6 *Quæres sextò*, quomodo intelligatur illa particula, *causisque conclusionis*, ad quod notandum, quòd esse causas conclusionis, de duobus potest dici, vnum est, quod ipsę propositiones præmissę, sint causę conclusionis. Alio modo, quod termini, ex quibus deducitur prædicatum conclusionis sint causæ illius termini, qui demonstratur esse in subiecto conclusionis, v. g. animal rationale est causa adæquata hominis, & homo est causa adæquata risibilitatis, quæ demonstratur de homine. Sic omne animal rationale est risibile: homo est animal rationale: ergo homo est risibilis.

7 His positis vnum est certum secundùm mentem Aristot. & Scoti, non cognoscentis demonstrationem simpliciter, nisi illam, quæ est à priori, nempè, quod subiectũ, & definitio debent esse causæ termini obiectivi, qui demonstratur in conclusione. Et ratio est, quia quod demonstratur est passio, at subiectum de quo demonstratur, est causa passionis, & medium, seu termini definitionis sunt causa subiecti: ergo.

7 *Quæres septimo*, vtrùm veritates obiectivæ sint causa conclusionis. Veritas alia est formalis,

lis, quæ est cõformitas actûs cum obiecto sicuti est. Veritatẽ obiectivam voco illam conexionem, quæ est inter subiectum, & prædicatum. Habita notitia veritatis obiectivæ, videtur, quòd veritas obiectiva est causa cõclusionis in præmissis. Et ratio est, quia veritates obiectivæ præmissarum sunt rationes formales mouentes ad conclusionem; ergo sunt causæ formales conclusionis.

9 Dicendum est tamen, quòd species impressa subiecti est causa formalis motiva, tàm præmissarũ, quàm conclusionis. Sic Scotus q. 1. prologi §. *Ad argumenta* pro opinione Arist. num. 25. quia secũdum Arist. 3. de anima intellectus de se est tãquã tabula nuda. Propter quod Aug. q. de Trinit. dixit: *A cognoscente, & cognito paritur notitia*: ergo ad cognitionem requiritur pro causa formali ex parte obiecti, vel ipsum obiectũ concurrens, vel aliqua species gerens vicem obiecti. Sed pro statu isto, non habemus nisi species obiectorum, quia pro statu isto nil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: ergo pro statu isto causa formalis immediata intellectionum sunt species intentionales, & non ipsæ veritates obiectivæ. Itaque species subiecti est ratio formalis repræsentandi subiectum, & ratio formalis repræsentandi definitionem obiectivam, & etiam repræsentandi proprietatem: & est ratio formalis determinata determinans intellectũ ad assensus præmissarum, & consequentiæ. Vide Scotũ in 3. dist. 23. §. *Aliter potest poni*, num. 9. Et tunc negandæ est maior, & consequentia rationis in oppositũ, nisi dicatur, quòd veritates obiectivæ materiales sunt obiecta motiva mediata, quandò causant species sui.

QVÆST. III.

De causalitate præmissarum.

1 Q *Vœres primò*, Vtrùm præmissæ habeant aliquam causalitatem in conclusionem. Et ad claram intelligentiam adverte, quòd in isto casu præmissæ accipiuntur, non pro obiectis cognitis priùs, ex quibus deducitur proprietas, nam in ista acceptione iam dictum est cap. 22. præcedente; sed accipiuntur præmissæ pro actuali cognitione. Notandum secundò, quòd in præmissis sunt duo actus, vnus iudicij, alter assensus post iuditium. Similiter in conclusione est iudicium deductum circa proprietatẽ demonstratam, & est assensus ad cõclusionẽ. Quod quæritur est, vtrũ actus intellectus maioris, & minoris propositionis sint causa actus conclusionis.

2 Communis sententia dicit, quod præmissæ sunt aliquo modo causæ conclusionis, quia Arist. de posteriori resolutione dixit: *omnis doctrina fit ex præexistẽti cognitione*, id est omnis cõclusio doctrina-

lis

lis fit ex cognitione præexistente. Hę cognitiones præexistentes sunt præmissæ: ergo conclusio fit ex præmissis. Ratione probo, quia præmissæ determinant intellectũ ad conclusionem; & sic ex diversis præmissis procedunt diversæ conclusiones: ergo sunt causæ cõclusionis.

3 *Quæres secundò*. Vtrũ præmissæ concurrant in genere causæ materialis respectu conclusionis? Respondeo, quòd sic, quia vltimũ complementum syllogismi, & demonstrationis est conclusio demonstrata, & præmissæ se habent, vt perfectibiles, & aptæ ad compleri per conclusionem secundùm modum artificiosum: ergo se habent vt materia artificialis respectu conclusionis perficientis opus artificiosum, & fortè hoc voluit Arist. quando dixit: *omnis doctrina fit ex præexistenti cognitione*.

4 *Quæres tertiò*. Vtrum præmissæ concurrant ad conclusionẽ in genere causæ formalis. Multi dicunt, quòd sic: quia præmissæ determinant ad conclusionem, & hæc determinatio est specificatio ad conclusionem. Sed specificatio pertinet ad causam formalem: ergo præmissæ influunt in conclusionem in genere causæ formalis extrinsecæ.

5 Sed contra, quia quando quis formal demonstrationem, præmissæ sunt actus subiectivi in intellectu, & non sunt obiecta in demonstratione: ergo non sunt obiectum formale movens, & determinans intellectum ad conclusionem, causa vero formalis extrinseca debet esse ex parte obiecti. Quare termini obiectivi sic dispositi in forma, & figura sunt causa motiva formalis, ad eliciendum conclusionem.

6 *Quæres quartò*. Vtrùm præmissæ se habeant, vt causæ efficientes respectu conclusionis? Multi Thomistæ, vt Ferrara, Paulus Venetus, Sotus, Tolerus apud Didacum à Iesu disp. 16. q. 3. § *Oppositæ tamen sententiæ*, dicũt, quòd sic. Probatur primò, quia illa particula *ex* indicto Arist. significat causam efficientem. Secũdò, quia illud, quòd constituit potentiam in actu primo, concurrit cum ea efficienter ad actum secundum: sed per assensus principiorũ constituitur intellectus in actu primo ad assentiendum conclusioni: ergo. Probatur minor, quia intellectus nudus non sufficit ad assensum conclusionis, & cum assensibus principiorum actuatur ad producendum conclusionem: ergo per assensus principiorum cõstituitur in actu primo intellectus ad producendum assensum conclusionis.

7 Contra hanc opinionem arguit Durandus in 2. dist. 2. quæst. 2. *ad quartum*, quòd non existit, non potest esse causa effectiva; sed præmissæ non existunt, quando elicitur assensus conclusionis: ergo non possunt esse causæ effectivæ assen-

assensus conclusionis. Ad hoc respondent Sotus, & Bañez 1. p. q. 58. art. 2. quod intellectus potest habere simul plures actus, vniter minati ad principia, alter ad conclusionē. Sed illis obijcio, quòd quando hoc fit ex advertentia, demus quòd potest habere intellectus simùl plures actus permanentes; tamen communitèr, arguentes non habent permanentes assensus præmissarum, & tamen producitur assensus conclusionis: ergo conclusio, & assensus ad cōclusionem non dependet efficienter ab assensibus præmissarū. Præterea; quamvis communitèr dicitur, quòd actus habet virtutem effectivam habitus, non est facile probare, quòd vnus actus adhuc cum intellectu sit causa productiva alterius actus. Præterea, quomodo præmissæ respectu assensus conclusionis possunt esse causa materialis, & formalis, & efficiens.

8 Potest dici salvo meliori iudicio, quòd assensus præmissarum in intellectu, quādò durant, inclinant determinatè intellectū ad assensum conclusionis, & quādo transeunt, habitus de relicti ex illis actibus inclinant intellectum ad eundem assensum. Et intellectus cum specie obiecti causat assensum conclusionis iuxta inclinationem assensuum præmissarum, & habituum earum. Quod sic probo. Nam species impressa subiecti est repræsentativa subiecti, definitionis, & proprietatis, tamen, quia est discursiva habet ordinem in inclinatione, nam primò inclinatur ad primum principium, & secundò ad minorem, & tertiò ad cōclusionem, producit per ordinem istos actus, & habitus, & licèt habitus principiorum directè, & per se inclinent, ad principia indirectè inclinant ad conclusionem, & secundario, quia sapiūt aliquo modo naturam speciei impressæ, quæ primó inclinatur ad principia, & secundariò ad conclusionem. Quod si illi actus præmissarum essent productivi assensus conclusionis, quādo existunt, producerent partialiter assensum, conclusionis. Sed, quia non potest probari in illis actibus esse causalitatem effectivam respectu assensus conclusionis. Restat, quòd solum maneat inclinatio ad conclusionem, quam participaverunt ex specie impressa subiecti.

9 Ad primum respōdeo, quòd particula *ex* aliquando denotat etiam causam materialem, vtpatet indefinitione, quam de materia prima dedit Arist. dicendo; *quod est primum subiectum, ex quo aliquid fit.* Quarè non est medium probandi determinatè causam effectivam. ¶ Ad secundum dico, quod est actus primus inclinativus tantum, & est actus primus productivus assensus præmissarū sunt in actu primo inclinativo tātum per quod non possunt causare efficienter assensum conclusionis.

QVÆ-

QVÆST. IIII.

Vtrùm cognitis maiori, & minori necessitetur intellectus ad assensum conclusionis?

1 AD statũ quæstionis adverte, quòd necessitas opponitur libertati. Libertas quoad specificationem est potestas ad eliciendum vnum, vel alterum actum, qui sint distincti specie; vt voluntas respectu volendi, & nollendi. Ita in intellectu respectu assensus, & dissensus est libertas quoad specificationem, & quando determinatur ad assensum, necessitatur quoad speciem. Libertas, quoàd exercitiũ, est potestas ad eliciendum actum, & nõ eliciendi ipsum actum. Vndè necessitas quoad exercitium est determinari ad actum. Quarè quando intellectus determinatur ad assensum, ita quòd non potest non habere illum, necessitatur quoad exercitium.

2 Loquendo de necessitate, quoad specificationem, conveniunt omnes, quòd positis maiori & minori veris, & positis in forma, & figura cum assensibus earũ, necessitatur intellectus. Ita Subt. Doctor 1. dist. 1. q. 4. § *Ad argumenta* num. 16. dicens: *necessitas est in intellectu ex evidentia obiecti, necessario causante assensum in intellectu.* Quòd dictum adminus debet intelligi de necessitate quoad speciem. Et ratio est, quia ab obiecto, & potentia paritur notitia; sed obiectum verum non potest generare dissẽsum circa ipsũ, sed natum est generare assensum; ergo necessitat intellectum ad assensum, quæ est necessitas, quoad speciem.

3 Sed loquendo de necessitate quoad exercitium maior est difficultas, & controversia. Ego bene video, quòd veritas evidẽter cognita, ex se tendit ad necessitandũ intellectum non solum quoad speciem; sed etiam quoad exercitiũ, quia est principium naturale sicut forma ignis, quæ de se non solum est determinata quoad speciem, sed etiam quoad exercitium, nisi ab alio fortiori impediatur, vel divertatur à materia.

4 Ideò tota difficultas stat in improbando, quòd voluntas respectu intellectus est fortior, quã obiectum: nam si imperium voluntatis est fortius, & potest contra movere intellectum à consideratione illius obiecti cogniti, deficiente propositione illius obiecti, nõ poterit habere assensum illũ, sicut si ab igne auferatur approximatio materiæ, non poterit habere ignefactionem; at si obiectum est fortius, tunc intellectus necessitabitur, quoad exercitium.

5 Dico ergo primò, quòd stante obiecto evidenti sufficienter proposito, licèt imperet voluntas intellectui quod nõ assentiatur, nõ potest nõesse actus assensus. Ratio

tio est, quia in isto casu fortiùs movet obiectum naturale, quàm voluntas: quòd confirmatur, quia stante visibili approximato debitè, & oculo aperto, licèt voluntas imperet oculo, ne videat, non potest non videre: ergo similitèr de oculo intellectus.

6 Dico secundò: quòd voluntas potest contra movere intellectum, & avertere illum à consideratione conclusionis demonstrandæ, vel demonstratæ, & imperare cònsiderationem alterius obiecti, & tunc deficiente obiecto proposito, vel propositione obiecti, non habebit assensum circa conclusionē, licèt præcedant assensus præmissarum.

7 Quod sic potest fieri, advertendo, quòd demonstratio est instrumentum perfectum sciendi, compositum ex tribus propositionibus, possum intendere facere demonstrationem imperfectam, & inchoatam ex duabus tantū præmissis. Et advertere, quòd quando intellectus est proximus ad deducendum conclusionem, divertendus est ab illo obiecto, & applicandus ad aliud, & tunc non deducet conclusionem, quia deficiēte propositione conclusionis obiecti, non potest esse actus. Hoc potest facere voluntas, quia potentiæ inferiores subduntur imperio voluntatis, quoad exercitium. (nutritiua dempta) Tum, quia Scotus in 3. dist. 25. q. 2. dicit, quod voluntas potest contra movere intellectum ad considerationem alterius obiecti. Tum etiam, quia S. Thom. 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 3. dicit: *voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus, quia, & ipsum verū, quòd est perfectio intellectus continetur sub universali bono, ve quoddam bonum particulare.* Ergo similitèr potest quis intendere assensum præmissarum, & non intendere assensum conclusionis, & disponere contra movere intellectum, quando assensus conclusionis eliciendus est.

8 Dico tertio: quòd positis assensibus præmissarum absolutè, & simplicitèr est liber assensus conclusionis. Ratio est, quia absolutè & simplicitèr assensus conclusionis est sub potestate voluntatis: sicut visio oculi simplicitèr, & absolutè, sub imperio voluntatis est, vt sit, vel non sit, per contramotionem, & cum possit contramovere voluntas potentias inferiores, dum non contramovet, cum possit, relinquit actum potentiæ inferioris liberum.

9 Objicies, in prima conclusione dico, quòd assensus conclusionis est necessarius, nunc dico, quòd est liber quoad exercitium, sed liberum, & necessarium, quoad exercitium opponuntur: ergo. ¶ Respondeo, quod ille actus intellectus est necessarius secundum quid, quia est à potentia naturali inferiori, & est liber simplicitèr in ordine ad voluntatem po-

potentem contra movere, eſſe quidem actum neceſſarium ſecundum quid, & liberum ſimpliciter non opponuntur, vt patet in viſione oculi circa viſibile, quæ eſt neceſſaria ſecundùm quid in ordine ad oculum, & eſt libera ſimpliciter in ordine ad voluntatem, quæ eſt potentia ſuperior, potens impedire viſionem, vel opponendo obſtaculum, vel divertendo oculum ad aliud obiectum.

10 Obijcies in eodem inſtanti, quo poſſitæ ſunt aſſenſus præmiſſarum, elicitur concluſio; ſed in illo inſtanti non poteſt eſſe contra motio voluntatis: ergo non poteſt impediri aſſenſus cõcluſionis. Reſpon. quòd in eodem inſtanti ſunt multæ prioritates, & poſterioritates naturæ, & ſic in primo inſtanti naturæ ante aſſenſum cõcluſionis eſt cognitio diverſionis intellectus. Et in ſecundo eſt imperium, & in tertio non eſt aſſenſus.

11 Obijciunt Auctores oppoſitæ ſententiæ, intellectus, & aſſenſus præmiſſarum, ſunt cauſa aſſenſus concluſionis, non libera: ergo neceſſaria. Reſpondeo, quòd cauſa aſſenſus concluſionis eſt neceſſaria ſecundùm quid, & libera ſimpliciter, vt expoſitum eſt.

12 Præterea ſicut ſe habet in voluntate intentio finis ad electionem mediorum, ſic ſe habet in intellectu aſſenſus principiorum ad aſſenſum concluſionis. Hoc eſt ſicut movet finis ad electionem mediorum, ita principia ad eliciendum concluſionem: ſed poſita intentione efficaci finis, & perſeverante voluntate in ea, non poteſt ſuſpendere actum electionis, ſed neceſſitatur ad illum: ergo habito aſſenſu principiorum, & perſeverante intellectu in eo, non poteſt ſuſpendere concluſionem.

¶ Reſpondeo, quòd aſſenſus principiorum, & intentio finis ſolùm habent ſimilitudinem in movere, eo modo, quo actus poſſunt movere; differunt ſpecialiter in ordine movendi, quia aſſenſus principiorum movent ordine executionis, & intentio finis movet ordine intentionis. Quòd ſi diſputans intendit efficaciter aſſenſum concluſionis, neceſſitatur ad eliciendũ illam: ſin autem non ſit efficaciter intentus, imò neque intentus ſimpliciter aſſenſus concluſionis, ſed potiùs oppoſitum, quamvis ſint poſitæ præmiſſæ evidentes, non elicietur aſſenſus concluſionis, quia ſtatuit diſputans, & elegit avertere intellectum ab obiecto aſſenſus concluſionis. Ratio radicalis eſt, quia ipſa demonſtratio, & aſſenſus præmiſſarum ſunt actus potentiæ ſubditæ voluntati in contra motione, & diviſione. Et finis diſputantis eſt adducere ad aſſenſum concluſionis. Quòd ſi iſte finis non ſit intentus efficaciter fruſtrari poteſt. Quantò magis ſi intendatur, non habere aſſenſum concluſionis?

QVÆST. V.

Vtrùm diuisio demonstrationis, quia, & propter quid sit generis in species?

1 ANtequàm procedamus ad affirmationem, vel negationem, necesse est scire, quid intelligatur per *demonstrationem, quia*, & dico, quòd est syllogismus procedens ex effectu ad probandum quòd causa est. V. g. si quæratur an sit homo? Probatur, quòd est per risibilitatem, quæ est quasi effectus eius sic. Omne risibile est homo, est risibile, ergo homo est. Ex quibus habes, quòd finis demonstrationis: *quia*, est probare, quòd est, item habes, quòd solum est vtilis ad quæstionem, an sit? de demonstratione autem propter quid, iam dictum est, quid sit.

2 Nunc dico; quòd iuxta mentem Arist. 1. posteriorum. Et Subtilis Doctoris, quæst. 3. Prologi. q. 4. Lateralí §. *Iuxta hoc*, num. 26. & in 3. dist. 24. q. 1. §. *Ad quæstionem*. num. 13. vers. *Sed accipiendo*, ratio propriæ demonstrationis solùm reperitur in demonstratione propter quid. Probatur, quia demonstratio propriè, & scientia proprie sunt causa, & effectus, sed demonstratio propria causat scientiam propriam: ergo demonstratio, quæ non causat scientiam propriam, non est propriè demonstratio, sed solum demonstratio *propter quid* causat scientiam propter quid: ergo sola demonstratio propter quid, est propria demonstratio. Minor ista patet ex Arist. 1. Poster. dicente: *scire autem opinamur vnumquodque simpliciter, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, & quia illius est causa*. Sed demonstratio propter quid est, quæ datur per causam cognitam, & demonstratio quia, nõ datur per causam, sed per effectum: ergo sola demonstratio propter quid, est propria demonstratio.

3 Vlteriùs, quando ratio propria significata per nomen reperitur propriè in vno membro, & non propriè, sed impropriè in alio, diuisio non est vniuoci in vniuocata: ergo diuisio demonstrationis *in propter quid, & in quia*, non est vniuoci in vniuocata.

4 Hæc eadem conclusio colligitur ex Doctore Angelico, nam 1. Posteriorum lectione 18. dicit: *quòd scire ex propriis principijs, solum est vere scire*; ergo scire à posteriori non est vere scire, neq; demonstratio à posteriori est vera demonstratio. Et lect. 23. inquit: *demonstrationem propter quid esse demonstrationem simpliciter*: ergo demonstratio *quia* est tantum secundum quid: ergo in demonstratione *quia*, non reperitur propria, & simpliciter ratio demonstrationis propria: ergo non est membrum vniuocatum demonstrationis

tionis propriè, & simpliciter.

5 His tamen non obstantibus aliqui Thomistę tenent, quod est vnivoci in vnivocata, & quòd ratio demonstrationis perfectiori modo participatur in demonstratione propter quid. Et discursus potest formari sic: demonstratio formaliter est syllogismus faciens scire, vel causans scientiam; sed syllogismus à posteriori ex veris, necessarijs, & evidentibus causat scientiam: ergo habet formalem rationem demonstrationis. Minor probatur, quia notitia deducta ex *veris*, distinguitur à falsa, & per hoc, quod est ex *necessarijs*, distinguitur ab opinione, & per hoc, quòd est ex evidentibus distinguitur à fide: ergo illa notitia causata per demonstrationem quia, vel à posteriori est propriè scientia, quia scientia est notitia certa, & evidens ex præmissis necessarijs, evidentibusque deducta per syllogismum perfectum: ergo ille syllogismus est verè, & propriè demõstratio. Ergo ratio propriè demonstrationis reperitur in eo: ergo est vnivocatum membrum, &c.

6 Respondeo, quod est scientia perfecta, quæ dicitur simpliciter; & est scientia imperfecta, quæ dicitur secundũ quid. Sciẽtia imperfecta est illa, quæ habetur à posteriori, & ratio est, quia solũ probat, quòd subiectum est, & non quietat intellectum simpliciter, quia manet dubius quoad quid est illud subiectũ. Demonstratio autem propter quid est perfecta scientia, quia quietat intellectum, quia in ea est cognitio, quòd subiectum est, & cognitio quid sit illud subiectum; & quale est, v. g. quòd homo est risibilis, flebilis, &c. & tunc distinguenda est maior, dicendo, quòd demonstratio formaliter, est syllogismus faciens scire simpliciter, & perfectè, non quæ facit scire imperfectè, & secundũ quid. Ad minorem, quòd demonstratio à posteriori, facit scire imperfectè, & secundùm quid, non simpliciter, & perfectè; & neganda est consequentia. Ad probationẽ minoris dico, quòd vt scientia distinguatur ab errore, opinione, & fide, sufficit, quòd sit imperfecta.

7 Quòd autem in demonstratione propter quid præcedãt cognitiones, quòd subiectum sit, & quid sit. Patet ex Arist. in principio de posteriori resolutione dicente: *Ante demonstrationem duæ sunt præcognitiones: An res sit, & quid sit, & tria præcognita, scilicèt principium, passio, & subiectũ. De principio præsupponi debet, quòd sit, de passione quid sit; & de subiecto an sit, & quid sit.* Et ne hoc opus molestũ scholasticis videatur, hæc sufficiant ad laudem omnipotentis Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti, necnon Beatæ Virginis Mariæ sine labe originalis peccati conceptæ.

(?)

FINIS.